I. BAPTISTÆ

MANTVANI

CARMELITÆ, THEOLOGI, PHILOSOPHI, Poëtæ & Oratoris clarissimi,

OPERA OMNIA,

In quatuor Tomos distincta, pluribus Libris aucta, & restituta: quorum Index sequenti pagina continetur.

TOMVS PRIMVS.



ANTVERPIÆ

Apud Ioannem Bellerum, ad insigne Aquilæ aureæ.

1576.

TERTIVS TOMVS.

QVARTVS TOMVS.

MANTVANI OPERVM FINIS.

Reuerendiss. ChristoPatri Ioanni Rubeo, Car
litarū Magistro Generali, Laurentius Cupær
Carmelitanus Montis Gerardi.

S. P. D.

IO. Baptistam Hispaniolū, Mantuan Carmelitici ordinis decus eximium, q do nō intisim, vt fecère typographi q sed mēbratim et singulis omnium eius rū partibus absolutum, ni fallor, atq grum, formulis elegantioribus Ioannes Bellerus c graphus Antvuerpiensis, vir integerrimus, ac nost micus euulgare denuo parat; Ioannes Baptista thrae, Rauennas, Carmelitanorum Magister Gene lōgè præstantissime, moneor, rogor, etiā atq, et iam mulor, & aliquamdudū renitens ab eodē bibliopol hementer incitor, vt ceu antiloquio quodā operū tuani nostri laudē, vtilitatē, voluptatemq adolesce lis vniuersim omnibus, sed præsertim sacri nostri tuti discipulis aperiā, ostendam, explicem, quā tam titionem iterū atq iterū pressius intuenti mihi Bel idē præposterus precator, adhortator, atq impulso qui ab asino lanā, & aquā è pumice postulet, esse tur. Ceterùm quū non sit mihi cornea fibra, nec ad tem in pectore gesto, rogatus feci quod facturus ali fuerā, equidē quippe laudationibus Mātuani in pr tiarum abstinuissem lubens, quum illius ea sit glori nullius laude permultum crescat, nullius vitupera vel tantulū minuatur, insuper quòd etiam tū beat verborum tum rerum copia mihi desit, quæ delicati nostro sæculo possit facere satis; nisi extarent scrip quidam, qui quam palàm laudandū suscipiant Ma num, eundē nihilominus clàm vituperant, eiusmod

dicis nō dißimiles, qui dū ægrotis mederi se simulāt, eosdem tamen interim occidunt: è quibus duos mihi, Paulū videlicet Iouium ex medico Nuceriæ repentè prodeuntē episcopū, et Lilium Gregorium Gyraldum, humaniorem tamen hunc, illum verò mordaciorem criticū censoremq́; videre licuit. Sed verba eorū in medium proferre, ne quid affingere videar, operæ pretium fuerit: Elogia enim doctorū virorum Pauli Iouij sic habent:

Baptista Carmelitani ordinis princeps, ex Hispaniola gente honesta, verùm ex damnato coitu natus, naturā ,,
ad carmen attulit, verùm insatiabili Hebraicorū studiorum cupiditate ita occupatā, vt quū magnus & admirabilis in omnibus videri cōtenderet, in excolendis Musis curam ac diligētiam remittere cogeretur, quibus vnis ,,
nō dubius ad æternitatē gradus parabatur, si certa laude ,,
cōtentus in reliquis inane nomen tēpestinè cōtempsisset. ,,
Sed incidit in ea tēpora, quibus nullis mediocribus poëtis locus erat, reperit tamen sibi æmulum incōdito furore Cōsalui Magni res gestas decantantem, cuius explosione clarescceret. Is erat Cantalicius pro bono poëta ab ,,
optimo Duce mediocris etiam virtutis amantißimo liberaliter ditatus. Verùm & hunc, & ipsum quoq; Carmelitam desumpto eodem argumento Grauina malè partæ laudis loco strenuè deturbauit, quum inchoatū poëma ,,
nobile Pontano atq; Actio cēsoribus recitasset. Ceterùm ,,
Carmelitæ satis ad laudem fuit quòd per quindecim sæcula neglectos à ciuibus Andinos fontes salubriter ebiberit, scilicet vt fatali monitu limpidioris eius aquæ siphones Lælio ac Hippolito Capilupis fratribus monstrarentur. Octogenario maior Mantuæ decessit, non planè ,,
felix, quum in extremo vitæ actu defensionē contra criticos scribere cogeretur, qui eius poëmata obeliscis non ,,

„ *inanibus miserè confodissent. Sacrato poëtæ mortuo cu-*
„ *cullati eius ordinis sacerdotes prolixè parentarunt. Fe-*
„ *dericus autem Princeps marmoream effigiem cum lau-*
„ *rea posuit, quæ in arcu lapideo iuxta Virgilij Maronis*
„ *simulacrũ, pia hercle, si nõ ridẽda, cõparatione cõspicitur.*

Heic mihi Pater obseruandissime primam audi lædoriam, ex damnato, inquit, coitu natus est: & vafrè interim illiciti cõcubitus speciem reticuit: vt, prô nefas, impurissimam longeq́; scelestissimam aliquam, qua procreatus sit copulam, in hominum auribus relinquat. Sed bene habet quòd patrem eius Petrum Hispaniolum, cui libellum de vita beata dedicauit, non incubum quempiam esse cõstet. Quorsum igitur, Paule Ioui, hoc tuum tam impudens cõuicium? scilicet vt in egregio corpore næuus esset? Sed ego cum Nasone

Et genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco.

Sed bene habet quòd calumniam istam, Ioui, tuam, ipse Poëta noster, Siluarum lib. 4. in Epithalamio Ptolemæi fratris sui & Dorotheæ Valẽtis satis cõfutare videtur: vbi auum suum paternum dicit Antonium Hispaniolum Cordubensem, de quo Petr⁹ pater eius satus sit, qui ex coniuge legittima sua Cõstantia Maia Brixiensi prolem suscitauit Ptolemæum, Baptistæ nostri fratrem vterinum crediderim, vel ob id maximè ꝙ postquã spõsæ Dorotheæ genus demonstrasset, fratris ortum sic recitare incipiat his versibus:

Nunc Ptolemæe tuæ gentis fastigia tangam,
Atque meæ, genus est nobis commune duobus.

Quodq́; mater eius hæc fuerit Constantia Maia Brixiensis ex Panegyrico in Brixiam videtur conuinci posse, quem sic incipit:

Brixia sæpe tuas, cùm sis mihi gratior ipsa
Vel non grata minus Manto.

Laudes dico Brixiæ, quòd matre Brixiana fuerit, contexere voluit. Credidisti nullos futuros qui tua scripta cribrarent, sed in calce epistolæ contra calumniatores huiusce rei te commonuisse poterat Mantuanus scribens Ptolemæo fratri: In posteritate, inquit, nostra erunt qui causam contra eos & meam, & aliorum, tueantur.

Quid si, quod nescio tamen, à gētis suæ, parentum vitio, sanguine degenerauit, at certè degeneres animos in ipso fuisse queri nō potes. Quid si matre parum nobili, etiam extra legitimū coniugiū, vel vt tute affirmas prohibita & inconcessa venere genitus existimetur, an tibi propterea contemtui fuerit, qui tantam sibi doctrinæ famā sua pararit industria? Parcius ista viris precor obijcienda memēto: scis enim quid Iphicrates Harmodio prisci illius Harmodij abnepoti generis probrum per conuicium obijcienti responderit, meum inquiens genus à me habet originē, tuum verò in te desijt. Quod imitatus quoque Marcus Tullius Cicero, quū ob Ciceronis cognomē dicterijs incesseretur, quòd à cicere vilissimo legumine cognominaretur, respondit se Ciceronis nomen illustrius effecturum quàm Catonum, Catulorum, aut Scaurorū: veluti & Crispo Sallustio respondens, ego, inquit, meis maioribus virtute mea præluxi, vt si prius noti nō fuerint, à me incipiant initium memoriæ suæ: tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras, vt etiam si fuerint egregij ciues, certè venerint in obliuionē; quare noli mihi antiquos viros obiectare: satius est enim me meis rebus gestis florere, quam maiorū opinione niti, & ita viuere, vt ego sim posteris meis nobilitatis initium et

virtutis exemplum. Conuiciatori proinde huic. P.R. quid aliud quàm illud Senecæ ad Luciliũ aptius respondeam, dicentis in hæc verba: Quom volueris veram hõis æstimationem videre, & scire qualis sit, nudum inspice, deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, & animũ intuere qualis quantusq; sit, alieno an suo magnus. Sed ne vnicam duntaxat maledicendo voluptatem Iouius capiat, adijcit obeliscis non inanibus Mantuanũ miserè à criticis confossum esse, quibus verbis sanè nõ detractionem tantùm, sed & nugacissimã leuitatem suã prodit, vt quom hæc scriberet parum sobrius mihi fuisse videatur: quippe qui ea culpat quæ paulò post gloriæ ducit. Hoc enim Paule Iouî vnum duntaxat abs te scire cõtenderim quomodo tibi constet, qui Baptistam nostrũ iure nec inuitè à Zoilis increpitum esse dicas, quom tamen, te teste, neglectos per quindecim sæcula post Virgilij tẽpora, à ciuibus suis Andinos fontes tam salubriter ebiberit; quinam Andini quàm Virgiliani fontes sunt, quũ Andes vicus sit prope Mantuã vrbem, vbi natus est Virgilius, qui eadẽ ex causa à Silio Italico alijsq; permultis Andinus vates receptissima antonomasia vocatur? Si non inanibus sed meritis obeliscis tã miserè confoditur Mantuanus noster, indubiè nõ salubriter Andinos fontes ebibit. Herclè nihil agis Iouî, qui verbis phaleratis quidem illis, sed parum constantibus Mantuanũ laudaturus, eidẽ tamen occultè detrahis; equidẽ enim sine negotio quàm fuerint aduersariorũ eius obelisci inanes & vani, nisi id esset actũ agere, quũ ipse poëta noster ad Ptolomæum fratrẽ contra calumniatores testibus probatissimis auctoribus censoribusq; dexterrimè hoc fecisset, perspicuũ redderẽ. Sed missum faciamus hoc mendaciũ, & ad tertiam detractionis

tuæ

tuæ artificium, myčterismũ nempe illum, quẽ habes elogij tui vltimò loco, veniamus, vbi ais Baptistæ effigiem iuxta Virgilij simulacrum, pia, si nõ ridenda cõparatione positam conspici: pia, dicis, si non ridenda, at cur ridenda, amàbo? Largiar enim tibi licet hoc interim Mantuanũ Hispaniolũ Mantuano Maroni ab omni parte cõparandum non esse, nõ tamen propterea hoc etiam tibi do, nullo quoquam modo componendũ esse, quanquã etenim cõciuem suum Andinũ Virgilium heroico quodã & tragico verborũ sententiarumq́ pondere non æquet intonando, sed mollius, facilius, & vrbanius spiret, nihilominus in quibusdã suis operibus et neruosiore dictione assurgit, & proximè Virgiliũ consequitur, & in quibusdã alijs Philosophicis soluta oratione conscriptis libris, rerũ atq. sententiarum vbertate multis parasangis Virgilium post se relinquit, ita vt disciplinarũ omniũ liberaliũ circulum, quem κυκλοπαιδείαν vna voce Græci dicunt, eum absoluisse extra controuersiam sit. Vir enim fuit Hebraicè Græcè atq. Latinè iuxta doctus, vt ex his quæ ab ipso sunt euulgata, quiuis, si legat, intelliget. Quanquam vel ob id potissimũ non pia tantùm, sed pijssima & nullo modo ridenda cõparatione iuxta Virgilij Maronis simulacrũ Federicus princeps marmoreã illi effigiem cum laurea posuit, quòd Virgilij nepos fontes illos Andinos per quindecim sæcula obturatis siphonibus & tubis latentes aperuerit, & sepultum Mantuæ decus exsuscitauerit. Humanior igitur te Paule Ioui censor & arbiter longè Lilius Gregorius Gyraldus est, qui quas ei statuas Mantuani erexerunt, nullo modo deijciendas iudicat, sed eius quoq. ex Dialogis de poëtis nostrorum temporum verba proferre nõ grauabor, quæ sunt hæc.

Nunquid heic, ait Iulius, Baptistã Mantuanũ, qui v-

virtutis exemplum. Conuiciatori proinde huic. P.R. quid aliud quàm illud Senecæ ad Luciliũ aptius respondeam, dicentis in hæc verba: Quòm volueris veram hoĩs æstimationem videre, & scire qualis sit, nudum inspice, deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, & animũ intuere qualis quantusq; sit, alieno an suo magnus. Sed ne vnicam duntaxat maledicendo voluptatem Iouius capiat, adijcit obeliscis non inanibus Mantuanũ miserè à criticis confossum esse, quibus verbis sanè nõ detractionem tantùm, sed & nugacissimã leuitatem suã prodit, vt quòm hæc scriberet parum sobrius mihi fuisse videatur: quippe qui ea culpat quæ paulò post gloriæ ducit. Hoc enim Paule Ioui vnum duntaxat abs te scire cõtenderim quomodo tibi constes, qui Baptistam nostrũ iure nec inaniter à Zoilis increpitum esse dicas, quòm tamen, te teste, neglectos per quindecim sæcula post Virgilij tẽpora, à ciuibus suis Andinos fontes tam salubriter ebiberit; quinam Andini quàm Virgiliani fontes sunt, quũ Andes vicus sit prope Mantuã vrbem, vbi natus est Virgilius, qui eadẽ ex causa à Silio Italico alijsq; permultis Andinus vates receptissima antonomasia vocatur? Si non inanibus sed meritis obeliscis tã miserè confoditur Mantuanus noster, indubiè nõ salubriter Andinos fontes ebibit. Herclè nihil agis Ioui, qui verbis phaleratis quidem illis, sed parum constantibus Mantuanũ laudaturus, eidẽ tamen occultè detrahis; equidẽ enim sine negotio quàm fuerint aduersariorũ eius obelisci inanes & vani, nisi id esset actũ agere, quũ ipse poëta noster ad Ptolomæum fratrẽ contra calumniatores testibus probatissimis auctoribus censoribusq; dexterrimè hoc fecisset, perspicuũ reddere. Sed missum faciamus hoc mendaciũ, & ad tertium detractionis

tuæ artificium, mysterisimũ nempe illum, quẽ habes elogij tui vltimò loco, veniamus, vbi ais Baptistæ effigiem iuxta Virgilij simulacrum, pia, si nõ ridenda cõparatione positam conspici: pia, dicis, si non ridenda, at cur ridendã, amabo? Largiar enim tibi licet hoc interim Mantuanũ Hispaniolũ Mantuano Maroni ab omni parte cõparandum non esse, nõ tamen propterea hoc etiam tibi do, nullo quoquam modo componendũ esse, quanquã etenim cõciuem suum Andinũ Virgilium heroico quodã & tragico verborũ sententiarumq; pondere non æquet intonando, sed mollius, facilius, & vrbanius spiret, nihilominus in quibusdã suis operibus et neruosiore dictione assurgit, & proximè Virgiliũ consequitur, & in quibusdã alijs Philosophicis soluta oratione conscriptis libris, rerũ atq; sententiarum vbertate multis parasangis Virgilium post se relinquit, ita vt disciplinarũ omniũ liberaliũ circulum, quem κυκλοπαιδείαν vna voce Græci dicunt, enim absoluisse extra controuersiam sit. Vir enim fuit Hebraicè Græcè atq; Latinè iuxta doctus, vt ex his quæ ab ipso sunt euulgata, quiuis, si legat, intelliget. Quanquam vel ob id potissimũ non pia tantùm, sed pijssima & nullo modo ridenda cõparatione iuxta Virgilij Maronis simulacrũ Federicus princeps marmoreã illi effigiem cum laurea posuit, quòd Virgilij nepos fontes illos Andinos per quindecim sæcula obturatis siphonibus & tubis latentes aperuerit, & sepultum Mantuæ decus exsuscitauerit. Humanior igitur te Paule Ioui censor & arbiter longè Lilius Gregorius Gyraldus est, qui quas ei statuas Mãtuani erexerunt, nullo modo dejiciendas iudicat, sed eius quoq; ex Dialogis de poëtis nostrorum temporum verba proferre nõ grauabor, quæ sunt hæc.

Nunquid heic, ait Iulius, Baptistã Mantuanũ, qui vnus

» *nus ex iis fuit qui Carmelitæ sodales dicuntur, in aliquo*
» *bonorum poëtarũ numero repones? Et maximè inquam,*
» *sed quæ mea sit de homine audite sententia. Laudo insti-*
» *tutum, piumq́ ꝓpositum, verùm extẽporalis magis, quã*
» *poëta maturus. Extant illius versus pæne innumerabi-*
» *les, ex quibus apud vulgus & Barbaros quosdam laudem*
» *tantam est adeptus, vt vnus propè poëta, & alter pæne*
» *Maro haberetur. At bone Deus quàm dispar ingenium.*
» *Nam vt vbiq; Maro perfectus, ita hic immodica et pæne*
» *temeraria vbiq; vsus est licentia, quã & magis atq; ma-*
» *gis indies auxit. Est enim ferè natura cõparatum, vt qui*
» *minus iudicio valent, & nimio plus sibi placent, eos in-*
» *dies deflorescere, & senes flaccescere videamus: nã & his*
» *indies aliquid ingenij deteret. Iuuenis ille quidẽ lauda-*
» *bilior poëta fuit, cum verò ei desedit calor ille & feruor*
» *iuuenilis, tanquã amnis sine obice extra ripas sordidè dif*
» *fluens coërceri non potuit: vix enim ea legere possumus*
» *quæ longius ille ætate pronectus carmina scripsit. Non*
» *ideo hoc vobis de Carmelita dixerim, vt quas ei statuas*
» *Mantuani erexerunt deijcerẽ, sed magis vt vos monerẽ,*
» *quo eum ordine habere debeatis: magis emunctæ naris*
» *fuisse videtur Angelus Politianus. Hæc ille.*

Equidẽ P. R. meam quoq; interrogatus sententiã, vt fatear ingenuè, Baptistam nostrum Nasoni quàm Maroni, quòd illius extemporalẽ facilitatẽ, plerisq; libris, quã huius maiestatẽ sonoram propius referat, similiorẽ dixerim, quanquã q; Lilius Politianum Mantuano antepo-nit non omnino approbandum dixerim; nam q; ad eruditionem pertinet non video qua in re Mantuanus Politiano cedat, siue humaniores, siue Christiano dignas hoĩe litteras æstimare libeat. Quòd verò ad dicendi facultatẽ pertinet parẽ, mea sententia, in tam diuerso dicẽdi genere laudẽ videntur mereri posse. Politianus enim angu-

stiore

ſtiore, verùm altiore alueo ingentẽ aquarum vim trahit. Mantuanus latius exſpatiatur; fluit ille plenior, hic fertur rapidior. Atq; (quod erat Longolij de Budæo et Eraſmo iudiciũ) in Politiano plus neruorũ, ſanguinis, ſpiritus, in Mantuano plus carnis, cutis, coloris agnoſcere eſt; in illo plus diligẽtiæ, in hoc plus facilitatis; ille omnia vtilitati, hic plurimum delectationi tribuit. Pugnat ille cura, ingenio, grauitate, dignitate: hic Mantuanus ſubtilitate, leuitate, iucunditate ad victoriã contendit. Ac faciamus quidẽ alios permultos Palladis afflatos numine, at Gratiarũ choro ſtipatum Baptiſtã negare nemo poteſt; eſto quòd vitijs ſuis faueat, ingenioq; ſuo nimis indulſerit, turbidus extra ripas ſordidiuſculè interim fluat, ipſe tamẽ ſeſe haud magnis ſolùm exemplis, ſed etiã validiſsimis argumẽtis ad Ptolemæum fratrẽ cõtra calumniatores in epiſtola defendit, tuetur, tegitq;. Quanquam verò maturus Lilio Mantuanus poeta nõ ſit, ſed extẽporalis, attamen grauẽ quoq; præſertim in Parthenicis atq; calamitatibus, alibi cõtra ardentẽ & erectum, floridum etiam et amœnum inuenias. Bucolica quippe humili, mediocri Epigrammata, grandiloquo autẽ & magno quiddam ſonante ſtylo diuinas Parthenicas eſſe cõſcriptas dicere poſſumus, quod ſi quis neget, indubiè tamen Trophæũ Gonzagæ heroicam planè venã habet, vt vel eo nõie ſolo Badius pueris verſificatoriæ artis ſtudioſis prælegendum exiſtimet. Sanè niſi & eloquẽtiæ ſplendor nõ vulgaris, magnaq; rerum maieſtas tam in poëmatibus eius quàm alijs ſoluta oratione ab ipſo conſcriptis libris ineſſet, Ludouicus Viues exactiſsimi vix iudicij in libro quẽ de tradendis diſciplinis fecit, non tantopere eum laudaſſet, & melioris litteraturæ ſtudioſis enarrandum humanarum artium profeſſoribus cõmendaſſet. Quin &

magnus ille Desiderius Erasmus Roterodamus Ioannem Sapidum Argētinensem, dum viueret, archididascalum contemtius de Mantuano sentientem castigat in epistola quadam ad Iacobum VVimphelingum scribēs: Demiror, inquit, iudicium Sapidi. Iuro quisquis ille fuit qui hoc illi persuasit, nihil illo ineptius, malim hemistichium Mantuani, quam tres Marullicas myriadas. Neq hæc duntaxat aut Erasmi, aut Viuis, sed etiam Philippi Beroaldi est sententia, qui Mantuanum Virgilio proximum, longo quidē interuallo, sed tamē proximum facit, quòd in eo ingenium copiosum, & mira doctrinæ multiiugæ felicitas exuberet, vti in epistola quæ hisce operibus inserta est scribit. Demum Ioannes Murmellius in artis cōponendorū versuum rudimētis, alijsq epistolis aliquot quoties Mantuanū nostrum discipulis imitandū proponit? Iodocus itē Badius Ascensius cōmentarios in Bucolica, Sebastianus Murrho Germanus trium linguarum experientissimus in Parthenicas exegesin scripsère, indubiè non scripturi, nisi et sentētiarum grauitate, et carminum varietate, iucunditateq legi dignissimum iudicassent. Adde quod et magnam modestiam in omnib⁹ Mantuani versibus videre est. Homerus quidē, quæ fuit eius submissio animi, neq patriam suam, neq propriumnomē in aliquo suo poemate edidit, de quo Aulus Gellius:

Septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri:
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Qua in re tamen ab ipso plerique poetæ alij desciuerunt. Publius enim Ouidius Naso dixit:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo:
Pelignæ gentis gloria dicar ego.
Sulmo mihi patria est gelidis vberrimus vndis.

Sed

Sed iactantius multò Publius Virgilius Maro quartũ Gæorgicωn claudens ait:

Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorq́; volentes
Per populos dat iura, viamq́; affectat Olympo:
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studijs florentem ignobilis oti:
Carmina qui lusi pastorum, audaxq́; iuuenta,
Tityre te patulæ, cecini, sub tegmine fagi.

Immo & Thrasonicè magis tertium Gæorgicωn ita incipit:-tentanda via est qua me quoq; possim.
Tollere humo, victorq́; virûm volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum (modo vita supersit)
Aonio rediens deducam vertice Musas:
Primus Idumæas referam tibi Mantua *palmas,*
Et viridi in campo tẽplum de marmore ponam.

Similem arrogantiam resipit exordium primi Æneidos vbi ait:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena
Carmen, & egressus siluis, vicina coegi:
Vt quamuis auido parerent arua colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrẽtia Martis
Arma, virumq́; cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lauinaq́; venit
Littora.

At longè modestior noster est Mantuanus, *qui sic nominis sui meminit & patriæ, vt nullam in eo arrogantiam animaduertas. In laude enim Brixiæ ita habet:*

Brixia sæpe tuas cùm sis mihi gratior ipsa
Vel non grata minus Manto, *genus vnde* Maroni
Altiloquo, genus vnde mihi.

In morte item Ioannis Soreti sic scribit:

Verùm

Verùm bella canant alij, populosq́; paternis
Sedibus, & patrio pulsos de littore Graios.
Et veteres odij causas, belloq́; subactas
Constantine tuas arces, cœlumq́; Latinis
Infestum rebus, fideiq́; pericula nostræ.
Semper ego effugi studium Mauortis & arma,
Nec pectus thorace graui, nec tempora cinxi. &c.

Sed inquit Lilius Gyrald⁹: Baptista iuuenis laudabilior poëta fuit: vix enim e a lectione dignamur quæ prouectiori ætate scripsit. Ad quæ respondeo credere me Agelaria fortè, & quædam alia ex tempore subitò iam seni excidisse, quæ displicere poßint, & cum Aiace Augusti in spongiam melius incubuissent, quàm prælo mandata essent, quòd ab auctore necdum satis elimata fuerint, sed ánne & Apelles Veneris caput & summa pectoris politißima arte perfecit, & (teste Cicerone ad Lentulum) reliquam partem corporis inchoatam reliquit; quid mirum si quæ longius ætate Baptista noster prouectus carmina scripsit ad incudē reuocare, in eo magistratu (qui in ordine nostro summus est) constitutus, non potuerit priusquam à sui studiosis euulgarentur. Hoc profectò senectuti dandum potius quàm criminandum erat. Ceterùm quis est quicum tam sit actum præclarè, vt in eo nullum fuerit districtum atræ inuidiæ spiculum, quum in Tito Liuio miræ facundiæ viro Asinius Pollio quandā Patauinitatem inesse putauerit, quum Attica anus illa Theophrastum, hominē alioqui disertißimum, hospitem dixerit: quum Vectium Lucilius insectatus sit. Ex quibus constat non esse satis si tersum ac limatum sit quod emiseris in lucem, nisi lectores & candidos et æquos nanciscare. Quanquam lábant interim nonnunquā, vt Fabij verbis vtar, & oneri cedunt ingenia, vt sit etiam vi-

sus

ſus Homerus Marco Ciceroni, & Demoſthenis oratio dormitare. Quæ quidem argumento, qualiacunq; edideris ea cenſurã omnino ſubitura, eſſe poſſunt, neq; tamen ob id cedendum criticis, ſed contra audentius eundum eſt. Rumpantur ergo licet ilia Codro, *ut veritatẽ libere eſſari liceat, ſapientia, ingenio, grauitate, eloquentia,* Baptiſta *noſter vir maximi plane ingenij, & veterũ ac reconditarũ litterarũ in primis doctus nulli poëtarum in* Tropæo Gonzagæ *poſthabẽdus videtur, tam ſunt in eo ingenioſe excogitata, aſtute ficta, et ſonore dicta omnia, multæq; ſimilitudines, & digreßiones aptißime inſperſæ tam vtiles quàm dulces, vt omnibus propterea artis cõponendorum verſuum ſtudioſis prælegendus rectißime iudicetur.* A dhæc demũ poëtæ *cõplures ſunt, quorũ ne ui, plectra, & calami nec diuos, nec aras, nec euangeliũ canũt, ſed Vulcanos,* Mercurios, Bacchos, Veneres, *turpeſq;* Priapos, *auguria &* Troias, *& inania ſomnia vulgi, ſed* Mantuanus *de veris cœlicolis poëmata fecit, & noſtræ ſacroſanctæ religioni* Apollinẽ *Muſaſq; ſeruire curauit.* Quoties *proinde ſtichologiæ artis ſtudioſæ iuuẽtuti præceptores circumſpecti præclarũ alicuius diui diuæq; agonẽ pedeſtri oratione canendũ dabunt pro argumẽto, hunc noſtrum* Mantuanũ *præcinentẽ habituri ſunt diſcipuli, quibus nihil vel parũ in hoc genere* Virgilius *cõduxerit.* Sed *quid tãtopere* Mantuanũ *commendo, quũ proba merx emtorẽ facile ſit inuentura, & vino vendibili non ſit opus ſuſpenſa hedera?*

Cur autẽ Reuerẽdißime Pater Magiſter *noſter totius* Carmelitici *ordinis* Generalis, *nouißimæ huius omnium* Mantuani *operũ editionis inſcriptionẽ tibi potißimũ deberi iudicẽ, cauſæ multæ ſunt, ſed duæ præcipuæ: vna quòd ſtudia noſtra theologica binis patentibus litteris,*

priori-

prioribus quidẽ anno.1569. Romæ in Transpõtino per R.P.Magistrũ Ioannem Maierium inferioris Alemaniæ Prouincialẽ nostrũ,alteris anno. 1575. in comitijs Generalibus Placentiæ celebratis,per eximiũ sacræ theologiæ professorẽ M.P.Lupũ tuum vicariũ ac cõmissarium per Brabantiã,ad me missis,honore,fauore,ac doctorali promotione dignatus sis,quanquã hoc ego memet gradu indignũ interim existimo: quare ad alteram huiusce dedicationis causam progredior, quæ est quòd videã te eruditissimorũ nostri sacri Ordinis virorũ monumenta quæ situ interitura erant à carie tã diligenter vindicare. Thomã enim VValdensem cõtra VViclephũ & eius sectæ farraginẽ quanta cura & ingenio nobis restituisti? Laudent igitur ceteri quicunq; volent tuarũ virtutũ ornamẽta,extollant pietatẽ in Deũ animiq; deuotionẽ, prædicent morũ grauitatẽ, comitatẽ, frugalitatẽ,sobrietatẽ,pudicitiã, et alia sexcenta virtutũ tuarũ genera, ego diligentiã qua Ordinẽ tuũ extollis, & affectũ erga doctorũ nostri ordinis virorũ libros & monumẽta,quos indies expurgas, illustras, & posteritati relinquis,quin laudem,celebrẽ,deprædicemq; nullo modo me cõtineo vel mihi impero. Aequi boniq; proinde hanc nostrã opellã vt cõsulas qua possum animi corporisq; demissione iterũ atq; iterũ oro. Nõ desunt multi quoq; alij huiusce nostri instituti professores poẽsios atq; oratoriæ lõgè in Gallia Belgica, Celtica,atq; Narbonẽsi, Germania itẽ,Italia, & Hispania me doctiores,sed eorũ neminẽ ad manũ,vt me Antvuerpiæ hoc tẽpore Librarius habuit:quare in restituendo Mãtuano nõ quod volui,sed quod potui feci. Vale Pater R. cui me modis omnibus & ex animo commendo. Antvuerpiæ ad Scaldim anno CIↃ.IC. LXXVI. stilo Romano Kalendis Aprilib.

I. BAPTISTÆ

MANTVANI

CARMELITAE, THEOLOGI, PHILOSOPHI, Poëtæ & Oratoris clarissimi,

OPERA OMNIA.

In quatuor Tomos distincta, pluribus Libris aucta, & restituta: quorum Index sequentibus paginis continetur.

TOMVS PRIMVS.

Fr Ioannes Baptista hispaniolus Diminus Mantuanus Prior Gentis Carmelitarum octogenario maior mortuus Opuh dolor est Mantue

ANTVERPIÆ

Apud Ioannem Bellerum, ad insigne Aquilæ aureæ.

1576.

Viuat in Gloria

Amen



INDEX OMNIVM OPERVM I. BAPTISTÆ MANTVANI

Quæ autem huic editioni acceſſere, * aſteriſco notata ſunt.

PRIMVS TOMVS HABET.

* 2 * *Age-*

SECVNDVS TOMVS.

TERTIVS TOMVS.

De Villa

QVARTVS TOMVS.

MANTVANI OPERVM FINIS.

Reuerendiss. in Christo Patri, Ioanni Baptistæ Rubeo, Carmelitarum Magistro Generali, F. Laurentius Cupærus Carmelitanus Montis Gerardi.

S. P. D.



O. Baptistam Hispaniolum, Mantuanum, Carmelitici ordinis decus eximium, quando non incisim, vt fecêre typographi quidam, sed membratim & singulis omnium eius operum partibus absolutum, ni fallor, atq; integrum, formulis elegantioribus Ioannes Bellerus calcographus Antvverpiensis, vir integerrimus, ac noster amicus euulgare denuò parat; Ioannes Baptista Erythræe, Rauennas, Carmelitanorum Magister Generalis longè præstantissime, moneor, rogor, etiam atque etiam extimulor, & aliquamdudū renitens ab eodē bibliopola vehementer incitor, vt ceu antiloquio quodā operum Mantuani nostri laudem, vtilitatē, voluptatemq; adolescentulis vniuersim omnibus, sed præsertim sacri nostri instituti discipulis aperiā, ostendam, explicem, quam tamen petitionem iterum atque iterum pressius intuenti mihi Bellerus idem præposterus precator, adhortator, atque impulsor, vt qui ab asino lanam, & aquam è pumice postulet, esse videtur. Ceterùm quum non sit mihi cornea fibra, nec adamantem in pectore gesto, rogatus feci quod facturus aliâs non fueram, equidem quippe laudationibus Mantuani in præsentia-

rum

rum abstinuissem lubēs, quū illius ea sit gloria quæ nullius laude permultum crescat, nullius vituperatione vel tantulum minuatur, insuper quòd etiam tam beata tum verborum tum rerum copia mihi desit, quæ delicatissimo nostro sæculo possit facere satis; nisi extarēt scriptores quidam, qui quùm palàm laudandum suscipiant Mantuanum, eundem nihilominus clàm vituperant, eiusmodi medicis nō dissimiles, qui dum ægrotis mederi se simulāt, eosdem tamen interim occidunt: è quibus duos mihi, Paulum videlicet Iouium ex medico Nuceriæ repentè prodeuntem episcopum, & Lilium Gregoriū Gyraldum, humaniorem tamen hunc, illum verò mordaciorem criticum censoremque videre licuit. Sed verba eorum in medium proferre, ne quid affingere videar, operæ pretium fuerit: Elogia enim doctorum virorum Pauli Iouij sic habent:

„ Baptista Carmelitani ordinis princeps, ex Hispaniola gente honesta, verùm ex damnato coitu natus, naturam ad carmen attulit, verùm insatiabili Hebraicorum studiorum cupiditate ita occupatā, vt quum magnus & admirabilis in omnibus videri contenderet, in excolendis Musis curam ac diligentiam remittere cogeretur, quibus vnis non dubius ad æternitatem gradus parabatur, si certa laude contentus in reliquis inane nomen tempestiuè contempsisset. Sed incidit in ea tēpora, quibus nullis mediocribus poëtis locus erat, reperit tamen si-

» bi æmulum incondito furore Consalui Magni res
» gestas decantantem, cuius explosione clarescere t.
» Is erat Cantalicius, pro bono poëta ab optimo Du-
» ce mediocris etiam virtutis amantissimo liberaliter
» ditatus. Verùm & hunc, & ipsum quoq; Carmelitã
» desumto eodem argumento Grauina malè partæ
» laudis loco strenuè deturbauit, quum inchoatum
» poëma nobile Pontano atque Actio censoribus re-
» citasset. Ceterùm Carmelitæ satis ad laudem fuit
» quòd per quindecim sæcula neglectos à ciuibus An-
» dinos fontes salubriter ebiberit, scilicet vt fatali mo
» nitu limpidioris eius aquæ siphones Lælio ac Hip-
» polito Capilupis fratribus monstrarentur. Octoge-
» nario maior Mantuæ decessit, non planè felix, quũ
» in extremo vitæ actu defensionem contra criticos
» scribere cogeretur, qui eius poëmata obeliscis non
» inanibus miserè confodissent. Sacrato poëtæ mor-
» tuo cucullati eius ordinis sacerdotes prolixè paren-
» tarunt. Federicus autem Princeps marmoream ef-
» figiem cum laurea posuit, quæ in arcu lapideo iuxta
» Virgilij Maronis simulacrum, pia herclè, si non ri-
» denda, comparatione conspicitur.

Heic mihi Pater obseruantissime primam audi
lædoriam, ex damnato, inquit, coitu natus est: & va-
frè interim illiciti concubitus speciem reticuit: vt,
prô nefas, impurissimam, longeque scelestissimam
aliquam, qua procreatus sit copulam, in hominum
auribus relinquat. Sed bene habet quòd patrẽ eius
Petrum

Petrum Hispaniolum, cui libellum de vita beata dedicauit, non incubum quẽpiam esse constet. Quorsum igitur, Paule Ioui, hoc tuũ tam impudens conuicium? scilicet vt in egregio corpore næuus esset? Sed ego cum Nasone:

Et genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco.

Sed bene habet quód calumniam istam, Ioui, tuam ipse Poëta noster, Siluarum lib. 4. in Epithalamio Ptolemæi fratris sui & Dorotheæ Valentis satis confutare videtur: vbi auum suum paternum dicit Antonium Hispaniolum Cordubensem, de quo Petrus pater eius satus sit, qui ex coniuge legittima sua Constantia Maia Brixiensi prolem suscitauit Ptolemæum, Baptistæ nostri fratrem, vterinum crediderim, vel ob id maximè quod postquam sponsæ Dorothæ genus demonstrasset, fratris ortum sic recitare incipiat his versibus.

Nunc Ptolemæe tuæ gentis fastigia tangam,
Atque meæ, genus est nobis commune duobus.

Quodq́; mater eius hæc fuerit Constantia Maia Brixiensis, ex Panęgyrico in Brixiam videtur cóuinci posse, quem sic incipit.

Brixia sæpe tuas, cùm sis mihi gratior ipsa
Vel non grata minus Manto.

Laudes dico Brixiæ, quod matre Brixiana fuerit, contexere voluit. Credidisti nullos futuros qui tua scripta cribrarent, sed in calce epistolæ contra ca-

lumniatores huiusce rei te commonuisse poterat Mantuanus scribens Ptolemæo fratri: In posteritate, inquit, nostra erunt qui causam contra eos & meam, & aliorum, tueantur. Quid ergo, si, quod nescio tamen, à gentis suæ, parentũ vitio, sanguine degenerauit, at certé degeneres animos in ipso fuisse queri non potes. Quid si matre parum nobili, etiam extra legitimum coniugiũ, vel vt tute affirmas prohibita & inconcessa venere genitus existimetur, an tibi propterea cõtemtui fuerit, qui tantam sibi doctrinæ famam sua pararit industria? Parcius ista viris precor obijcienda memẽto: scis enim quid Iphicrates Harmodio prisci illius Harmodij abnepoti generis probrum per conuicium obijcienti responderit, meum inquiens genus à me habet originem, tuum verò in te desijt. Quod imitatus quoque Marcus Tullius Cicero, quũ ob Ciceronis cognomen dicterijs incesseretur, quòd à cicere vilissimo legumine cognominaretur, respondit se Ciceronis nomen illustrius effecturum quàm Catonum, Catulorum, aut Scaurorum: veluti & Crispo Sallustio respondẽs, ego, inquit, meis maioribus virtute mea præluxi, vt si prius noti non fuerint, à me incipiant initium memoriæ suæ: tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras, vt etiam si fuerint egregij ciues, certẽ venerint in obliuionẽ; quare noli mihi antiquos viros obiectare: satius est enim me meis rebus gestis florere, quàm maiorum opinione niti,

niti,& ita viuere, vt ego sim posteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum. Conuiciatori proinde huic P. R. quid aliud quàm illud Senecæ ad Lucilium aptius respondeam, dicentis in hæc verba: Quum volueris veram hominis æstimationem videre, & scire qualis sit, nudum inspice, deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, & animum intuere qualis quantusque sit, alieno an suo magnus.

Sed ne vnicā duntaxat maledicēdo voluptatem Iouius capiat, adijcit obeliscis non inanibus Mantuanum miserè à criticis cōfossum esse, quibus verbis sanè non detractionem tantùm, sed & nugacissimam leuitatem suam prodit, vt quum hæc scriberet parum sobrius mihi fuisse videatur: quippe qui ea culpet quæ paulò post gloriæ ducit. Hoc enim Paule Ioui vnum duntaxat abs te scire contenderim quomodo tibi constes, qui Baptistam nostrum iure nec inaniter à Zoilis increpitum esse dicas, quũ tamen, te teste, neglectos per quindecim sæcula post Virgilij tempora, à ciuibus suis Andinos fontes tam salubriter ebiberit: . Quinā Andini quàm Virgiliani fontes sunt, quum Andes vicus sit prope Mantuā vrbem, vbi natus est Virgilius, qui eadem ex causa à Silio Italico alijsq; permultis Andinus vates receptissima antonomasia vocatur? Si non inanibus sed meritis obeliscis tā miserè confoditur Mantuanus noster, indubiè nō salubriter Andinos fōtes ebibit.

Herclè

Herclè nihil agis Ioui, qui verbis phaleratis quidē illis, sed parum constantibus Mantuanum laudaturus, eidem tamen occultè detrahis; equidem enim sine negotio quàm fuerint aduersariorū eius obelisci inanes & vani, nisi id esset actum agere, quū ipse poëta noster ad Ptolomæum fratrem contra calumniatores testibus probatissimis auctoribus censoribusque dexterrime hoc fecisset, perspicuum redderem.

Sed missum faciamus hoc mendaciū, & ad tertium detractionis tuæ artificium, myčterismū nempe illum, quem habes elogij tui vltimò loco, veniamus: vbi ais Baptistæ effigiem iuxta Virgilij simulacrum, pia, si non ridenda comparatione positam conspici: pia, dicis, si non ridenda: at cur ridenda, amabo? Largiar enim tibi licet hoc interim Mantuanum Hispaniolum Mantuano Maroni ab omni parte comparandum non esse, non tamen propterea hoc etiam tibi do, nullo quoquam modo componendum esse, quanquam etenim conciuem suum Andinum Virgilium heroico quodam & tragico verborum sententiarumq; pondere non æquet intonando, sed mollius, facilius, & vrbanius spiret, nihilominus in quibusdam suis operibus & neruosiore dictione assurgit, & proximè Virgilium consequitur, & in quibusdam alijs Philosophicis soluta oratione conscriptis libris, rerum atque sententiarum vbertate multis parasangis Virgilium post se relinquit,

quit, ita vt disciplinarum omnium liberalium circulum, quem κυκλοπαιδείαν vna voce Græci dicunt, eum absoluisse extra controuersiam sit. Vir enim fuit Hebraicè Græcè atque Latinè iuxta doctus, vt ex his quæ ab ipso sunt euulgata, quiuis, si legat, intelliget. Quanquam vel ob id potissimum non pia tantùm, sed pijssima & nullo modo ridenda comparatione iuxta Virgilij Maronis simulacrum Federicus princeps marmoream illi effigiem cum laurea posuit, quòd Virgilij nepos fontes illos Andinos per quindecim sæcula obturatis siphonibus & tubis latentes aperuerit, & sepultum Mantuæ decus exsuscitauerit. Humanior igitur te Paule Ioui censor & arbiter longè Lilius Gregorius Gyraldus est, qui quas ei statuas Mantuani erexerunt, nullo modo deijciendas iudicat. sed eius quoque ex Dialogis de poëtis nostrorum temporum verba proferre non grauabor, quæ sunt hæc.

Nunquid heic, ait Iulius, Baptistam Mantuanum, ,, qui vnus ex ijs fuit qui Carmelitæ sodales dicuntur, ,, in aliquo bonorum poëtarum numero repones? Et ,, maximé inquam, sed quæ mea sit de homine audite ,, sententia. Laudo institutum, piumque propositum, ,, verùm extemporalis magis, quam poëta maturus. ,, Extant illius versus pænè innumerabiles, ex quibus ,, apud vulgus & Barbaros quosdam laudem tantam ,, est adeptus, vt vnus propè poëta, & alter pænè Maro ,, haberetur. At bone Deus quàm dispar ingenium. ,,

Nam

» Nam vt vbique Maro perfectus, ita hic immodica
» & pene temeraria vbique vsus est licentia, quam &
» magis atq; magis indies auxit. Est enim ferè natura
» comparatum, vt qui minus iudicio valent, & nimio
» plus sibi placent, eos indies deflorescere, & senes
» flaccescere videamus: nam & his iudies aliquid in-
» genij deteret. Iuuenis ille quidem laudabilior poe-
» ta fuit, cum verò ei desedit calor ille & feruor iuue-
» nilis, tanquam amnis sine obice extra ripas sordidè
» diffluens coërceri non potuit: vix enim ea legere
» possumus quæ longius ille ætate prouectus carmi-
» na scripsit. Non ideo hoc vobis de Carmelita di-
» xerim, vt quas ei statuas Mantuani erexerunt deij-
» cerem, sed magis vt vos monerē, quo eum ordine
» habere debeatis: magis emunctæ naris fuisse vide-
» tur Angelus Politianus. Hæc ille.

Equidem P.R. meam quoq; interrogatus senten-tiam, vt fatear ingenuè, Baptistam nostrum Nasonī quàm Maroni, quòd illius extemporalē facilitatē, plerisq; libris, quam huius maiestatem sonorā propius referat, similiorem dixerim, quanquam quod Lilius Politianū Mantuano anteponit non omnino approbandum dixerim, nam quod ad eruditionem pertinet non video qua in re Mantuanus Politiano cedat, siue humaniores, siue Christiano dignas homine litteras æstimare libeat. Quòd verò ad dicendi facultatem pertinet parem, mea sentētia, in tam diuerso dicēdi genere laudē videtur mereri posse.

Politia-

Politianus enim angustiore, verùm altiore alueo ingentem aquarum vim trahit. Mantuanus latius exspatiatur; fluit ille plenior, hic fertur rapidior. Atque (quod erat Longolij de Budæo & Erasmo iudicium) in Politiano plus neruorum, sanguinis, spiritus, in Mantuano plus carnis, cutis, coloris agnoscere est, in illo plus diligentiæ, in hoc plus facilitatis, ille omnia vtilitati, hic plurimum delectationi tribuit. Pugnat ille cura, ingenio, grauitate, dignitate: hic Mantuanus subtilitate, leuitate, iucunditate ad victoriam cõtendit. Ac faciamus quidem alios permultos Palladis afflatos numine, at Gratiarũ choro stipatum Baptistã negare nemo potest, esto quod vitijs sui s faueat, ingenioq; suo nimis indulserit, turbidus extra ripas, sordidiusculè interim fluat, ipse tamẽ sese haud magnis solùm exemplis, sed etiã validissimis argumentis ad Ptolemæum fratrem contra calumniatores in epistola defendit, tuetur, tegitque. Quanquam verò maturus Lilio Mãtuanus poëta non sit, sed extẽporalis, attamen graue quoq; præsertim in Parthenicis atq; calamitatibus, alibi contra ardentem & erectũ, floridũ etiam & amœnũ inuenias. Bucolica quippe humili, mediocri Epigrammata, grandiloquo autem & magno quiddam sonante stylo diuinas Parthenicas esse conscriptas dicere possumus, quod si quis neget, indubiè tamen Trophæum Gonzagæ heroicam planè venam habet, vt vel eo nomine

ſolo Badius pueris verſificatoriæ artis ſtudioſis prælegendum exiſtimet. Sanè niſi & eloquentiæ ſplendor non vulgaris, magnaq; rerum maieſtas tam in poëmatibus eius quàm alijs ſoluta oratione ab ipſo conſcriptis libris ineſſet, Ludouicus Viues, exactiſsimi vir iudicij, in libro quem de tradendis diſciplinis fecit, non tantopere eum laudaſſet, & melioris litteraturæ ſtudioſis enarrandum humanarum artium profeſſoribus commẽdaſſet. Quin [redacted] [redacted] Deſiderius Eraſmus Roterodamus, Ioannem Sapidum Argentinenſem, dum viueret, archididaſcalum, contemtius de Mantuano ſentientem caſtigat in epiſtola quadam ad Iacobum VVimphelingum ſcribens: Demiror, inquit, iudicium Sapidi. Iuro quiſquis ille fuit qui hoc illi perſuaſit, nihil illo ineptius, malim hemiſtichium Mãtuani, quam tres Marullicas myriadas. Neq; hæc duntaxat aut Eraſmi, aut Viuis, ſed etiam Philippi Beroaldi eſt ſentẽtia, qui Mantuanum Virgilio proximum, lõgo quidem interuallo, ſed tamen proximum facit, quòd in eo ingenium copioſum, & mira doctrinæ multiiugæ felicitas exuberet, vti in epiſtola quę hiſce operibus inſerta eſt ſcribit. Demum Ioannes Murmellius in artis componẽdorum verſuum rudimentis, alijſq; epiſtolis aliquot, quoties Mantuanum noſtrũ diſcipulis imitandum proponit? Iodocus item Badius Aſcenſius commentarios in Bucolica; Sebaſtianus Murrho Germanus, trium linguarum expe-

rien-

rientissimus in Parthenicas exegesin scripsere, indubie non scripturi, nisi & sententiarum grauitate, & carminum varietate, iucunditateque legi dignissimum iudicassent. Adde quòd & magnam modestiam in omnibus Mantuani versibus videre est. Homerus quidem, quæ fuit eius submissio animi, neque patriam suam, neque proprium nomen in aliquo suo poëmate edidit de quo Aulus Gellius:

Septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri:
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Qua in re tamen ab ipso plerique poëtæ alij desciuerunt. Publius enim Ouidius Naso dixit:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo:
Peligna gentis gloria dicar ego.
Sulmo mihi patria est gelidis vberrimus vndis.

Sed iactantius multò Publius Virgilius Maro quartum Georgicorum claudens, ait:

– Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorq; volentes
Per populos dat iura, viamq; affectat Olympo:
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studijs florentem ignobilis oti:
Carmina qui lusi pastorum, audaxq; iuuenta,
Tityre te patulæ cecini sub tegmine fagi.

Immo & Thrasonicè magis tertium Georgicorum ita incipit: *- tentanda via est qua me quoque possim*
Tollere humo, victorq; virûm volitare per ora.

Primus ego in patriam mecum (modo vita superſit)
Aonio rediens deducam vertice Muſas:
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas,
Et viridi in campo templum de marmore ponam.

Similem arrogãtiam reſipit exordium primi Æneidos, vbi ait:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena
Carmen, & egreſſus ſiluis, vicina coegi:
Vt quamuis auido parerent arua colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis
Arma, virumq́ue cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lauinaq́ue venit
Littora.

At longè modeſtior noſter eſt Mantuanus, qui ſic nominis ſui meminit & patriæ, vt nullam in eo arrogantiam animaduertas. In laude enim Brixiæ ita habet:

Brixia ſæpe tuas cùm ſis mihi gratior ipſa
Vel non grata minus Manto, genus vnde Maroni
Altiloquo, genus vnde mihi.

In morte item Ioannis Soreti ſic ſcribit:

Verùm bella canant alij, populoſq́ue paternis
Sedibus, & patrio pulſos de littore Graios.
Et veteres odij cauſas, belloq́ue ſubactas
Conſtantine tuas arces, cœlumq́ue Latinis
Infeſtum rebus, fideiq́ue pericula noſtræ.
Semper ego effugi ſtudium Mauortis & arma,
Nec pectus thorace graui, nec tempora cinxi. &c.

Sed inquit Lilius Gyraldus: Baptista iuuenis laudabilior poëta fuit: vix enim ea lectione dignamur quæ prouectiori ætate scripsit. At quæ respōdeo, credere me Agelaria fortè, & quædam alia ex tempore subitò iam seni excidisse, quæ displicere possint, & cum Aiace Augusti in spōgiam melius incubuissent, quàm prælo mandata essent, quòd ab auctore necdum satis elimata fuerint, sed ánne & Apelles Veneris caput & summa pectoris politissima arte perfecit, & (teste Cicerone ad Lentulum) reliquam partem corporis inchoatam reliquit; quid mirum si quæ longius ætate Baptista noster prouectus carmina scripsit ad incudem reuocare, in eo magistratu (qui in ordine nostro summus est) constitutus, non potuerit priusquam á sui studiosis euulgarentur. Hoc profectò senectuti dandum potius quàm criminādum erat. Ceterùm quis est quicum tam sit actum præclarè, vt in eo nullum fuerit districtum atræ inuidiæ spiculum, quum in Tito Liuio miræ facundiæ viro Asinius Pollio quandam Patauinitatem inesse putauerit, quum Attica anus illa Theophrastum, hominem alioqui disertissimum, hospitem dixerit: quum Vectium Lucilius insectatus sit. Ex quibus constat non esse satis si tersum ac limatum sit quod emiseris in lucem, nisi lectores & candidos & æquos nanciscare. Quanquam labant interim nonnunquam, vt Fabij verbis vtar, & oneri cedunt ingenia, vt sit etiam visus Homerus Marco

Ciceroni,& Demosthenis oratio dormitare. Quæ quidem argumento,qualiacunque edideris ea censuram omnino subitura, esse possunt, neque tamen ob id cedendum criticis,sed contra audentius eundum est. Rumpantur ergo licet ilia Codro, vt veritatem libere effari liceat,sapientia, ingenio, grauitate,eloquentia, Baptista noster vir maximi planè ingenij, & veterum ac reconditarum litterarum in primis doctus nulli poëtarum in Tropæo Gonzagæ posthabendus videtur,tam sunt in eo ingeniosè excogitata,astutè ficta, & sonorè dicta omnia, multæque similitudines, & digressiones aptissimè inspersæ,tam vtiles quàm dulces, vt omnibus propterea artis componendorum versuum studiosis prælegēdus rectissimè iudicetur. Adhæc demum poëtæ cōplures sunt,quorum nerui,plectra, & calami nec diuos,nec aras, nec euāgelium canunt,sed Vulcanos, Mercurios, Bacchos, Veneres, turpesque Priapos, auguria & Troias,& inania somnia vulgi, sed Mantuanus de veris cœlicolis poëmata fecit,& nostræ sacrosanctæ religioni Apollinem Musasque seruire curauit. Quoties proinde stichologiæ artis studiosæ iuuentuti præceptores circumspecti præclarum alicuius diui diuæque agonem pedestri oratione canendū dabunt,pro argumento,hunc nostrum Mantuanum præcinentem habituri sunt discipuli, quibus nihil vel parum in hoc genere Virgilius conduxerit, Sed quid tātopere Mantuanū commendo, quum

quum proba merx emtorem facile sit inuentura, & vino vendibili non sit opus suspensa hedera?

Cur autem Reuerendissime Pater Magister noster totius Carmelitici ordinis Generalis, nouissimæ huius omnium Mantuani operum editionis inscriptionem tibi potissimum deberi iudicem, causæ multæ sunt, sed duæ præcipuæ: vna quòd studia nostra theologica binis patentibus litteris, prioribus quidem anno. 1569. Romæ in Transpontino per R.P. Magistrum Ioannem Maierium inferioris Alemaniæ Prouincialem nostrum, alteris anno. 1575. in comitijs Generalibus Placentiæ celebratis, per eximium sacræ theologiæ professorem M.P. Lupum tuum vicarium ac commissarium per Brabantiam, ad me missis, honore, fauore, ac doctorali dignitate, apud quam Vniuersitatem mihi commodũ erit, promouere dignatus sis, quãquam hoc ego memet gradu indignum interim existimo: quare ad alterã huiusce dedicationis causam progredior, quæ est quòd videam te eruditissimorum nostri sacri Ordinis virorum monumẽta quæ situ interitura erãt à carie tam diligenter vindicare. Thomã enim VValdensem contra VViclephum & eius sectæ farraginẽ quanta cura & ingenio nobis restituisti? Laudent igitur ceteri quicunque volent tuarum virtutum ornamenta, extollant pietatem in Deum animique deuotionem, prædicent morum grauitatem, comitatem, frugalitatem, sobrietatem, pudicitiam, &

alia sexcenta virtutum tuarum genera, ego diligentiam qua Ordinem tuum extollis, & affectum erga doctorum nostri Ordinis virorũ libros & monumenta, quos indies expurgas, illustras, & posteritati relinquis, quin laudem, celebrem, deprædicemque nullo modo me contineo vel mihi impero. Æqui boniquè proinde hanc nostram opellam vt consulas, qua possum animi corporisque demissione iterum atque iterum oro. Non desunt multi quoque alij huiusce nostri instituti professores, poësios atq; oratoriæ longè in Gallia Belgica, Celtica, atque Narbonensi, Germania item, Italia, & Hispania me doctiores, sed eorum neminem ad manum, vt me Antvverpiæ hoc tempore Librarius habuit: quare in restituendo Mantuano non quod volui, sed quod potui feci. Vale Pater R. cui me modis omnibus & ex animo commendo. Antvverpiæ ad Scaldim anno CIↃ.IↃ c. LXXVI. stilo Romano Kalendis Aprilib.

I. BAP.

I. BAPTISTÆ MANTVANI, CARmelitæ, Theologi, Philosophi, Poëtæ & Oratoris clarissimi, Psalmi septem, quos Bononiæ edidit dum Ciuitas illa Lue pestifera premeretur, anno Salutis nostræ 1482.

De Flagellis. Psalmus I.

VAlde vtilia sunt nobis flagella tua Deus, & saluberrimæ tuæ correctiones.

Nam quanquã cum iratus es videare terribilis, nunquam tamen à clementiæ recedis itinere.

Probãt hæc antiquæ tuæ misericordiæ, quas veteres patrum nostrorum memorant historiæ.

Cum primus generis nostri parens à te defecisset, & æterni incurrisset interitus damnationem.

Visus es vtique nonnihil excandescere, & hosti vindictæ frameam euaginare.

At quoniam Creator, & Pater illi eras, operi manuum tuarum porrexisti dexteram.

Percussisti vt sanares, non vt interficeres, etenim peculiare tibi munus est sanare.

Tu vitæ Deus, & salutis, immo tu vita, salus, & misericordiæ pelagus.

Sicut cũ incipit medicus mederi, spes est salutis, sic cum tu incipis flagellare, curationis indicium est.

Flagellando mederis, medendo sanas, & sic animarum nostrarum rubiginem tollis.

Naturam non odisti, sed peccatum Domine, sed cutem vulneras, vt vlcus eradices.

Tu rectitudo es inobliquabilis, tu certa regula & mensura omnium.

Quidquid à te discedit prauum esse cōstat, & quod à perpendiculo fugit, obliquum est.

Castiga nos Domine quoniam peccauimus, sed antidotis patientiæ tuæ nos adiuua.

Oleo misericordiæ vulnerum liuorē sana, & lætitiæ tuæ nos serenitate viuifica.

Gloria patri & filio, &c.

De virtute cum gratia. Psalmus. II.

HAmus est terrena felicitas, & captio quo falluntur leues impudentium animæ.

Inter lætitiam & mœrorem discrimen nullum est, in vitam & mortem nullum interuallum.

Nonnunquā infirmi sanis sunt viuaciores, & qui de aliena morte sermocinantur, extremos trahunt anhelitus.

Vnicum est in terris bonum, sed certè rarum, cetera sunt nugæ futiles, & deliramenta.

Virtus scilicet quam parit diligentia, hæc casus omnes ferte odem vultu.

Homo qui virtutē habet, & si mori posſit, vinci tamen non potest, & de gradu suo deijci.

Terrenorum omnium virtus est optimum, sed sola ingentes horret pressuras.

At si sit Dei loricata gratia, pugilem videbis insuperabilem.

Hæc sanctos animos semper comitata est, & per

ignes

ignes & tormenta duxit intrepidos.

Ridebant cum percussor gladium vibraret, cum circumstreperet ignis exultabant.

Nihil est in terris hac virtute dignum, cœlum non satis est, sibi vendicat Deum.

Felix quem Deus hoc affecit munere, in quo terrenos interficit affectus.

Qui iacent in voluptatibus, hinc excluduntur, profani sunt, & pecudum socij.

Corpori seruiunt, cui dominandum est, legem abijciunt cui soli parendum est.

Propterea sinit eos Deus in peccata ruere; quod omnium flagellorum est acerbissimum.

Quos amat Deus à peccatis retrahit, ne iram sibi thesaurizet æternam.

Calamitatum maxima carere Deo, sine quo quicquid est aliud, inane est.

Qui Deum tenet, etsi veste careat, ornatior tamen est firmamento & astris.

Ornamentum Deo gratum, virtus, & gratia, Religio pietas & innocentia.

Hæc hostis à nobis conatur auferre, scit enim his ablatis, nos inermes esse.

Forma, diuitiæ, potentia, sanitas, caduca corporis non animi bona sunt.

Huiusmodi curãt, qui terrena sapiũt, at qui Deum, officij memor est.

Præcepit Deus angelis vt virtutem seruent & eos

quibus cum virtutem viderint.
Propterea cum Sodomam essent euersuri, Loth innocentem iu∴erunt abire.
De leonis faucibus eruerunt Danielem, & tres iuuenes è fornacis incendio.
Susannam à peruerso iudicio, & populum Israël de profundo pelagi.
Iudith ab Holophernis impudica audacia, & Dauid à potenti Saulis inuidia.
Ezechiam à pestis mortifero veneno, & Paulum à freti fluctuantis æstu. Gloria patri &c.

Pro Salute. Psalmus. III.

QVisnam ab omni malo liberatur incursu, & quis ab omni seruatur angustia?
Non qui humano fretus est auxilio, nec qui terrenis fidit adminiculis.
Nam Reges pereunt, & potentes domini, quorum ... plena sunt auro domicilia.
Saluantur quos tu Domine saluare mauis, qui tuum toto corde implorant auxilium.
Qui nudi vitijs ad te confugiunt, & mentis puræ nitorem tibi offerunt.
Omnes quidem amas, quod omnium pater es, sed pios peculiari foues amicitia.
Materno penitētis suscipis affectu, iustis amicus es, superbis Iudex.
Tu si me percutis minimè mortem timeo, nec enim tale patiens dat supplicium,

Ne mihi alium dederis in iudicem, tu causam meam discerne, tu iudica.

Quid mihi gratius præstari posset, quam cum de vita agitur à patre iudicari?

Qui iustus est, iniquitatem odit, qui pater est, misericordia vincitur.

Dedisti Iob in hostis potestatem, afflixisti carnem, non abstulisti vitam.

Miserere Domine fragilitatem nostram, & ab instantibus nos erue periculis.

Vt securi reuocato grege, in ecclesia tibi gratias agamus. Gloria patri &c.

De Dei auxilio. Psalmus. IIII.

DVm in tribulatione constitutus essem, timor & tremor irruerunt in me.

Suffocabar à formidine, vix respirabam, sepulti erāt præ tristitia sensus omnes.

Post me currentem mortem intuebar, & sagittas ex pharetra promentem.

In fuga spes non erat: nec in virtute mea vlla videbatur euadendi via.

Ecce diuini numinis radius repente ad contemplanda cælestia mentem excitauit.

Recordatus sum misericordiarum Dei, & quod mitis est, & placabilis Dominus.

Animaduerti patrem me habere Deum, & quod in eius manu, salus mea esset.

Tunc ad me conuersus, respiraui paululum, & cu-

rarum

rarum moles importuna fugit.
Et dixi animæ meæ, Cur sic affligeris, patris æterni filia, cur sic te maceras?
Nusquam maior est quàm in cœlo clementia, ad cœli dominatorem confugito.
Nonne olim mortali carnis nostræ tunica, nostræ salutis causa se vestiuit?
Si pro nobis laborauit, esuriuit, fleuit, quomodo nunc potest nostri non misereri?
Surge, cur dormis Domine? succurre nobis, nostra debilis cymba pene fluctu obruitur.
Da nobis tranquillitatem animi, & tépestate quassatos, in portum redige.
Desperassem Domine, nisi succurrisses, tu vita, & salus & fortitudo mea. Gloria patri & filio &c.

De cura Dei circa homines. Psalmus. V.

REctißima sunt cuncta Dei iudicia, & paterno condita sunt fauore.
Mens cum secura est, & pace fruitur, soluitur, audet, euagatur, effluit.
Et lasciuiétis pueri more discurrit, cum aream pratumue florens intrauerit.
Deum deserit, nec factorem cogitat, & inanibus curis implicatur.
Hæ sensum animum circumuolutæ implicant, sicut muscas araneus irretire solet.
Paulatim implicatum à via seducunt, & pedetentim improuidum à iustitiæ deturbant itinere.

Deus

Deus hâc improbam videns proditionem, sicariorum occurrit insidijs.

Animum ne æternum incurrat interitum, missa tribulatione terret & excitat.

Et quasi delusum ebrietate concutit, & tanquam filium Pater verberat, vt liberet.

Animaduertite omnes qui in angustijs laboratis, & sapientissimam Dei laudate bonitatem.

Coquitur aurum quò fiat pretiosius, flagellatur triticum vt paleas exuat.

Torquetur pannus vt sordes exprimantur, ceduntur lapides, vt quadrati fiant.

Qui nesciunt hæc, labant, & tabescunt, & cælorum cardines ruituros putant.

Tolerate Domini medicantem manum, ipse salutis nostræ curam gerit vigilem.

Scit qua morbi nostri arte curari queant, & saluberrima nostris adhibet fomenta vulneribus.

Obsecro Domine quoniam pius es, salutem nobis confer & lætitiam. Gloria patri &c.

De Fortitudine. *Psalmus VI.*

AD Dominum cum tribulatus irem, fortitudo & fiducia obuiauerunt mihi.

Stulte (dixerunt) quid vane turbaris, non est hoc constantis hominis officium.

Timendum nihil est præteritum peccatum, quo Dei suscitatur indignatio.

Qui si peccati labe vlla premeris, contriti cordis

cordis offer Deo victimam.

Holocaustum hoc est Deo gratissimum, & omnem potens placare furorem.

Rupto peccati vinculo contumacis, fautricem Dei vocato clementiam.

Hæc cordium clamore solet excitari, & piæ mentis flectitur gemitibus.

Deus cuius natura mitis & benigna est, negare nesciet quæsitam opem.

Hæc feci, & tantum concepi fiduciæ, vt in nullo me putem positum periculo.

Festinate ad istas qui sititis aquas, nec vlla vos angustiæ terreat immanitas.

Non abs re Deum panomphæum vocant, etenim omnium clamantium ad se voces audit.

Nec audit solum bonos, sed exaudit, tantum sit cura vobis, vt boni sitis.

De bonitate tua præsumentes, Deus ne deseras, sed misericordiæ tuæ diuitias ostende.

Sicut ad matrem pulli, ad te confugimus: circumuolantem inimicum abige.

Nec expectamus aliunde subsidium, si tu saluare renuis, adest interitus,

Si ad te confugientes perire decet, nemo est qui salutem sperare possit.

Gloria patri & filio &c.

De tollendis aduersitatibus.

Psalmus. VII.

BLandum malum est otium, & dulcedo vitæ, rerum prosperitas eneruat animos.

Reddit tribulatio robustam mentem, & contumaces animos ad Deum ire compellit.

Fer quicumque sapis disciplinam Dei, & æqua mente tolera cum castigaris.

Erueris, ne dubita: esto longanimis, fauorem Dei videbis & auxilium.

At qui ducunt in bonis dies suos, nec virtutem amant, nec Deum verentur.

Incidunt in subitas calamitates, nec erit qui consoletur, & manum porrigat.

Memini me aliquando à fluctibus maris deprehensum, & auxilio Dei reiectum ad littus.

Memini me toties fauces mortis incurrisse, & Dei patrocinio reuulsum fuisse.

Misericordia Deum toties expertus sum, nunc eũ factum crudelem credimus.

Nunquid ille nostris non gaudet bonis, an illum nobis inuidentem dicimus?

Quiesce iam cor meum, diu viues, exercemur enim non mortificamur.

Timorem Dei tanquam thesaurum serua, hoc nostrum vallum, hoc nostrum sit munimen.

Pugnabunt angeli sancti pro nobis, & aduersantes conterent hostes.

Gloria patri & filio &c.

INnumeræ nos inuasere tribulationes, & vndique monstris inplicabilibus obsidemur.

Mors pedibus nostris laqueos tetendit, & pestilentiæ veneno nos impetit.

Vitæ nostræ solatium rapuit, iuuenem quo non erat præstantior.

Malignis angelis in prædam dati sumus, & inimicis nostris in rapinam & direptionem.

Domus omnis m… rore plena est, tabescunt lugentium corda pauentia.

A mortis facie fugientes dispersi sumus, sicut subita tempestate solent agricolæ.

Templum mutum est, & altaria silent, sacrarium situ plenum est & squallore.

Vacuæ sunt porticus, deserti parietes, vbi sanctis moribus erat contubernium.

Solicitè gemitus sonant & lamenta, vbi quondam disciplinarum omnium florebant documenta.

Stulti qui terrenæ fidunt prosperitati, & caducis in rebus spem vllam collocant.

Vide Domine consternationem nostram, & nostris succurre calamitatibus.

Esto nobiscum in tribulatione nostra, vt per sanctos patres nobis es pollicitus.

Gloria patri & filio &c.

Psalmorum finis.

EIVSDEM

EIVSDEM BAPTISTAE MANTVANI APOLOGETICON IN MASTIGOphoros & castigatores suorum Operum.

AD EOSDEM FVSCARIVM DICO & Refrigerium, Patronos suos obseruandissimos.

QVoniam fortasse complures rei (vt mos est) nouitate pellecti, etsi non perlegent, legent tamen Parthenicen nostram sub vestris iam iam nominibus ædendam, ne in aliquem malæ opinionis morbum incidant: volo quandam salutaris Antidoti synthesim eorũ mentibus admouere. Omnes tamen pręmonitos volo, si quid meæ iucundissimę Parthenicæ decoris & venustatis deest (multum autem deesse quis dubitat) impatienti Refrigerij desiderio totum imputandum esse, cuius longis precibus expugnatus me exorari, & libellum quasi implumes pullos, ante tempus passus sim euolare de nido. Nec erat eius aliud

† desi-

desiderium, quàm vt sanctissimæ virginis laudes à pluribus legerentur, & Parthenice nostra Poëtico vestita decore de Ecclesiastico prodiens Gymnasio populi in se conuerteret intuitum. Sed nescio an quod voluit obtinebit, pia sunt vota, sed metuo ne non fœlici fraudentur euentu. Nam nec qua debuit lima cruciata est, nec hominum mentes (vt esse deberent) affectæ sunt. Nam dum quisq; temporum vitio cumulandis opibus, aut augendis honoribus operam impendit, liberales artes intermittuntur, quæ inter humana bona solæ sunt verum decus, & honestissimum peculium: sed de his aliâs. Nunc ad præsens institutum accedamus. Videbor fortasse contra & consuetudinem, & professionem meam nimium excandescere, & Rhodio seu Lydio Herculi sacrificare: sed si nonnihil (quod neque propositum est) limitem excessero, detur rei contra quam dicturus sum indignitati, & iniuriæ quam quotidie patimur grauitati. Meminerit quisq; Mosem iusta indignatione commotum, Tabulas Dei digito scriptas confregisse, & consideret D. Hieronymum suorum detractorum, quos sæpè canes nominat,

male-

maledictis respondere coactum, tãto nonnunquam stomacho moueri, vt etsi nunquam iustitiæ & veritatis, aliquando tamen modestiæ & grauitatis videatur oblitus. Et quis aduersus hos iniquos Iudices vocem non tollat, qui asſiduè contra mei similes tam ineptè, tam proteruè, tam procaciter, tam petulanter obloquuntur? Aiunt nos leuibus studijs oblectari, nec carmina decere religiosum virum, hæc condemnationis nostræ causa est: contra hos, duce veritate, paramus expeditionẽ. Hi proculdubio si errorem suum cognoscerent, si saperent & intelligerent, in æternum silentium obmutescerẽt. Et si quoties peccant atramento linirentur (vt quorundam ludorum lex postulat) Andromada & Mennone nigriores essent. Vellem Hieronymum legissent, & scirent an mulierem alienigenam bello captam, postquam decaluata est, in matrimonium ducere liceat. Quid sit Aegyptum vasis aureis & argenteis, omniq; preciosa supellectile spoliari ab Hebræis. Quid mysticè significet templum Dei, & Archam Legis auro barbarico decorari. Quid est quòd Salomon, id est, Dei sapientia, templi materiã, & ornamentũ omne

ex Libano, Phœnicia & Gentilium Insulis aduexit? Quid est reginam Sabæorum, qui erāt Ethnici Arabiæ populi, tantam odoramentorum copiam Hierosolymam ad regem pacificum attulisse? Quid est tres Magos auro, thure & myrrha Christum in cunabilis adorasse, & barbara, peregrinaq; lingua Mariam salutasse? Cur putas Ioseph & Mosem omnem Aegyptiorum sapientiam didicisse? Certè per hæc & his similia significatur omne quod in terris boni erat, siue rerū, siue sermonis, Christo deberi, quod ipse postea expressit, dicens: Quum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum. Ergò de numero omnium non est eloquentia nec Poësis? Quis Angelorum vobis, ô Critici, reuelauit ab illa generalitate duo hæc excludi? Quid est quod in Psalmo legitur? Myrrha & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circum amicta varietate. Hęc etsi ad virtutes & mores referri videantur, nihil tamen prohibet & ad eloquium sermonisq; varietatem extendere. Nam teste Iob, Lex Dei & sermo multiplex est,

est,nec vnam habet interpretationem, cum au
ctore Paulo: Vnusquisq; in sensu suo abun-
det. Vellem ne toties bonos incesserent, anti-
quissimos & sanctissimos Hæbręorum viros,
scirent non legisse modò, sed factitasse versus
& Poëmata, Poëtasq; fuisse, sed alio nomine
carmen appellabant: nam cantica, psalmos,
hymnos magis vocabant quàm Poëmata, vt
illud: Te decet hymnus Deus in Syon. Et il-
lud: Psalmum dicite nomini eius. Et iterùm:
Sumite psalmum, & date tympanum, psalte-
rium iucundum cũ cythara. Et iterùm: In psal
mis iubilemus ei. Et item illud: Exurge psal-
terium & cythara: nonnunquam & carmen di-
cunt, vt illud: Carmen Deo nostro. Sed quid
de vocabulis est concertatio? cùm eandẽ rem
esse constat, quam Græci psalmũ & hymnum
dicunt,nos carmen appellamus & versus. Di-
cite, Moses sanctus fuit? scripsit Moses car-
men, & illud filios & filias iussit ediscere. An
Dauid sanctus est? At Dauid Psaltes, Cytharœ
dus, & Poëta Lyricus fuit. Audisti cùm lege-
retur in psalmo, Exurge gloria mea, exurge
psalterium & cythara? Audin,audin? Psalte-
rium & Cytharam gloriam suam vocat. Sed

quid quasi in re dubia hæsitamus? interroga doctissimos Hebræorum: lege Hieronymum fidelissimum interpretem. Credo ego Dauid, & naturalis & moralis Philosophiæ studiosissimum fuisse, & poëtico, diuinoque spiritu nonnunquam incaluisse, vt aliquando prophetaret non aduertens quid diceret. Audi Psalmum: Cœli enarrãt gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentum. Audi & alium: Delectasti me in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Et paulò infrà: Redarguens eos, qui à scientiarum contemplatione cessant, subiungit, Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Et in alio psalmo legitur: Deus scientiarum Dominus est. Dicite Hieremias sanctus est? At ipse numeris Threnos scripsit, quo genere poëmatis primus Simonides apud Græcos visus dicitur. Quid de Iob sentitis? magna pars calamitatum suarum heroico versu, Hieronymo teste, decurrit. O sapientes viros, & dignos, quibus Ecclesiæ credamus habenas. proscribere volunt carmina: proscribentur ergò Mosis, Dauid, Hieremiæ & Iob, immortali veneratione digna volumina. Aequo animo

mo estote iudices, nec præcipites in sententiam ruatis, date diei dilationem, peregrini testes audiendi sunt. Sed quid est, vos rogo, die noctuq; in Ecclesijs carmina legimus & cantamus, vosipsi nonnunquam adestis cùm canitur:

Iam lucis orto sydere. Item:
Conditor alme syderum. Item:
Ales diei nuncius, Lucem propinquam præcinit, Aurora lucis rutilat. Item:
Lux ecce surgit aurea. Item.
Aeterna cœli gloria: Beata spes mortalium, Altitonantis vnice: castaq́; proles virginis. Item.
O quàm glorifica luce coruscas. Et item:
Sanctorum meritis inclyta gaudia. Item.
Iste confessor Domini sacratus. Item:
Salue sancta parens enixa puerpera regem, Qui cœlum terramq́; regit.

Adestis, inquam, cùm hæc & id genus alia, vel leguntur vel canuntur, tacitè cornicamini, quæ auditis laudatis, talibus placari Deum confitemini: hæc Poëtarum carmina sunt, & Poëtarum carmina vultis explodere. Idem placet & displicet, idem probatis & improbatis: quod quantum vitium sit Dialecticos interrogate. Satius erat vobis ta-

cuisse,& digito compescuisse labella. Debebatis ea saltem diuinæ scripturæ verba timere. Væ vobis qui dicitis bonum malum,& malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Vestræ inconcinnæ nugæ præclaris ingenijs scãdalum sunt, sanctis virtutum conatibus obsistunt,acediæ, ignauiæq; semina spargũt.Longè aliter locutus est Christus, scrutamini scripturas inquit, & in discipulos irasci visus est, quòd parabolas apologis persimiles tardius intelligerent, cùm dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis. Isti (vt arbitror) quadam sua bona (vt aiunt) voluntate contenti, intellectum excolere negligunt huiusmodi vita si bona sit nescio, certè eam Hieronymus rusticam vocat.Ego existimo bonum virum essenõ posse, qui vel sua vel aliorum prudentia nõ regatur. Oportet ergò istos si boni esse curant, vel quæ dicimus scire, vel scientibus credere. Credant ergò nobis, & sileant, & nos quoq; receptui canemus. Aiunt sanctos viros ignaros litterarum fuisse, fateor de quibusdam, sed erat in eis Dei spiritus rerum omnium scrutator & doctor. Rudes erant inquiunt Apostoli: Non inficior eos, cùm ele-

&i fuerunt, rudes fuiſſe, ſed expoliuit eos Chriſtus, & diſciplinæ ſuæ magiſterio formauit. Cur Paulus vas electionis appellatus eſt, an quòd piæ voluntatis motu ferretur? nõ vtiq; ſed quòd diuinæ legis & ſcripturarum erat armarium: ſic Hieronymo placet. Si aliter ſentitis, vel Hieronymo prudentiores, vel peſsimi hominum eſtis, quia nec prudentes eſtis, nec prudentibus aſſentitis. Tria hominum genera canit Heſiodus. Vnum eorum, qui quæ agenda ſunt, vident, aguntq;: & hi quidẽ optimi ſunt. Alterum eorum, qui etſi non videant, videntibus tamen obediunt, & hi quoq; boni ſunt. Tertium penitus inutile & abominandum, eorum ſcilicet, qui nec ſua (vt dixi) nec aliorum prudentia gubernantur: propterea in pſalmo dicitur, Gens ſtulta, & abſq; conſilio, vtinam ſaperent & intelligerent, & nouiſsima prouiderent. Colenda ergò ſunt ingenia, ſcrutandæ Scripturæ, rimandi Codices, euoluendæ hiſtoriæ. Auguſtini verba ſubijciam, ſic enim in libro de doctrina Chriſtiana nos inſtruit, dicens: Philoſophi maximè Platonici, ſi qua fidei noſtræ conſentanea dixere, non ſolum non formidanda non ſunt, verùm & ab eis, tan

quam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum conuertenda. Respondebunt fortassis, de Philosophis Augustinum non de Poëtis loqui, verum aiunt, sed nunquid Poëtæ Philosophi non sunt. Quæ sententia illa est?
Discite iustitiam moniti & non temnere diuos.
Et illa: Morte carent animæ. Et illa, qua inquit apud inferos purgari. Quæ quis apud superos, furto lætatus inani: Distulit in seram commissa piacula mortem. Nonne oẽs Platonicæ & variæ immo & Catholicæ? Empedocles Philosophus & Poëta fuit, putauitq; omnia ex aquis progenita: Nam Oceanum omnium patrem dicit. Ille ipse, de quo Augustinus ait, Plato, Poëta fuit & Philosophus. Marcus Manlius Philosophus & Poëta. Macer philosophus & poëta. Quintus Serenus & Ausonius Medici & poëtæ. Quum Vergilij Georgica legis philosophiam legis. Tota Aeneis Ethica est, docet enim quo pacto vir fortis omnes casus ferre debeat, quid in omni fortuna sentiendum, quid dicendum, quidue tacẽdum sit. Et magnus est in eo libro cæterisq; similibus non eloquentię solum, sed omnis scientię sapientiæq; thesaurus; & licet istæ pueris tradan-

dantur, sunt tamen viriles, senilesq; lectiones. Sed ne forte dicere audeant apud antiquos Ecclesiæ Doctores & Magistros, nullam fuisse poësim (facile namq; in id mendacium prolaberentur, nullam habentes Historiarum notionem) volo eorum occurrere delicto, & ne se tanti criminis reos faciant obstare. Nobile psychomachiæ opusculum Christianum habet auctorem. O mastigophori, castigatoresque nostri videbitis illic figmenta & prosopopeias vbique resonare. Quid de Paulino, Nolanæ vrbis Episcopo, Hieronymo contemporaneo & familiari? Nonne pulcherrima, quæ adhuc extant & semper extabunt, excudit poëmata? Cùm adhuc Adolescentulus essem, & à studijs Ecclesiasticis, more illius ætatis abhorrerem, fortè in ea poëmata incidi, & carminis suauitate delectatus, animum ad res diuinas paulatim appuli, & ex illo tempore, sacrarum litterarum studiosior fui. Sic precor accidat ijs, qui mea legent, & fiant Libelli mei quasi Apostolica retia, & trahendis ad Christum hominibus laquei tenaciores. Ambrosium, Mediolanensem Archiepiscopum, & Bedam Presbyterum

taceo, quorum alter scilicet Ambrosius, pulcherrimos & Pindaricam officinam redolentes hymnos, odasque venustissimas: alter de componendis versibus libellum conscripsit. Certùm est mihi cum his præstantibus viris malle carpi, quàm vobiscum, ô censores mei, ab imperito vulgo prædicari. Volo ante istorum oculos Iuuencum Hispanũ statuere: quem inter illustres viros, & in doctissimorum virorum cathalogo Hieronymus enumerat: vt accidat eis quod à Persio dicitur:

Virtutem vt videant intabescantq; relicta.

Prodite ô Zoili nostri, videte virum sacris initiatum mysterijs, lauro coronatum, Musis vndiq; cinctum, lyram tenentem, currite ad rarum hoc & grande spectaculum, sed cauete ne repentè culpetis: laudatur hic ab Hieronymo. Hic igitur immensam Euangelicæ legis maiestatem versibus includit heroicis, & idem alij fecere Christiani, & grauissimi, & sanctissimi, quorum, cùm opus erit, mentionem faciemus. Non enim hanc volumus in vestras durissimas frontes esse vltimam expeditionem. Et quoniam carmen vituperant, inspiciamus quid carmen sit, quid mali concludant. Iudicio

meo

meo licet ita carmen diffinire, quòd oratio sit strictiori pedum lege coërcita, & ornatissimum dicendi genus. Quid hîc mali latet? quid non potius boni. Sic rerum naturæ perspiciuntur, cùm per analysim in principia causasq́; resoluuntur. Oratio quid in se mali contineat non video, qui vidit ædat: pedibus esse coërcitum, quis malum putat? At hæc est carminis natura: Dicant isti malos esse versus quòd sæpius in vsus malos venere: at si propterea malos dicunt, quid peius auro, de quo illud Phocyllidis:

ἡ φιλοχρημοσύνη μητὴρ κακότητος ἁπάσης,
χρυσὸς ἀεὶ δόλος ἐστι, καὶ ἄργυρος ἀνθρώποισι,
χρυσὲ κακῶν ἀρχηγὲ, βιοφθόρε, πάντα χαλέπτων,
εἴθε σε μὴ θνητοῖσι γενέσθαι πῆμα ποθεινὸν,
Σοῦ γὰρ ἕκητι μάχαι τε, λεηλασίαι τε, φόνοι τε.

Auaritia mater malitiæ vniuersæ,
Aurum semper dolus est & argentum hominibus.
O aurum malorum princeps, vitæ destructor, omnia difficilitans.
O vtinam te non mortalibus natum nocumentum amabile,
Tui enim causa, pugnæq́, prædæq́, cædesq́ (subaudi fiūt)

Quid ligno, quid equis, quid ferro peius? quæ

quæ tot bellorum incendijs, terra, mariq; vsum præbuere? Mala erit tellus, malum mare, addamus totum illud Hesiodi, in Opera & die.

ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται,
πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα,
Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ, αἳ δ' ἐπὶ νυκτὶ
αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι
Σιγῇ, ἐπεὶ φωνὴν ἐξείλετο μητίετα Ζεύς,

Sic autem translata sunt Hesiodi verba:

Innumeræq; etiam mortale vagantur
Per genus infandæ species, quibus æquor & omnis
Terra infecta tumet, morbi noctesq; diesq;,
Sponte sua sine voce ruunt, Vocem abstulit illis
Iuppiter.

Mala sydera, quibus nonnunquam malè vtuntur Astronomi. Concedo magnæ vanitatis poësim non suo, sed abutentium vitio fuisse ministram. Sed Maria Magdalena quid fuit? Matthæus Apostolus, Paulus quondam lupus rapax quid fuere? & tu fortasse quid aliquando fuisti? non sunt destruendæ res bonæ, quòd malis vsibus seruiãt, sed ipsis si fieri potest seruatis, castigandi sunt peruersè vtentes. Origenes inquit, res quæ per naturã bonæ sunt, dum his malè vtimur, nos ad peccata deducũt. Non est mala res, vidit enim Deus cuncta quæ fecerat,

rat, & erant valdè bona, sed abusus malus est. Carmen si malum est, omnē orationem fateri malam necesse est. Si enim quod in aliquo genere nobilissimum est, malū est, totum genus malum est. Sed nolo in hostes Dialecticis amplius terminis pugnare, ne se insidijs circumueniri querātur, nec volo illū imitari, q dixit.

Mutemus clypeos, Danaumq́ insignia nobis
Aptemus, dolus an virtus quis in hoste requirat.

Volo aperto campo collatis signis milite virtute, duce veritate, iusto Marte decernere. Dicunt poēsim inuentum esse Gentilium, & propterea respuendam, si consecutionū (quas modò neoterici consequentias vocāt) legē agnoscerent, putas ista dicerent? si aliqua perfectæ virtutis vena viueret in istis, nō esset nobis ista certandum palæstra, sed ad omnia aduersa patienter & æquo animo perferenda, me semper illa Gregorij maximè adhortata est sententia, quę inqt, quod flagellū grano, ꝙ fornax auro, quod lima ferro, hoc facit tribulatio viro iusto. Item illa, Tolerādi vbiq; sunt mali quia Abel esse non potest, quē Chaim malicia nō exercet. Tolerare ergò debeo, tacere non debeo. Cuius malus est inuentor, malam rem esse respondēt:

Malæ

Malæ ergò sunt litteræ Latinæ, quarum (vt aiunt) inuentrix est Carmenta: malæ Græcæ, quarum auctor est Cadmus: malæ omnes artes liberales quæ sunt inuenta Paganorum. Nihil erit in hoc mundo boni, præter id quod in hortis istorum aut agris nascitur. Non vtentur fabri serra, non ascia, non perpendiculo, non terebello, nec nautæ malo, antennaque, quorum omnium inuētor Dædalus fuit. Prohibeatur & currus, quem primus excogitasse dicitur Erichthonius. Septineruis lyra Mercurij est, cauete musici. Istis cùm ægrotabunt ne adsitis Medici, ars enim vestra descendit ab Aesculapio. Synthesim Mithridaticam ne dederitis, Pontici regis est condimentum. Verùm hæc manifesta deliramenta cùm sint, nec confutatione egeant, ad alia obiecta transeundum est. Damnandam esse Poësim volūt, quoniam falsa deridendaq; contineat, & illius versiculi præsidio freti, festuca moliuntur leonem occidere.

Nam miranda canunt, & non credenda Poetæ.

Cur non potius illud Horatij in arte Poetica proferunt? Dictæ per carmina sortes, Et vitæ monstrata via est & gratia regum. Nil intentatum

tatum noſtri liquere Poëtæ. Quid ad hoc aliud reſpondebo, quàm quod à Lactantio Firmiano viro & Chriſtianiſsimo, & doctiſsimo in diuinarum inſtitutionum libro dictum repperi. Dicam igitur Poëtas veraciſsimos eſſe. Sed oportere volentem eos intelligere præmonitum eſſe, non nomina ſolũ, ſed res ipſas apud Poëtas & ſacros Codices aliquando ſignificare res alias, & ſic fieri, vt conſideranti tantum voces,& prima vocum ſignificata non ſolum Poëtarum,ſed & Scripturæ ſacræ textᵘ inſulſi, falſiq; videantur. Vt eſt illud in Pſalmis: Vineam de Aegypto tranſtuliſti: eieciſti Gentes, & plantaſti eam. Dux itineris fuiſti, in conſpectu eius plantaſti radices eius,& impleuit terram: operuit montes vmbra eius & arbuſta eius cedros Dei. Extendit palmites ſuos vſq; ad mare, & vſq; ad flumen propagines eius, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam. Exterminat eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Si quis Poëtarum noſtrorum hæc texiſſet, fabulam ſcribere diceretur. Hic igitur non ſolum quid voces, ſed etiam quid vocum ſignificata deſignent aduertendum eſt, & ita quid per ra-

)(dices

dices & palmites, quid per aprum & singularem ferum exprimere voluerit, subtiliter inquirendum. Et in Euangelio de Vinea & Torculari, de patrefamiliâs & vineæ operarijs, de filio prodigo, & huiusmodi alia multa, quæ fabulis simillima videbuntur, si iniquum sortiantur interpretem. Simili modo si quæ apud Poëtas inueniuntur fabulæ, pertractentur, veraces inueniantur. Cùm Dædalus, Bellerophontes & Perseus volasse dicuntur, quid per volatum intelligi debet, nisi celer aduentus? Quum in lupū mutatus Lycaon dicitur, quid lupus nisi rapacem violentumque latronem ostendit? Quid est Halcyonem in auiculæ transisse figuram? Nempe nihil aliud quàm post Cæycis viri fata in illius auiculæ mores transmutatam. Vel huiusmodi volucres solitarias, & quasi asiduo luctu mœrentes, & Halcyoni similes ostendere Poëtæ voluerūt. Et de similibus idem iudicium est. Bucolica carmina canere & meditari est pastores rusticos effingere. Comœdias scribere est mediocris & infimæ sortis personas exprimere, & auditores, lectoresque mores hominum varios docere. Et Poëtæ proprium est verita-

tem sub aliquo velamento nouæ decentisque figuræ recitare. Sicut mulieres ad animorum voluptatem veros panes sub auium nonnunquam figuris & brutorum imaginibus abscondunt. Hinc metaphoræ, hinc somatopeiæ seu prosopopeiæ, apostrophæ & tropologiæ omnes, & schemata descendunt, quibus ad euidentius & ornatius eloquendum non Poëtæ solum, sed & sacræ paginæ Prophetarum præcipuè die noctuq; passim vtuntur. Legite librũ Augustini de doctrina Christiana, legite Bedæ librum quem de huiusmodi figuris ædidit, nostrum, id est, Ecclesiasticorum auctorum semper exempla subijciens. Quòd tanti ornatus studiosi sunt Poëtæ vitio datur: at si æquum est hoc iudicium, Deo & naturæ vitio detur, quòd terras tanta arborum, herbarumq; viriditate, & florum varietate decorarint, quòd cœlo tantum decus addiderint, quòd auroram luciferumque tantæ venustatis gratia vestierint. Sed nec propterea muliebrem cultum admittimus, quem vtique admitterem, si sine mentium nostrarum periculo & virtutum detrimento fieri posset. Laudare Deum bonum est, quantò

comptior laus erit, tantò magis vnumquemq; delectabit, magis ad legendum inuitabit, corda magis excitabit: sed huiusmodi laudes, hymnosq; barbari lingua nõ præstabunt. Arte opus est & ingenio, ars hæc dicendi, ars est maximè poësis, cuius tanta est ad persuadendum dissuadendumq; vis, vt etiam manifestè falsa credi coëgerit. Ab indocto artifice Christum fingi licet, nonne & à perito? Communibus verbis & sermone rudi Deum laudari nemo nephas putat: at cur non egregia limataq; licebit oratione? Hæc autem Poëtarum est, quibus præstantissimũ dicendi genus conuenit. Nec fuit ad confutandum deorum vanitatem vtilior vllo, quàm Poëtarum lectio, ipsi namq; deorum furta, sceleraq; detegunt, & deos ipsos quos laudare videntur explodũt. Non timebimus igitur ad res diuinas transferre carmen, & nostræ diuitias orationis (si quæ sunt) in medium ad Apostolorum pedes afferre. Si ornate laudare bonum est, ornatius laudare melius est, ornatissimè verò optimũ erit. Ego si optimè non potero, benè dicere conabor. Si benè loqui nequiuero, & frigidus obstiterit circùm præcordia sanguis, saltem velle

velle concedetur. Nolo talentum mihi traditum more serui,nequam abscondere. In templũ Dei quisq; quod potest offert, calix aquę frigidæ, non contemnitur. Puto ergò, quum ad Poëticum exercitium me conuerto, si quid aptius exit,quãdo hæc rara auis est,à Deo mihi dari:Deo,inquã,qui trinus est,non ab Apolline, & quoties Apollinem nomino,nemo sit tam vecors & leuis, vt putet me veteres deorum statuas instaurare velle:neq; enim Plastes sum, sed per Apollinem id intelligo,quod nominis etymologia secundum Chrysippum ostendit, scilicet quòd solus est, & non multi: intelligo igitur eũ de quo dicitur:Audi Israël, Deus tuus vnus est. Quid si eodem modo Iouem,hoc est,iuuantem patrem,seu more Gręco diespitrem, Deum verum vocauero? qui hæc nomina falsis dijs imposuere mendaces fuere, quia rebus malis bona imposuere vocabula, nec erant illorum deorum hæc nomina, nostri Dei erant & sunt,qui ita solus est, vt trinus tamen sit: solus siue (vt nostrorum vestigia non omittam) vnus in essentia, trinus in personis: ipse verè iuuans pater est,& eum Iouem appellari nihil est aliud apud intelligentes,

tes, quàm rem aliquam ab iniusto possessore ad proprium dominum reuocare. Quòd si eò quòd quidam dæmon Iuppiter est appellatus, non placet Deum nostrum Iouem, id est, iuuantem patrem nominari:& si bona quę dijs falsis imposita fuere nomina, non est fas ad verum Deum transmigrare, hoc quoque nomen Deus reticebimus: nam Iuppiter Deus dictus est. Summam igitur illam virtutem quæ summa prouidentia omnem mundum regit & condidit, non vocabimus Deum, quoniam tali vocabulo dæmones qui in idolis includebantur vsi fuere. Antiquissimus ille falsus erat Iuppiter, noster autem Deus verus Iuppiter est. In his tamen sanctorum Patrum sententiam imitari semper consilium fuit & est, eritq; dum spiritus hos reget artus. Nonnunquam etiam veterum deorum nomine stellas ipsas, vel aliquam Dei creaturam intelligo., vt per Vulcanum ignem, per Martem stellam, quę in quinto orbe est vel bellum, per Cererem terram vel triticum, vel panem, per Neptunum & Nerea mare, per Nymphas aquas, per Musas scientias exprimere volui, vt asperitatem vocabulorum euitem, & vt carmini-

minibus maior insit venustas, quæ si secus fierent sicca arida, & nimium seuera tetricaque viderentur. Fati nomine non illam causarum seriem vndè volunt quidam nos cogi, sed Dei ipsius voluntatem, decretumq́;, vt sæpenumero Seruius in Vergilium exponit significari volo, nonũnquam etiam, & ipsam syderum cœliq; virtutem, & si nobis necessitatem non imponat, tamen in hæc inferiora corpora, seu simplicia sint vt elementa, seu mixta imperfecta vt ros & grãdo, seu perfecta inanimataúe plurimum posse nulli sapienti dubiũ est, quod si quis manifestè indubitateq; velit agnoscere theologorum & Scoti pręcipuè in secundo sententiarum commentaria legat & quæstiones. Cùm fortunam nomino, non deam deumúe aliquem cogito, sed occultam aliquam latentemq́ue causam, aliquando & prosperitatem fœlicitatemq́;. Omnia hæc euitare pulchrum Poëma condere volenti difficillimum arbitror, quòd si veteres Poëtæ, quorum fecimus mentionem, hæc euitare studuerunt, ideò fecisse arbitror, quòd nondum penitus illorum deorum cultus euanuerat, sed postquam victor omnium deorum factus est Christus, & vbiq;

positis præsidijs, fugata est dæmonum militia, licet eorum nominibus impunè vti. Tunc regni nouitas talia cogebat moliri, & latè fines custode tueri: at nunc nō submoto, sed extincto hoste, licet prædam recensere, ouationes triumphosq; celebrare, optima spolia Deo nostro suspendere, trophæa plurima ponere, quò tantæ semper duret fama victoriæ. Nunc hostes & inimici Christi, qui aliquando fidem persequebantur, dij scilicet falsi nunc in eius pedum scabellum conuersi sunt, calcat eos pedibus Christus, ambulans super aspidē & basiliscum, & conculcans leonem & draconem. Scuto circundat nos veritas eius, nec timemus à nocturno idololatriæ timore. Angelis sanctis Deus mandauit de nobis, vt custodiāt nos in omnibus vijs nostris. Si veterum deorum memoria tolleretur, Christi magna ex parte apud nos gloria laberetur. Non fuit speciosus de Numantinis triumphus, quoniam nullæ exuuiæ in pompa visæ sunt: at de Perseo Macedoniæ rege pulcherrimum spectaculū fuit, quòd ipse inter ciues suos captiuos captiuus rex, sonantibus cathenis, populo Romano applaudente, ductus est in Capitoliū. Nos quoq;

ſæpius dominicam victoriam memorantes, Iouem, cæteroſq; deos nominamus, ſicut in fidei ſymbolo Pilatum, in Euangelio Caypham & Herodem. Tunc mirabilior & iucundior triumphus eſt, quum captiui ipſi dinoſcuntur, & ſcitur hunc regem eſſe: illũ filium regis, hunc fuiſſe ducem, illum Centurionem. Qui nouit quanto cultu olim Romani Iouem, Venerem, Martem, Athenienſes Mineruam, Libyci Iunonem, Epheſij Dianam, Rhodij & Delphici Phœbum venerati ſint, mirabitur tantã mundi mutationem, quæ non niſi diuina virtute fieri vllo pacto potuerit: qui hæc ignorat, neque admiratur, neq; conſiderat. Nec miretur vllus ſi cynoſuram, ſi Elicen nomino, & huiuſmodi multa: habet enim quælibet ars ſua quædam peculiaria vocabula, quibus artificem vti neceſsè eſt, & huiuſmodi vocum ſimulachra penitus horrere, vel ignorantis eſt, vel ſuperſtitioſi. Cynoſura vocabulum eſt paganorum, res autem Dei: & ſi vis omninò paganorum vitare grammaticam, nõ habes quibus nominibus opera Dei nomines. Sed vt aliquando finem inueniat oratio, hæc miſſa faciemus, ſi hoc vnum addiderimus, quòd vide-

licet tempus hoc nostrum videtur esse id, de quo Propheta locutus est, cùm dixit: Futurum tempus, in quo pardus cum agno, & crudelia animalia cum mansuetis impunè habitarent, & quo puero innoxius esse serpens, & feras truculentasq; bestias minaret puerulus: hæc iudicio meo de puero Christo, & de dijs Gentilibus intelligi possunt: quare non est ad præsens nobis ab illorum nominibus metuendum magis, quàm à scorpio, cui recisa sit cauda, vel à vespa, cui sit euulsus aculeus, puer paruulus qui datus est nobis minat ista omnia. Et puer iste est, qui cum dulcissima matre misit in os meum, canticum nouum carmen Deo nostro. Caueant ergò isti, ne de illorum numero sint, de quibus dicitur: Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Vbi verò timor erat, hoc est, in peccatis, minimè trepidant. Volo sciant nostram quàm suam tutiorem esse viam: nam etsi in laudandis diuinis rebus nonnihil modum excederem, tamen in hoc excessisse quàm defecisse, longè melius est. Theologorum enim regula est: Cùm datur virtus ad augendum actum, melior est excessus quàm defectus. Ipsi verò tacent, & tanquam fuci pecus ignauum,

nos

nos apum ſedulitate laborantes inſectantur, & mellifluis noſtris operibus inſidiantur. Ex integro citamur in iudicium, propter humana ſtudia dicitur vapulaſſe Hieronymus, & liuentes ſcapulas reportaſſe. Sed ô ſtulti & tardi ingenio ad ea capienda quæ clariora ſole ad vitæ humanæ inſtructionem ſub oculos veſtros Deus Optimus Maximus ingeſsit. Cur precor Hieronymus vapulauit, quòd idoneum vtriuſque Teſtamenti laborando ſeſe fecerat interpretem? Abſit vt ego vnquam in hanc veſtram fallacem ſententiam trahar. Voluit Deus nouum vetuſque Teſtamentum per Hieronymum transferri: voluit ergò & illa, ſine quibus id fieri nequibat. At quis Grammaticæ ignarus Etymologiam neſciens, Orthographiam non agnoſcens, Proſodiæ nullum iudicium habens, Hiſtoriarum vacuus, Poëtarum, Oratorumque inimicus, tam varium, tam multiplex opus conſummare potuiſſet? Hi ſunt qui laborem & dolorem non conſiderant, digni qui magni Patrisfamiliâs curatores ſint, vt ſub vmbra iacentes, operationum ſudorem rideant. Vidi nonnullos ex iſtorum numero,

qui se postquam Alexandri Grammatici, & Aesopi versiculos didicere, cousummatos grammaticos arbitrentur: & postquam dialectices & legum aliquid addidicerunt, se Solones & Chrysippos existiment. Postmodum, quũ vel Augustini, vel Hiernoymi, vel Hylarij, aut alterius ex his, qui Latinã linguam tenuere profertur aliquid, hęsitant, tacent, mussant, audisse dissimulant, doceri pudet, ignorantia cruciat, dicunt aliam esse nunc, aliam tunc fuisse grammaticam: & quum dicitur, oportere illam quæ tunc erat nõ ignorari, quòd secúndum illam conscripta sunt Euangelia, Pauli & aliorum Apostolorum epistolæ, magnorum Doctorum libri, qui vtiq; magni nõ fuissent, nisi periti Grammaticæ fuissent, respondent, satis esse summa sequi vestigia rerum, & suum quoddam Catholicon venerantur, quod pluribus erratis quàm Pardus maculis aspersum est. At cur igitur vapulauit Hieronymus, nempe quòd artis suæ arma ad obsequium Christi tardius reuocabat, quòd opes quas ab Aegyptijs abstulerat, non dabat Hebræis, quòd aurum à Persis acceptum, non ferret ad Christum, quòd Cedros in Lybano cæsas,

cæſas, ad templi fabricationem non traheret. Audiuiſtis? intellexiſtis? poſt hoc ſilere vos decet. Audent iterum nos interpellare, Poëtas calumniãtur, quòd multa in eorum libris obſcœnè dicta turpiter facta recitentur. Poſſemus ob eandem cauſam ſacros Codices damnare, in quibus Sodomitarum ſcelera, idololatrarum impietatem, multorum ſtupra & adulteria, inceſtus quoq; & ſceleribus omnib⁹, ſcelera immaniora didicimus. Si reſpondeas in ſacris libris poſt ſcelera recitata pœnarum, & vltionis mox fieri mentionem, vt moneatur lector à peccato ad ſupplicia neceſſarium eſſe tranſitum, hoc quoq; de Poëtis polliceri poſſemus. Nam rarò magna illa ſcelera commemorantur, quin inſecutę ruinæ & excidia ſubiungantur. Cur Tarquinium regno pulſum dicunt? Cur Cæſarem interfectum? Cur Neronem & alios Deo & humano generi inimicos, Imperatores trucidatos volunt? mortes, ruinas, euerſiones, cruciatusq́; flagitijs deberi vbiq; prædicant: verùm hac reſponſione dimiſſa, quia ſacris nolo cõferre prophana, confiteor multa eſſe in Gentilium libris abominanda, quæ ſi quis à bonis plurimis, quæ in
eiſdem

eiſdem libris ſunt ſegregare neſciat, libros non legat, noxij ſunt, venenoſi ſunt, mortiferos experietur. Si verò prudentiæ tantum in eis legendis habuerit, quantum in legendo melle præ ſe ferunt apes, ſecurus legat. Et non me, ſed magnum Baſilium doctiſsimum, & ſanctiſsimum inter Græcos Doctores & Epiſcopos prius conſulat, Græcas, Latinasq; Bibliothecas perluſtret, inueniet in omni Eccleſiæ ætate, & cùm plantabatur ſub Apoſtolis, & cùm rigabatur ſub Martyribus, & potabatur, cibabaturque ſub Doctoribus, qui eloquentes erant eloquenter dixiſſe, & qui Gentilium ſtudiorum profecerant exercitio gentilia cum noſtris ſemper coniunxiſſe. Nec obijciant Euangelia ſimplici nudoq; ſermone tradita, obijciam & ego hominem naſci nudum, non panes, ſed triticum oriri. Non contemplantur iſti opera Dei, ſunt enim (vt arbitror) curui in terras & cœleſtium inanes, audiant Gregorij ſententiam, de Deo enim loquens ait. Etſi omnium bonorum ſit ipſe largitor, tamen noſtræ fructum quærit induſtriæ. Si igitur det tibi Deus rude lignum, metues illud ad ædificandę domus ſtructuram,

ad

ad quam illud petieras, dolando, leuigandoq; aptare? Dat tibi quæ ad corporis & animi vitam necessaria sunt Deus, & tamen in his dandis arte vtitur & industria, vt tuo quoq; (si ingenio vales) locum relinquat, exercitio. Data est Lex, quis prohibet eam declarare, interpretari, à lingua in linguam transferre, nouis verbis ornare, nouo dicendi genere includere? Si tu fortaſsis hoc nescis, obmutesce. Sciuit hoc Hieronymus, Ruffinus, Origenes, & alij complures æterna memoria dignißimi viri, quorum fecimus, & quum oportunum tempus erit, in posterum faciemus mentionem. Mos iste superaddendi aliquid ornatus gratia, & studio pietatis cœpit ab Apostolis. Præcepit Iesus Apostolis asinam cum pullo adducere, de frondibus & de sternendis vestibus tacuit, at id totum Apostolica superaddidit industria. Tu ista considerans non frigescis? ignauiam tuam nondum despicis? I nunc & verbis virtutem illude superbis. Si diceremus istis, prosam quoq; numeris ligari, & orationem quam solutã vocant, quibusdam pedum articulis incedere, vel mo riderent, vel prosam deinceps sibijpsis interdicerent, adeò

con-

conſcientiarum ſuarum nitori conſulunt. Sed Gregorius, & ſanctiſsimi & doctiſsimi non ſolum non negarent, verùm & negantes cum indignatione ſubmouerent, & ſe perſæpè vſos confiterentur, quod in eorum præfationibus, quibus in miſſarum ſolennijs vtitur, Eccleſia manifeſtè depræhenditur, tanto ſale conditæ ſunt, tanta alacritate exultant, tanta fœlicitate mouentur, tanta venuſtate menſuráq; incedunt, vt ijs etiam, ad quos eſt ſermo, non placere non poſsint. Quid igitur poëſim horretis? Excutite ex oculis caligine, denſam hanc nubem abigite, ne Narnienſium prudentiam imitari videamini, qui (ſi vera fama eſt) vt cornutæ cocleæ impetum intercluderent lapideum pontem quo fluminis ea prẹterfluentis ripæ committebantur, euerterunt. Sunt nonnulli qui zelo Dei quidem, ſed (vt arbitror) non ſecundum ſcientiam, exquiſita illa & græcam phraſim redolentia vocabula, quibus quaſi margaritis ambitioſa Poëtarum oratorumq; ſuperbit oratio diuinis rebus annectere nefas putant, ſed iſtorum miſerãda potius quàm confutanda ſententia, & blandè monendi ſunt; legant Auguſtini de Chriſti natiuita-

uitate sermones, si alia maiora volumina, vel nõ intelligunt, vel non habent: Inuenient Angelum ad Virginem missum paranymphum vocari, Virgini astitisse paranympham credulitatem. Quid alacrius, quid iucũdius, quid phaleratius, quid (vt ita dicam) superbius illo Augustini de Epiphania sermone, qui incipit, Post miraculum virginei partus: in quo nescio Vergilium ne, an Lucanum magis studuit æmulari, quem quum lego spiritu quodam Poëtici furoris accendor ad carmen, quemadmodum olim Timotheus Phrygio cantu dicitur Alexandrum ad arma concitasse. Audi, Augustini verba sunt. Tunc luna recedentibus astris per mediam cœli semitam pulchris aurea motibus ibat, & iter suum radiis aperiens cãpos placidis accessibus honestabat. Dum ergò roseæ polum faces, & noctem fulgurantia astra discernunt, tunc insolitum repentè natura lumen extimuit, pauit subitò stelliger axis, & astra tremula famulantur ad cunas. Huc vsque Augustinus. Vides hæc verborum series, quanta eloquentiæ spuma luxuriet, quanto dicendi feratur impetu, quãto rutilet illustrata splendore? Quis neget hunc Poëticum fuisse furorem? Poterat tũc veraciter de se dicere: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo: multo maior solito videbatur afflatus esse numine quodã iam propiore Dei. Quis non rideat si videat Prognen à Coruo vel Cygnum

ab

ab ansere de nimia cantus dulcedine, pauonem à nicticorace, de nimio cultu: Cyreneos & Hispanos equos à testudine nimia currendi velocitate culpari? Sic indiscreti, sic imprudentes, sic malè circũspecti sumus, vt quicquid vires nostras excedit, quicquid à nostra cõsuetudine fugit, malũ putemus. Sed quid est, aiunt, quod apud Boëtium Seuerinum Philosophia vocat Musas scænicas theatralesq. meretriculas? opportunè & pro tẽpore portiunculã hanc edidistis. Amicis respondebo, nec pro salute vestra (modò curari velitis) parcemus impensis: eia & hanc morbi vestri radicẽ extirpemus, has hostiliũ copiarũ reliquias vna excursione deleamus. Duo sunt genera Poëtarum: vnũ eorũ qui paulò vltra prima grãmaticæ rudimẽta prouecti, quos sciolos Hieronymus appellat, adeò sibi placẽt, vt audaci præsumtione sibi polliceãtur Mantuanæ gaudia famæ: hi sunt de quibus Augustinus inquit in lib. de doctrina Christiana: Hæc siliqua intra dulce tectoriũ crepitãtes quatit lapillos. Hi ne parũ, sed multa scire videantur, scripturã sacram irrident, quicquid Maroniano vel Ciceroniano caret lepore dedignantur, liberaliũ artium expertes sola auriũ delectatione trahuntur, audẽt & contra Catholicã veritatem aliquãdo sentire: in quod scelus nemo vnquam nisi leuis & insipiens, & ipsius veritatis inimicus adductus est. Horum ego, etsi aliquãdo
cùm

cùm in ſeculo eram certa litterarum ſtudia nunquam tamẽ vitam imitatus ſum: dedit enim mihi bonorũ omnium dator Deus, vt à ſciẽtijs indiſſolubilem, ſic ad benè beateq́ue viuendi curam, conſtantem animum. Horũ igitur ſcænicæ ſunt Muſæ, & popularis auræ fauorem aucupantes. Eſt alterum Poëtarum genus, quod Maro noſter ſtuduit æmulari, quod exprimit, quum inquit:

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus: ſtrepitumq́ Acherontis auari.

Et paulò ſuprà:

Sin has ne poſsim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circùm præcordia ſanguis.
Pura mihi & rigui placeant in vallibus amnes.

Et quæ ſequútur: Hi ſunt modeſti, graues, circumſpecti, humanarũ diuinarumq́. rerũ ſtudioſiſsimi, malentes eſſe quàm videri, pijſsimi Dei cultores, religionis nõ contẽptores vt primi: ſed amatores obſeruatoresq́. Quales tẽporibus fuiſſe fuere Linus, Orpheus, Heſiodus, Homerus, & noſter Maro, qui quanquã falſorũ deorũ cultum extollant, minus tamen plectendi ſunt, quàm hi noſtræ tempeſtatis. Illi enim vel temporũ vitio, vel ſua infœlicitate decepti, quò errorem ſuum tueantur, habere vidẽtur: hi verò ſub nouæ legis gratia procreati, & beneficẽtiſsimi Dei donorũ ingrati, veritatẽ quàm alij ſummis ingenij cor-

 poriſque

porisq; laboribus quasi fugientē sequuti sunt, oblatā respuunt, repertā abijciunt, quòd si pertinaciter contēdatur Bo etiā omnē dānasse poësim, æquis animis aduertite, si post ea verba rediuit ad versus, si plura excudit poëmata. Videbitis grauissimum sanctissimumque virum, & omnium scientiarum peritissimum, eo præcipuè tempore, quo religioni sanctitatique maximè vacabat, quū scilicet carceris squalore cōfectus ingruentē mortē semper operiebatur, nō cū scænicis, sed cū veris sacrosanctis q; Musis habitasse, Dircen inuisisse, sub Eurotæ lauris discubuisse, Stoan & Academiā perlustrasse, Aristotelicis cōgressibus vsum fuisse, cum gētilibus nostra miscuisse. Non horruit iste præstātissimus veritatis inquisitor & inuentor, Græcorum barbas, Barbarorum tiaras, frendentes peregrino sono linguas, quoscunque veritatis amicos, & clientes inuenit amplexatus est: siue ille Poëta fuerit, siue Orator, siue Latinus, siue Barbarus, siue Maurus, siue Seres, siue Aethiops, siue Scytha, qui veritati adstipulatus est nobiscum, in ea parte consensit: veritas enim (teste Aristotele) nunquā veritati repugnare potest. Nō quibus linguis, quibúsue vocabulis vteremur, legifer noster Christus ostēdit, nec quomodo loquendū, sed quomodo viuendum sit expressit. Immò, quò magis istorum duræ ceruices cōtundantur, ipse Christus linguarū omniū Do-

ctor

ctor fuit, quū quinquagesimo à resurrectione die Spiritus paracletus in linguis igneis Apostolis apparuit: opera enim Dei circa creaturas indiuisa esse dicimus, nec illis assentior qui nō variis linguis loquutos, sed dum Hæbraicè loquerentur à diuersarū linguarum hominibus intellectos volunt Apostolos, cuius opinionis confutatio, quia loco isti non conuenit, in aliud tempus est differenda. Discāt isti, non me, sed Apostolo docēte, genera linguarum & interpretationē sermonū, quæ sine Poëtarum cognitione fieri non potest, dona esse Spiritussancti, discāt Apostolū ipsum nonnunquam Poëtarū vsum fuisse testimoniis, discant quosdam fuisse magnæ & sanctitatis & scientiæ viros in ecclesia, qui Virgilium Poëtam Gentilem prophetasse velint, cùm dixit:

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Resipiscāt igitur, & sint tardi ad loquendū, promptiores ad audiendū. Meminerint in magni patrisfamiliâs domo nō vnius generis, nō vnius vsus tantū vasa, in vno hominis corpore, non vnū tantū mēbrum, sed plurima esse. His namq; diuersorū generū instrumētis: & si non tu, tamen opus habet Christus, ad cui⁹ obsequiū suadēte in secunda epistola ad Corinth. Apostolo, corporis animiq; bona, & quæ in nobis sunt, & quotquot futura sunt conuertere, ipso fauēte proponimus.

IOANNES PICVS, BAPTISTÆ MANTVANO CARMELITÆ, S. P. D.



LIM ad te non scripsi, Pater optime, sed interim legi quæ scripsisti diuina scilicet atque sanctissima tua poëmata, in quibus earum rerum maiestas, is splendor est eloquentiæ, vt certatim in illis palmam sibi vendicare verba, atque sententiæ videantur. Fœlix qui velis optima, eadem & posſis, fœlices nos, quibus non solum legere quæ scripsisti, sed etiam te amare, te videre, te alloqui datum est. Diues hic mihi materia, & quæ non epistolam, sed iustum volumen impleat, si euagari me in laudandis tuis poëmatis, vel imbecillitas sineret nostra, vel pudor tuus. Hoc vnum dixero, delectari me adeò lectione tuorum carminum, vt ferè quotidie cùm me vel tædium, vel fatigatio cœperit, in illa quasi in hortum delitiarum solitus sim secedere, vnde animo tanta semper oboritur voluptas, vt nihil cupiat magis quàm iterum fatigari, vt iterum recreetur. Philostratum de Apollonij vita si satis illo es vsus, desidero, & Zachariæ philosophi quem te nactum Romæ dixisti exemplar, cura vt aliquando habeam, prætereaque indicem bibliothecæ vestræ Bononiensis, si tuo id commodo fieri potest. Vale & Beroaldum nostrum saluta.

Florentiæ XIX. Septemb. M. CCCCXC.

BAPTISTA

BAPTISTA MANTVANVS CARMELITA THEOLOGVS, D. Ioanni Pico Mirandulæ, S. P. D.


ODIE mihi in sacrario nostro cum Beroaldo vt sæpè soleo, fabulanti, redditæ sunt literæ tuæ, & tanta cum vtriusque nostrum voluptate perlectæ, vt videatur nobis referenda ista dies inter fastos, & niueo, vt aiũt, numeranda lapillo. Certè & eloquentiæ tuę & amoris in te nostri vis tanta est, vt nihil magis optemus, quàm tuis crebrò epistolis recreari. Sed cùm sumus tibi responsuri, eo maximè tristamur, quòd sermonis paupertate impediti, non habemus, vndè par pari referamus. Si de poëmatibus nostris tam magnificè sentis, vt scribis, punctum omne tulisse me arbitror. Tuo namque absolutissimo perfectissimoq; in omni disciplinarum genere iudicio, non est qui vnquam ausit refragari. Sed vereor, Pice doctissime, ne tibi acciderit quod esurienti ac sitienti mihi aliquando euenit, vt ea, scilicet sint visa palato ingenij iucundissima quæ fuerant sitibundo & anhelanti primum obiecta, & voluptatem in te hanc tantam excitarit non sua ipsius rei perfectio quam gustasti, sed anxia potius auiditas animi lucubrando iam exhausti, & delectationem quasi quietem, ac laborum intermissionem affectantis. Hac ratione fessis videtur nuda humus cubile mollissimum, & nudo ac inopi trita lacernula grande ornamentum. Quicquid id fuerit, benè habet, & est cum libellis meis satis benè actum, nõ enim possunt non

m ultum

multum exultare, quod acumine lectoris tam arguto non relegati fuerint ad incudem, & quod à tanti iudicis censura exierint non solum non damnati, sed commendati, donati, honorati. Scire tamen te volo, Pice iucundissime, libellos hos meos fuisse ante tempus ablactatos, & ante emendationem formatos & editos. Nam dum ego Romæ grauius admodum reipub. meæ negociis insudarem, eo tempore quo tu quoque, vt meministi, tantis illis æmulationum fluctibus laborabas, amici Bononiæ putantes debitum amicitiæ officium se præstare, me inscio protocollum meum quod eis vt nauci & peripsema quoddam reliqueram, diuulgarunt. Et quod, vt Augusti vtar adagio, citò tardè, id est, maturè fieri debuisset, præcipiti charitate properantes ad Impressoris officinam detulerunt. Hoc vt resciui, dolui quidem, verùm ne amicos contristarem, & quod videbam remedio iam amplius locum non esse, tacui & dissimulaui, statuens tum si vnquam me viuente iterum formarentur, emendare & emaculare multos locos, quod & faciam, si talis vnquam redibit occasio. Philostratum tuum, prius lectione eius apprimè delectatus, tradidi Beroaldo perlegendum. Studebo pro viribus, imò & supra vires, votorum te tuorum compotem reddere, nec ero ego prius voti compos, quàm tibi paruisse, & votis tuis satisfecisse me intellexero. Vale, & Politianum nostrum salutato. Kalendis Octobris.

M. CCCCXC.

IOAN-

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, POETAE & Oratoris clarissimi, Operum:

Tomus Primus.

Contenta in eo Opuscula, post Apologeticum adnotauimus.



Francofordiæ ad Mœnum excudebatur M. Ioanni Lucienbergio. Anno M. D. LXXIII.

BAPTISTAE MANTVANI CARmelitæ Theologi, vitæ suæ Epitome ad posteritatem.

O Bona posteritas, quam post mea fata relinquo,
Quæ fuerit vitæ perlege summa meæ:
Istius accepi lucis primordia, Quintus
In solio Petri cùm Nicolaus erat.
Nunc in puppe sedet, rector qui nonus ab illo est
Iulius, & pacem doctus, & arma senex.
A teneris colui Musas, mihi semper ad artes
Ingenuas calcar cura paterna fuit.
Propterea manes eius reuerenter adoro,
Et precis assiduæ sedulitate iuuo.
Relligio placuit iuueni, placuére cuculli,
Vitaq; claustrali semisepulta domo.
Cum patribus vixi, quibus à genetrice Tonantis
Nomen, & Heliæ sub ditione fui.
Me virtutis amor multas perduxit ad vrbes,
Et sophiæ varios fecit habere duces.
Plurima perlegi, didici, docuiq;, nec vllum
Dum licuit studij tempus inane fuit.
Multiuagam Christo feci seruire poësim,
Et superis vires, ingeniumq; dedi.
Et mihi cura fuit nostros extollere ritus,
Ac semper veteres extenuare Deos.
Plurima conscripsi, quæ si ventura probabunt
Secula, durabit nomen in orbe meum.

Nolo tamen meriti precium pro talibus istud,
Maius amant animæ, nobiliusq́; bonum.
Hæc eat, æternæ modò sit mihi gloria vitæ,
Humanæ titulo nil mihi laudis opus.
Sæpe magistratus, & publica munera gessi,
Vitaq́; perpetuo fracta labore fuit.
Sed quoties adij perplexa negotia, semper
Eximia iuuit me pietate Deus.
Per mare, per fluuios iui, per saxa, per alpes,
Mortiferam pestem, bella, famemq́; tuli.
Sed superi casus mecum venêre per omnes,
Et mihi se fidos exhibuêre duces.
Sic precor vt vitam quæ me rexêre per omnem
Prospera sint fini Numina sancta meo.
Ad senium veni, stadium vitale cucurri,
Et fero iam dudum pro pugione rudem.
Liber ab hoc tandem mortali corpore vadam
Ad superos, vel quò me Deus ire volet.
Ipse mihi pater est, quòcunq; vocauerit ibo,
Et mala non ægra singula mente feram.
Me tamen illius precor vt clementia blandè
Suscipiat, sceleri nec sit acerba meo.
O populi pacem, qui me coluistis habete,
Et pro me accensis sacrificate focis.
Tu quoq; Carmeli montis longæua propago
Spiritui facsis officiosa meo.
Crebra sacerdotes pro me libamina Christo
Reddite, & ad veniam sollicitate Deum.

Man-

Mantuanus noster sic dicitur, quòd oriundus è Mantua Ciuitate Italiæ, quæ & Virgilio patria fuit, quod ipse in laude Brixiæ ita declarat:

Brixia sapè tuas, cùm sis mihi gratior ipsa
Vel non grata minus Manto, genus vnde Maroni
Altiloquo, genus vnde mihi, &c,

Natus est è Spagnolorum familia, quæ adhuc hodie in Italia floret, sed hoc cognomen nescio qua de causa reticuerit: Nam patrem suum Petrum, cui libellum de Vita beata dedicauit, Spagnolum cognominauit. Federico itidem fratri suo, in cuius obitum Epicedium conscripsit, Spagnolorum cognomentum attribuit.

Postposito armorum strepitu bellorúmq; sæuitia, dicit se pacis Carminumq; amatorem semper fore. In morte Ioannis Soreti sic scribens:

Verùm bella canant alij, populosq; paternis
Sedibus, & patrio pulsos de littore Graios,
Et veteres odij causas, belloq; subactas
Constantine tuas arces, cœlumq; Latinis
Infestum rebus, fideiq; pericula nostræ.
Semper ego effugi studium Mauertis & arma,

Nec pectus thorace graui, nec tempora cinxi
Caßide cristata, fuit & mea dextra, meumq;
Semper inerme latus, mores ego pacis amaui.
Cedimus arma alijs, nobis tua maxima virtus
Carmen erit, satis est isto si puluere noster
Sudet equus, metam hancq; meus circumuolet axis.

D. IOANNES TRITHEMIVS, Abbas Spanheimensis, in Lib. de sacris Scriptoribus Auctorem nostrum ita depingit.

BAptista Mantuanus, ordinis fratrum B. Mariæ virginis de monte Carmelo, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularium litterarum scientia nulli secundus, sacræ Theologiæ Doctor, Philosophus insignis, Poëta & Orator celeberrimus, ingenio excellens, sermone disertus, vita & conuersatione præclarus, Latinæ linguæ decus, & Græcæ clarus interpres, metro excellens & prosa. Scripsit vtroque stilo multa egregia volumina, quibus nomini suo per vniuersum orbem Christianũ famam celebrem acquisiuit. Ex quibus subiecta feruntur quæ scripsit.

Ad Patrem suum, de Vita beata. lib. j.

Par-

Parthenices Mariæ vita. lib.iij.
De vita Lodouici Bononiensis. lib.j.
De calamitate suorum temporum. lib.j.
Somnium Romanum. lib.j.
Consolatio super morte Collæ. lib.j.
Contra Poëtas turpiloquos. lib.j.
De Patientia prosaicè. lib.iij.
Apologia pro F. Petro. lib.iij.
Orationes elegantissimæ. lib.j.
Suburbanum Bucolicum carmen. lib.j.
De sancta Catharina. lib.iij.
Vita Alber. Carmeli. saphico. lib.j.
Panegyricus Roberti. lib.j.
Ad Falconem epigrammata. lib.j.
De contemptu mortis. lib.j.
De expugnatione Granatæ. lib. iiij.
De ortu religionum. lib.j.
Introductorium subtilis Scoti. lib.j.

Epistolæ multæ ad diuersos. Diuersi generis carmina, & alia complura. Viuit adhuc in Italia celeberrima opinione vbiq; nominatus, & varia conscribit. Hæc ille. Certùm autem est multa postmodum composuisse, vt sunt libri Syluarum, & de Dionysij vita, libri tres, quos his inseruimus.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, ORATORIS & Poëtæ clarißimi, Epiſtola Dedicatoria.

AD LODOVICVM FVSCARIVM, ET Ioannem Baptiſtam Refrigerium, viros integerrimos, quibus Parthenicen Marianam dicat, dedicatq́.



Ibellum meum, cui quòd Mariæ virginis hiſtoriam cõtinet, Parthenice titulus eſt, duorum annorum lucubrationem tibi Lodouice & Ioanni Baptiſtę Refrigerio dicare, & ſub veſtrorum nominum inſcriptionibus ædere conſtitui. Et ne quis hoc ab re & temerè factum exiſtimet, cauſam breuiter explicabo. Nuper in Cœnobiũ noſtrum diræ peſtilentię immiſſo veneno, toti vrbi cœperamus eſſe timori, pellebamur non à colloquio tantùm, verùm & à conſpectu hominum, & ab omni humano commercio, tanquam Baſiliſci

ſiliſci, qui ſolo viſu noxij dicũtur longè prohibebamur. Attoniti eramus, labebant genua, nutabant animi, domi mors imperabat, foris brumale frigus, quotidiè pluuiæ, annonæ caritas, & publica fames, bellorum ſtrepitus, hominum ſaluti ſuæ conſulentium ſeuera cuſtodia, aqua & igni interdicti videbamur, vndiq; timor, vndiq; calamitatum confertiſsima acies aduentare nunciabatur, intercluſi eramus, nec vlla videbatur euadendi via, omnia mortem intentabant, & erat vna ſalus miſeris nullam ſperare ſalutem. Tu cum Refrigerio noſtro (credo à Deo miſſus) in atra denſiſsimæ noctis caligine cæcutienti mihi tanquam cum aurora matutinus lucifer diem aperuiſti, ſpem vitæ confirmaſti, xenia miſiſti, in amplas ac magnificas ædes tuas hoſpitio me ſuſcepiſti, lautiſsimè & elegãtiſsimè pauiſti. Nec (quod magis miror) videbaris hæc tanta peregrino & hoſpiti præſtare, ſed parenti, ſed Deo ipſi, nullum clementiæ, nullum miſericordiæ, nullum liberalitatis officium prætermiſiſti, omnia omnium virtutum munera mihi ritè perſoluiſti. Erat mecum Frater Petrus Neuolarius calamitatum mearum ſemper fidiſsimus

 comes,

comes, & Bernardinus Tridin⁹, qui beneficiorum vestrorum magnitudinem admirantes sæpius aiebãt, se (nisi oculis vidissent) nunquam credituros, in hoc corrupto seculo tantum in quoquam superesse virtutis. Vos calamitatem meam in fœlicitatem conuertistis. Vos mihi quod Diomedi Daunus, quod Olysi Alcinous, quod Euander Aeneæ, quod progenitori nostro Heliæ fuit Sareptana mulier, quod Christo Zachæus & Lazarus: Et proculdubio Lodouice, mihi hæc omnia considerãti verum videri posset, quod vulgò fertur, tuam scilicet gentẽ ex antiquo illo Romanæ virtutis propagatam, & à Fusco quodã, qui tum ærario præerat, cùm Romanorũ colonia Bononiam missa est, nomen & genus accepisse. Huic tam claræ origini cognomẽ adstipulatur, attestatur antiquitas tua, & tuorum maiorũ dignitas respondet, tuorũ & morũ integritas, & publica fauet opinio. Quis enim non credat tam claræ præstantiæq; familiæ egregium aliquod fuisse principiũ? Facilè igitur & ego in hanc sententiam venirem, nisi altera verior tuæ gentis constaret origo. Nam populi Bononiensis annales & diaria perscrutantibus, euidens est tuam

fuisse vnã ex ijs nobilibus potentibusq; familijs (sic enim illas appellant) quas post miserabilem patriæ tuę stragem & deplorandã euersionem, ad instaurandum vrbis decus Lotarius Imperator Bononiã misit, sed hanc originem omniũ victrix obscurauit antiquitas. Dignissima & proculdubio venerandę maiestatis fuit hæc origo gentis tuæ, sed longè maioris gloriæ splendorisq; est tot præstantium ciuium (vt stemmata docent) feracissimam fuisse, tot præclara virorum ingenia tulisse, tot virtutibus quasi stęllis quibusdam claruisse, tot laude dignos nepotes progenuisse, quorum quidam non ad minutarũ sordidarumúe, sed maximarum & Reipublicę valdè vtiliũ rerũ negociationem se contulere, & summa fide, diligẽtia, solertia, patrimoniũ amplificãtes, nouas ędes extruxerũt, extructas expoliuerũt auxeruntq; fundos comparauerunt, diuitijs opibusque longè lateque resplenduerunt, quarum partem inopi, partem templo, partem suis opportunè ponentes, optimorum ciuium, pijssimorum Christianorum sibi meritò nomen acquisiuerunt. Quidam summa cum gloria legum studia sequuti non suo tantum, verùm &

futuro

futuro ſeculo mirum in modum profuerunt, qualis Egidius fuit, cuius adhuc in Diui Dominici Cœmiterio marmoreum ſepulchrum magnis extructum impenſis oſtenditur. Fuerunt complures alij, quorum quum oportuit opera & cõſilio Reſpubica vſa eſt,& qui ſumma pietate Patriam complexi, res præclaras prudenter fortiterq́; geſſere, qualem Pomeũ perhibent equitem auratum,& Iure conſultiſſimum,rerum humanarum diuinarumq́; peritiſsimum. De cuius acri ingenio, ſtrenuitate, facundia,& in omni priuato publicoq́; munere præſtãtia,quotidie apud maiores natu cum admiratione ſermo eſt,& omnium qui eum nouerunt iudicio, ſummum patriæ decus fuit, & ornamentum.Extant apud te,Lodouice,commentarij complures orationum,diuerſis in legationibus ab eo ſcitè, doctè, ſapienterq́; habitarum, in quibus diſciplinarum omnium ſacrarũ precipuè ſcripturarum cognitio,ingens dicendum vehementia,& immenſa patriæ charitas eluceſcit. Ex tam claris igitur fontibus non potuerunt niſi optima flumina deriuari: Nec mirum eſt te virtutum amatorem, & cultorem eſſe probitatis, quæ tui generis radici-

bus

bus incocta est: propterea nec per longa temporum spacia, nec per mala huiusce vitæ nostræ contagia potuit eneruari. Est profectò (vt videre videor) magnum virtutis adiumentum claris ortum esse parentibus. Solent enim iuuenes, qui aliquid indolis habent, ne degenerare videantur, maiorum suorum dignitatem æmulari, & ad paternarum laudum aspirare fœlicitatem: sic Philippi nomen Alexandrũ, sic maioris Aphricani gloria minorem Scipionem, sic Cæsaris Iulij fama Octauianum excitauit, sic deniq; Pyrrhus Achilleides animosus imagine patris. Te quoque Lodouice, quanquam Deo & natura ducente, tuisq; annitentibus studijs virtutem amas, non parũ antecessorũ tuorum te iuuare possunt imagines, quorum mores æquare vt arduum & difficile: sic certè & pulchrum est, & laudabile. Te verò Refrigeri silentio præterire non possum, ne tuorum in me meritorum, quæ propè infinita sunt, oblitus videar. Scribam igitur quæ & necesitudinis nostræ fuerint exordia, & eiusdem perpetuo conseruandæ sint munimenta. Ex eo tempore quo primùm Bononiam veni, semper animaduerti te grauitatem, vitęq; honestatem,

cum

cum optimis litterarũ ſtudijs, ſic coniunxiſſe vt facilè conijcere poſſem, te in optimum & præclarum virum breui euaſurum, quod rei comprobauit euentus. Nam ad pręſens nec meliòrem, nec eloquentiòrem ciuem te habet feraciſsima præſtãtium ingeniorũ Bononia. Tu Pompeianæ magnanimitatis, Catonianæ integritatis æmulator, tanto patriæ tuę factus es ornamento, vt de te dici poſsit illud Maronis noſtri.

Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus vuæ,
Vt gregibus tauri, ſegetes vt pinguibus aruis,
Tu decus omne tuis.

Extant enim plures abs te æditæ orationes & epiſtolæ Ciceronianam maieſtatẽ redolentes, ex quibus quantum ingenio & doctrina polleas, facilè dignoſci poteſt: vndè nec ſine magna animi voluptate eas legere ac perlegere poſſum. Extãt & Poëmata tua, quæ Tuſca lingua plurima compoſuiſti, tanto ornatu, tanta venuſtate, tanta fœlicitate condita, vt & mihi & omnibus quibus vſui ſunt, in miraculo habeantur. Taceo tuã in patriam pietatẽ, & in amicos fidem & conſtantiam. Placuit mihi ſemper in primis tua in Deum optimum ſancta reli-

religio. Sæpius quidem ſacra loca & Cœnobia adis, Dei bonos ſeruos colis & veneraris. Placuit item quòd parentem tuum peritiſsimum olim Phyſicum qui Auicennam & Hippocratem dum viueret publicè interpretans, Medicinam florentiſsimè docuit, incredibili quodam ſtudio & pietate ſemper obſeruaueris. Prætereo ſplendidas affinitates, partos in patria & extra honores: hæc enim quoniam fortunæ bona ſunt, nec quenquam meliorem faciunt (licet ſecundum Peripateticos ad humanæ fœlicitatis conſummationem faciant) nunquam ad amandum quempiam me allicere potuerunt. Sed vt ſermonis noſtri principio finis conſentire videatur: vnde digreſsi ſumus reuertamur. Beneficia nuper à vobis in me collata recenſebam, vt non leuem fuiſſe cauſam oſtendêrem quæ ad præfati libelli mei donationem, & ad hoc tenuè gratitudinis munus me adhortata eſt, illorſum noſtra tendebat oratio. Solebant Romani veteres eum qui ciuem ſeruaſſet in bello, Corona quæ Ciuica dicebatur inſignire, quòd ſi apud eos tantus honor erat, qui alium ſeruaſſet, quanti ego, ne ingratus ſim te Refrigeri-

geriumq; facere debeo, qui nō conciues meos & fratres tantū, sed meipsum, Deo monēte viamq; monstrāte, seruastis? Decorari vos oportet hac nostra, etsi paupere corona, tamen q̄ à generosa mente proueniat, digna quam læta fronte & tranquillo vultu accipiatis, quæ cœlestis & veræ beatitudinis vobis sit præsagiū, virtutum vestrarum monumentum, & amicitiæ nostræ pignus immortale. Ab ineunte ætate cùm sub paternæ disciplinæ cura educarer, & postquam ad sancti montis Carmeli seueritatem me contuli, vbi inter viros qui Heliam Heliseumq; Prophetarum sanctissimos exprimere conantur, iam diu vixi, semperque accepi beneficiorum acceptorum nullo pacto decere memoriā amittere, sed oportere de reseruanda gratia semper cogitare, & nunquam obligationem dissimulare. Quantas igitur potero gratias referam, quas si referre negabit inopia, verbis agam, sin agere nequiuero, saltem habebo. Ad præsens ergò munusculo isto contenti eritis, quod vobis tota mentis intentione dico, facturus multò ampliora si possem. Valete.

EIVS-

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI: DE CALAMItatibus temporum.

LIBER PRIMVS.

AD REVERENDVM IN CHRISTO PAtrem ac dominum D. Oliuerium Carafam Sabinen. Episcopum & Cardinalem Neapolitanum.



COGIMVR Istius mala tempestatis, & alto
Egressas Erebo furias, turpiq; fugatam
Virtutem exilio, varias percurrere clades,
Ob scelera immissas terris, Artemq; docere
Quæ premat ætherei flagrantem principis iram.
Summe Deûm decimus regnum cui terminat orbis,
Cui rerum natura subest, cui militat ardens
Astrorum cœliq; iubar, qui solus habenas
Fortunæ fatiq; tenes, sua victus Apollo
Postibus arma tuis offert plectrumq; lyramq;.
Quicquid habet Delos, quicquid Cadmeia Dirce

Quicquid inest Delphis tibi dat, Cynthus quoque Rhodóque
Omnis odoratæ seruit tibi gloria Daphnes,
Est tuus Eurotas, Helicon tuus, ardua Cirrhæ
Saxa tenes, tua nunc hederis, tymbraque virenti
Ornantur delubra, tui per pinguia pascunt
Phocidis arua greges, & dulcia flumina potant.
Dij veteres fugêre, nouis altaria lucent
Ignibus, & nobis tua numina sola supersunt.
Et quoniam pulso solus potes omnia Phœbo,
Huc ades & fragilem duc ad tua littora cymbam.

Calamitatum enumeratio.

POstquàm sollicitæ stimulos & plurima vitæ
Tædia perpeßi iuuenile peregimus æuum,
Ocia, & antiqui finem sperare laboris
Fas erat, & fessæ post longa pericula puppi
Littoris & mitem portus optare recessum.
Sed pater vtilibus qui temperat omnia curis,
Robur & aßidua vires firmare palæstra
Cogitat, & nobis quibus ætheris annuit arcem
Desidiam somnumque negat, ne scilicet annis
Dulcibus, & segni mens eneruata quiete
Langueat, & torpor lentos effœminet artus.
Torpor enim cœco vapor est è gurgite surgens
Somniferæ Lethes, nubem qui intexit opacam
Sensibus humanis, fideique obliuia sanctæ.
Securas igitur ne vincat inertia mentes,
Tempora continuis fœcunda laboribus adsunt.
Ecce repentino surgunt horrentia motu
Prælia, terribilē quatiens Mars ferreus hastā Ar-

Armato rigidum lateri circumligat ensem.
Stat sonipes picto lumbos & pectora tergo
Cinctus, & aratæ frontis splendore superbus,
Accincti gladijs pedites, quibus ærea fronti
Tegmina, prætentis vibrant vmbonibus hastas,
Coritosq; ligant humeris, villosa sagittæ
Tergora, & hirsutas rostrant hastilia vulpes,
Perq; foros cursant nautæ, stipantq; Liburnas
Arma rates, clypeis circumpendentibus, altum
Tollit prora caput, rostratas ardua puppes
Ponè trahit classis, suspensaq; carbasa ventis
Crispat, & accensi pugiles molimine magno
In teretes malos silices & ferrea sursum
Tela vehunt, resonant funes, animosa iuuentus
Aeratasq; sudes & curuæ cuspidis vncos
Aptat, & ardenti comes it Bellona Gradiuo.
Sicut in Actiaco grandi sub Leucade ponto
Littus ad Ambraciæ, forti cum milite Cæsar
Chaonio Phariam disiecit in æquore classem.
Seu quando Ionijs Vulcania fluctibus Aethna
Europæ Libyæq; Duces concurrere vidit.
Scilicet Ausonijs alacer quum Regulus ibat
Nauibus, excelsi sulcans vada lata Pachynni,
Et patrijs contra bellans pro legibus Hanno
Saxa relinquebat fatis Lilybœa sinistris.
Bellandi cupidæ coëunt in prælia gentes,
Depositisq; vacant inculta ligonibus arua,
Vndiq; surgentem spargit vaga fama tumultum.

Arma procul collisa sonant, clangore minaci
Martia feruentes accendunt claßica pugnas.
Quòd si florentes istis in Syrtibus annos
Egimus, & tanto iuuenes sudauimus æstu,
Quid non triste putas feret ærumnosa senectus?
Ipsa tremens artus, teretiq; innixa bacillo
Hispida, macra, breuis, canis rugosa capillis,
Caligans oculis, curuato in pectora tergo
Iam properat, sequitur celeri mors pallida gressu.
Heu frustrà faciles cursus auramq; secundam,
Frustrà expectamus, Nos implacata Charybdis
Proijcit in Scyllam, Scyllæ de vertice rauco
Nos rapiunt Syrtes, iterumq; rotamur in hosdem
Aequoris insultus, scopuli, vada, pontus, & vndæ
Semper & aduersis in funera currimus astris,
Et nihil est aliud cultis Adamus in hortis
Quàm primi sine fraude dies, quum libera nulli
Pectora mœrores agitant, syncera voluptas,
Impolluta quies animi cum dulcibus annis
Primæuæ fugiunt vitæ, mox asper acutas
Gignit ager sentes, & noxia semina profert.
Namq; vbi læta nouæ cesßit lanuginis ætas,
Sollicitæ subeunt curæ, trepidiq; pauores,
Et labor insomnis, dubijq; per omnia casus.
Bella cient Italæ gentes, nec barbarus hostis
Quæritur insultans, nostris qui finibus instat,
Inter se certare parant, & fœdere rupto
Conuertêre rigens in mutua vulnera ferrum.

Quosq;

Quosq; peregrini dominos concordia mundi
Fecit, in ambiguam regno de paupere litem
Compulit infaustæ genitrix, Discordia pugnæ.
Hæc vrbes eadem vesania cæpit Achæas,
Quum caput Æmathij proles animosa tyranni
Extulit, aduersus celebres Lacedæmon Athenas
In Lacedæmonios ibat Thesæa propago,
Totaq; subuersis titubabat Græcia rebus,
Dumq; fauent regni cupido, dum fœdera iungunt
Cum Duce fœdifrago, dum sese copulat hosti
Alter in alterius damnum commune coëgit
Ferre omnes fortuna iugum, & parere tyranno.
Nec genus Ausonium (tanta caligat Erinne)
Italiæ similem videt impendere ruinam.
Luce caret, nescitq; diem, secumq; tenebras
Crimen agit, noctemq; animis inducit & vmbram.
Propterea amisso scelerata lumine mentes
Venturam non ante putant quàm venerit iram,
Quod si coniunctis in prælia viribus irent,
Hesperiæ gentes, non obluctantibus astris,
Non prohibente Deo, sed opem viresq; ferente,
In vetus imperium possessaq; regna redirent,
Seruirentq; iterum Thusco lata æquora Tybri,
Sperchiusq; Pado, nostris Erymanthus & Othrys
Collibus, & Latium trepidaret barbarus ensem.
Preda nec essemus toties, nec Thracius hostis
Per Phryges & Colchos captaq; per Helladis oras
Duceret in celebres insignia nostra triumphos.

Ciuiles rixas & bella domestica nostri
Non reges tantum atq; duces, sed milite mixto,
Dum Picena fugax populatur littora Turcus,
Arma sacerdotes diuorum altaria circum
Ferre preces soliti extollunt, paciq; repugnant.
Quà sonat angustum Scyllæ latratibus æquor,
Quàq; Syracusio circundatur insula ponto,
Insula Ciclopum Libyę porrecta sub axem,
Feruet Martis opus, Calabros & Iapigis vrbes
In pugnam Bellona vocat, rapiensq; superbam
Aegida Gorgoneos pectus circumligat angues,
Et quà nubiferi medio pro limite montes
Stant Itali Galliq; soli, nouus arma tumultus
Cogit, & indomito fulgentes ære cateruas,
Causa mali caput Etruscæ Florentia gentis
Ausoniæq; decus, summi violare ministros
Ausa patris demens, sacrumq; haurire cruorem.
Ipsa quoq; indomiti genitrix Ferraria belli
Præteritas auxit clades dum ferre recusat
Imperium: Venetoq; negat parere leoni.
Adde quod aspectu cœli viciata maligno
Arua negant victum, pingues iactata per agros
Semina vel pereunt vel inanes culmus aristas
Erigit, & tristi messor ligat hordea fronte.
Si fœcunda Ceres aut læti viribus agri
Aut hominum studijs vsquam fuit, inuida grando
Pulsa per aëreos magno cum murmure tractus
Impellente Noto strauit, longosq; labores

Perdidit,

Perdidit,& nimbis Cererem glacialibus hausit.
Et Padus ingentes voluens ex Alpibus vndas
Insubrum,Venetumq; domos penetrauit,& omnes
Aggeribus fractis agri vastauit honores,
Nec ripis tantum,sed & ipsis altior ibat
Arboribus,salicum per summa cacumina nautis
Cursus erat,fugit Protei pecus omne per agros,
Altaq; montana petierunt æquora nymphæ,
Sicut cùm bellis olim ciuilibus vrbes
Arserunt Italæ,cùm Cæsaris arma superbi
Inuasere lares patrios gentemq; Latinam.
Mira canam & nostris fortassè nepotibus olim
Non factura fidem,Benaci sparsa per agros
Tanta locustarum nubes,vt pinguia passim
Pascua & exortas segetes,nemorumq; decorem
Temporis exiguo tractu consumpserit omnem.
Nec poterat sumptis hominum solertia telis
Fatales arcere feras.Caua tympana latos
Implebant crepitu campos,nec territa tanto
Dira lues sonitu,herbarum radicibus imis
Morsibus hærebat,vicina per oppida postquàm
Rumor iit,carpere arma viri,concurrere turbæ
Ad commune malum tanquam nouus Itala Cymber
Regna premat,tandem multo vix tanta labore
Illuuies longis vix est consumpta diebus.
Dura fames igitur tristes populata colonos
Sæuit,& exhaustis languescunt corpora venis,
Vulgus inops macie affectum squallensq; per vrbes

Poscit opem frustrà, & sensim vitalia membra
Victa cadunt, siccasq; premunt ieiunia fauces.
Nec patres natis, nec nati patribus adsunt,
Tanta per humanum genus inclementia regnat.
Non Libycæ segetes, non pinguibus Appula campis
Horrea, non Phrygijs succurrunt Gargara sulcis.
Sed minus hinc damni, minor hæc ærumna, dolorq;
Mitior, infœlixq; minus fortuna sequetur.
Hic paucæ sat erunt lachrymæ, crudelior alter
Communem ingenti pariturus strage ruinam
Hostis adest, nostræq; rati grauis ingruit imber,
Quà Rhodani voluuntur aquę, quà frigida Rheni
Teutonicas fert vnda rates, quà perluit agros
Insubres, Venetosq; Padus, quà diues ab alto
Vertice subiectos speculatur Brixia campos,
Occultum pluit ex alta Deus arce venenum,
Et quà Tiresiæ pulcherrima filia nymphas
Colligit humenti gremio, lateq; recedens
Littus arundinibus cingit viridiq; papyro,
Quàq; patens longè fluctu sonat Adria vasto,
Vltrices mors atra manus exercet, & altis
Tabe madens sparsam cædem componit aceruis.
Quà fluit Ethrusco surgens vetus Albula fonte
Romanasq; inuisit opes & regna Quirini.
Quà gelidis sonat Arnus aquis, quà magna potensq;
Imperat Aemylio vicina Bononia Rheno.
Imbelles acresq; viros, senium atq; iuuentam
Pallida mortifero pestis grassata veneno

Sternit

Sternit humi, fundamq́; rotans è turribus altis
Ardentes papulas iaculatur & vlcera diris
Glandibus, & penetrat flammantibus inguina telis.
Huic tumidum guttur virus leuat, ille sub alis
Fata gerit, quà longa humerus se in brachia curuat.
Alterius patulas aures arsura parotis
Suscitat occultum longis sub crinibus ignem,
Attonitumq́; caput feriens, vitalia membra
Occupat, atq; vias mors vna perambulat omnes;
Extollitq́; caput, quà cursum fatifer humor
Sistit, & horriferum sensim durescit in orbem.
Id crudele genus necis, hoc immane feroxq́;
Supplicium, hæc stygio rabies egressa profundo,
Perq́; domos humiles perq; alta palatia regum
Sæuit & occultis miseros ferit ictibus artus.
Vt quando incauti vitio pastoris ouile
Incustoditum nox intempesta recepit,
Si lupus hesternæ patiens ieiunia lucis
Sollicitusq́; fame, fuerit per limen apertum
Ad solas ingressus oues, non mitigat vnum
Ingluuiem funus, sed multa cæde madescit.
In totum sæuitq́; gregem, sic acre venenum
Insontes, sontesq́; modo prosternit eodem.
Iamq́; cadaueribus desunt loca iuncta sacratis
Aedibus, effossa paßim tellure prophanis
Conduntur tumulis, inhonoratisq́; feruntur
Funeribus, dictu horrendum, visuq; tremendum,
Præda feris inhumata iacent, & tabe fluenti

Circumstans tetro locus incestatur odore,
Quà triplici conclusa Pado Ferraria longis
Cladibus atteritur, dominorum corpora passim
Pascuntur per rura canes, aquilæq; rapaces
Effodiunt duris hominum caua lumina rostris,
Intestina ferunt volucres, & in arbore summa
Exta patrum suspensa diu vidêre nepotes.
Membra pater vix ægra trahens, dum frigida condit
Corpora natorum, clauso nondum ore sepulcri
Labitur ipse super sua pignora. Crebra suorum
Sola domo vacua mater dum funera plorat,
Cum lachrymis animam tenues exhalat in auras.
Multi antè occasum vitæ vicina scientes
Fata sibi, condiq; suas tellure volentes
Relliquias, fodêre solum glebisq; subactis
Sacrato viui se composuêre sepulcro.
Rura silent, vacuaq; suis cultoribus vrbes,
Iura fori clamosa tacent, per compita surgit
Gramen, & extinctis non lucent ignibus aræ,
Nec solitos cantus nec odores templa Sabæos
Accipiunt, squallentq; domus, muta omnia mœrent,
Qui superant cladi, superûm quibus ira pepercit,
Coguntur miseri sua dulcia limina ciues
Linquere, & in medijs tentoria figere campis.
Sicut per Libycos solet armentarius agros
Ferre larem, secumq; suos vectare penates.
Vidi ego per tacitos saltus, & inhospita lustra
Mole sub exæsa silicis, curuoq; sub antro

Monticolas habitare viros, & gramine pasci.
O superi, loca qui tuti secura tenetis
Si scelere offensi nostro tam dira mouetis
Prælia, sat veteres tam multo funere culpas,
Sat longo luimusq; metu, iam parcite, saltem
Relliquias generis semenq; relinquite nostri.
Non animi tantum gentis cecidêre Latinæ
Cùm Romana ferox circùm capitolia Gallus
Barbaricis trepidam pulsans clamoribus arcem
Diceret, euersæ frustrà succurritis vrbi
Romulidæ, regni & vitæ postrema dies hæc.
Vel post Cannensis lachrymas & funera pugnæ,
Quando Quirinales aquilas, fascesq; superbos,
Ad Tyrias iam se laturum crederet arces
Hannibal, insultans victo iuueniliter hosti.
Et mox ex alto bellorum culmine pulsus
Languit, aduersis fatis & Marte sinistro.
Non tanto tremuêre metu præcordia Graiûm
Xerxis in aduentu, monuit cùm Delphica rupes
Non muro non arce dari, sed naue salutem.
Non ita Mosææ quondam miracula virgæ
Horruit attonito Memphis turrita colono.
Ipse quoq; in syluis & vallibus Apennini,
Exilem ducens tecto sub paupere vitam
Delitui, quà templa petit Romana viator.
Et quà Flaminios fugiens Claterna per agros
Ducit ab angustis vndosum vallibus amnem,
Arce sub Oziami nostris vbi dicta Camœnis,

Tecta Refrigerius sublimi in colle tenebat.
Non fuit ausa magis, nec clade nocentior ista,
Romuleam pestis longo quæ funere plebem
Diripuit, quando veniens Epidaurius anguis
Ionios citrà fluctus in regna Quirini
Abstulit aërium virus, qui postea templa
Iuncta Ioui tenuit, bifidum quà diuidit amnem
Insula Ianiculum dirimens à collibus vrbis.

Communes calamitatum causæ.

SEu superûm sic ira velit, seu noxius ardor
Aetheris, aërios infuso lumine tractus
Inficiat, seu sola ferant contagia morbum,
Seu dum longa fames hominum ieiuna coëgit
Ora cibis vesci indignis escaq; nocenti,
Impurus per membra fluens vitalia sanguis
Putruit, & dirum subiens præcordia virus
Inferat occulto properatam vulnere mortem.
Vnde malum surgat non est dignoscere promptum.
Ipse tamen reor has omnes concurrere causas
Et coniuratas percusso fœdere diuum,
Astrorum, terraq; simul concurrere vires,
Sicq; hominum genus haud vna obsidione teneri,
Et nobis elementa necem superosq; minari.
Nec mirum quando longè grauiora meremur
Supplicia, & longè asperiori verbere cædi.
Quippe vbi nec superum pietas, vbi nulla Tonantis
A scelere humanas prohibet reuerentia mentes,
Et virtus vitio vrgenti dare terga coacta est,
Ira patris diuûm fremit indignata furensq; Eu-

Euocat ex altis Erebi fornacibus atram
Progeniem, horriferæ genus implacabile mortis,
Et terras permittit agi Phlegetontis habenis.
Plutonisq; premi imperio. De tristibus orci
Sedibus egressa æthereas noua monstra sub auras
Inuadunt hominum cœtus, & inertia flatu
Pectora lethifero feriunt, it frigida tabes
Ad viuum penetrans animos, perq; intima corda,
Imbibitum virus, postquàm concluserit omnes
Ad virtutem aditus, homines impellit & vrget
Quò Stygiæ iussêre canes, quò Ditis auari
Spiritus inclinat, primi quà criminis auctor
Monstrat iter latum, placidaq; tyrannide regnat.
Hic iuuat immanes Erebi monstrare figuras
Tartareumq; genus sub apertum ducere cœli
Lumen, & occulti reserare latentia mundi
Monstra, venenoso pauit quæ lacte Megæra
Cerberijq; canis spumis & sanguine Lernæ.
Me precor assuetum mites errare per vmbras
Grynei nemoris, vestrisq; sonantia rura
Cantibus & gressus modò per fera monstra ferentem,
Intactum seruate deæ, furiale per agmen
Este pio vati comites, moresq; docete
Infandos Stygiæ gentis cœlumq; perosæ.
Iam mugire solum cœpit; iam nubibus aër
Pallet, & infernis surgunt afflatibus vmbræ,
Nigrescitq; polus, monstris exterrita lampas
Fert retrò Phœbæa gradus, auditur ab antris

Clamo

Clamor,& omnigenum rabies confusa ferarum.

Monstrum primum, Superbia.

EVolat horrisono rapidi Phlegetontis ab amne
Ingenti alarum stridente Superbia ductu:
Sic illam dixêre, super quia cætera sese
Tollit,& extento socias supereminet, ore
Omnia conuoluens, cæca de sede Barathri
Crimina nigrantem post se trahit omnia pompam.
Huius ab ardenti virosus anhelitus ore
Fumat,& obscuris oriens à faucibus humor
Defluit, hippomanes, aconita, canisq; virentem
Tænarij spumam superans, omnemq; veneni
Mortiferam rabiem, stygij fex ima profundi.
Se superum genus esse putat, veterumq; deorum
Semen,& à magno se iactat Apolline natam.
Ardua frons, vnoq; oculo velata, rotondi
Circuitus, medioq; sedens in luminis orbe
Discessit, spacijs æqualibus vndiq; centrum.
Hoc insigne patris Phœbiq; ardentis imago,
Difficili vultu graditur, gestuq; maligno
Innocuos mitesq; animos irridet,& odit
Quem videt æternis illustrem laudibus altum
Per virtutis iter veri conscendere honoris
Culmen,& ad superos niti cœloq; propinquum.
It grauis & raro incessu vestigia profert
Strimoniæ de more gruis, quæ semina campis
Iacta legens æquæ tepido sub sydere libræ,
Si vicina ferat gressum per rura viator

Tela ferens, arcumve manu, caput ardua tollens
Clangit, & ingenti mouet internodia passu.
Paulatimq; viam suspenso gutture carpit.
Cùm bellator equus domini frænatus habenis
Ostentans pectus latum ceruice sub alta,
Cùm glomerat bibulo lentos in puluere gressus,
Nunc hac nunc illac oculos & colla retorquens
Spectari gaudet, Libycosq; æquare leones
Viribus, Albanosve canes dum se putat auras
Colligit, & latis imitatur naribus Eurum,
Non secus hæc rabies ventoso inflatior vtre
Cùm graditur vibrans alternis motibus armos
Ardua sublatæ circumfert lumina frontis,
Vanaq; proceri miratur corporis vmbram,
Et tacitis ardens curis sublimia semper
Mente agitat, tumidoq; sedet sub corde venenum.
Contemptrix inopum, vultus elata seueros,
Inflatoq; rotans turgentia gutture verba,
Ferre nequit iuga, maiorem indignata, paremq;
Imperia vsurpat, regniq; libidine feruet.
Immansueta, ferox, miseris aduersa, minaxq;
Mitibus, elatis contraria, nescia pacis,
Nescia amicitiæ, rixarum & litis origo,
Dura, ingrata, duplex animo, violenta, rebellis,
Improba, quid pietas, quid sit clementia nescit.
Perfida, fœdifragam dubio sub pectore mentem
Versat, ab excelso fugientia culmine semper
Saxa mouet, laudum semper vesana libido
Sollicitum pectus curis flammantibus vrget, Nec

Nec vitæ ratio, nec opum, nec honoris, in omne
Sponte scelus præceps ruit implacabile monstrum.
Hæc hominum suprema lues, immane ferumq;
Thraicio facinus potuit suadere tyranno,
Asper vt horrenda cumulans præsepia cæde
Semineces artus hominum, fumantiaq; exta
Intulerit stabulis, & equis epulanda virorum
Corpora, quæ infami hospitio, laribusq; prophanis
Occultus pacem simulans admiserat hostis.
O scelus, ô dira inuisæ spectacula fraudis.
Luminibus toruis quoties capita alta leuabant
Thraces equi grandes humano sanguine pasti
Et capita & teretes pendêre extra ora lacertos,
Crurave confractis genibus, crinisve cruentos
Vidisses, sanie à mento per lata fluente
Pectora, sub grauibus contrita cadauera malis,
Fractaq; sub duris crepitabant dentibus ossa.
Strimonius meminit Nestus, scit Bistonis vnda.
Traxit Idumæi genus hinc vecordia regis
Quem magus ardentis cœli noua signa secutus
Admonuit venisse Deum. Nisi cæca superbi
Pectoris ambitio mentem fecisset opacam,
Isset ad infantis sancta incunabula Christi
Deposito fastu, sed mens inflata fauore
Cæsareæ gentis longoq; tyrannidis vsu
Est ingens meditata nephas, nec prisca parentum
Sæcula par vidêre scelus, nec longa videbit
Posteritas, per rura furens Galilæa satelles

De trepidis matrum finibus latentia vulsit
Pignora, membratimq; secans lata arua cruore
Imbuit innocuo, matres vlulare per agros
Audiuit montana Rachel, vicinaq; fonte
Flumina de duplici ducentia nomen & vndas
Hinc est orta lues, quæ Thracia regna vetusq;
Græcorum imperium vertit Bizantia regum
Vrbs opibus constructa, mari prætenta, duobus
Aegeo Euxinoq; fretis stipata sedebat
Sceptra tenens, paruo quà gurgite Bosphoros vndam
Colligit, hanc Scythica irrumpens Othomanus ab arcto
Insidijs captam ferro violauit & igni,
Arx erat, Europes, & inexpugnabile quondam
Romanæ fidei vallum Mahometica contra
Arma, minas Asiæ frenans, Lybiæq; tumultum.
Hæc scelerum dux, atq; parens sublime nitentis
Imperium cœli, summamq; ambire Tonantis
Ausa potestatem, quantum tentauit in altum
Surgere, Tenarios tantum descendit ad amnes.
Cuius ob ingentem tellus concussa ruinam
Cessit, vt in latices cautem si miseris altum
Pandititer, molemq; sinu capit vnda capaci.
Sic percussa grauis monstri se pondere tellus
Dissecuit, gremiumq; alto patefecit hiatu.
Sicut Adrastæis cùm vatem absorbuit agris
Campus, & armato percussit tartara curru,
Seu quando inferni caua guttura Curtius antri
Clausit, & Elysios tremefecit pondere campos,

Vel quando electa primo sub iudice genti
Terra Coron, sociosq́; altam demersit in aluum.
Antra igitur grandi laterum sinuata recessu
Inter se ripis summo coëuntibus ore
More pilæ quotiens vento consurgit in orbem
In Latios abeunt curuati fornicis arcus,
Fitq́; ingens domus vmbrarum, præcepsq́; baratrum.
Illic sulphureos incendia, nigra liquores
Lambunt, & dubium quasi prima crepuscula lumen
Spargitur, & tristi caligant tartara fumo.
Hic sunt lugentes, mortis domus impia, campi
Regnat vbi scelerum lachrymoso in carcere mater
Exercens pœnis animas, claudiq́; tenebris
Indignata fremit, clauso ceu nubila vento
Cùm piceas frangunt clamosa tonitrua nubes.
Hæc est quam veteres dicunt Phaëtonta poëtæ
Aethereos docti cursus causasq́; latentes
Ignibus æternis, sol est qui corda superbis
Incendit stimulis, tumidosq́; in pectora fastus
Mittit, & impatiens fugit sub corde venenum.
Propterea ex alto labentem cardine fingunt
Audacem aurigam, fractisq́; per aëra loris
Solis equos caput Eridani mersisse sub vndas.
Ad superos egit quotiens pater arduus alto
Annuit à solio, & latum imperiosa per orbem
Bacchatur, supraq́; suas temeraria vires
Audet, & infausto amittit conamine vires:
Scilicet omne Deo contrà nitente superbum
Euanescit

Euanescit opus, sicut cùm surgit in auras
Eructantis aquæ fluctus, mox vertice presso
Decidit, & spumans alto demergitur amne,
Atque humiles inter sine nomine præterit vndas.
Hoc docet Allophylus, Solymæ qui verbere fundæ
Deposuit, frontisque minas, animique tumorem
Ibat enim solo auxilio thoracis, & hastæ
Non ope diuorum, non vllo numine fultus
In pugnam, paruumque minax Dauida superbo
Nequicquam terrere sono conatus, in ensem
Dum surgit misso per ferrea tempora saxo
Corruit, & toto diffusum iugere corpus
Mirati stupuêre hostes, turpique dedêre
Terga fugæ, paruoque Gygas cadit ictus ab hoste.
Sic quoque delusus curru Iouis æmulus alto
Aerea conuexi scandens curuamina pontis
Flammiferumque rotans Alphæa per oppida fulmen
Occidit, & casu Eleam perterruit vrbem
Hæc docuit, Phlegias genus execrabile cœlum
Spernere, quos Tethys vltricibus abstulit vndis:
Hæc quoque Niliaco regi cùm nescia roris
Terra diu solitas fruges, victumque negasset
Sanguine persuasit placari numina fuso.
In superos, eadem natos armauit Alœi
Qui domitum grauibus Martem tenuêre catenis.
Sic satis hæc libasse, aliis memoranda supersunt
Plurima, maiori [illegible]erum de principe cantu.
Audiui, gemuit tellus, turbatur auerni

Et Dauida inopem comitum cum paupere turba
Ire per abruptos deserta cacumina montes
Et certam nescire domum, regemq́ sub antro
Deprensum, potuit sermo mitescere, si non
Intima tabificus viciasset pectora liuor.
Quid referam primos discordia fœmina fratres
Et scelus? & campos germana cæde madentes?
Prætereo vatem, nigri quem spiritus orci
Perculit & tristi clausit Babylonia circo.
Ipse diu ieiuna iacens ante ora ferarum
Atq; famescentes animalia sæua leænas
Indomitum fregit superûm pietate furorem.
Prætereo pulsum patria reducemq́ Camillum
Rapta Panomphæo referentem signa Tonanti.
Qui furor ingratos Dux præstantißime ciues
Scipio? quæ fortuna tuam tulit aspera mentem?
Vt post euersas Tyriæ Carthaginis arces
Partaq́ bellando Lybicæ cognomina gentis
Cûm tua consilijs esset melioribus ætas
Vtilis & vires ad ciuica munera promptæ
Iura fori & ciues & amatam liqueris vrbem?
Non monuit pietas virides seruata per annos
Publica priuatis præferre negocia rebus?
Causa mali liuor, suffusaq́ lingua veneno
Tot clara inuictæ molita extinguere laudis
Facta tot egregia partos virtute triumphos.
Qui rigidos enses, qui ferrea bella subegit
Exul ob inuidiam patria migrare relicta

Cogitur

Ianitor, ecce niger nebulæ globus exit opacæ.
Iam turres, regumq́ domos abscondit, & vrbes,
Exhalatq́ grauem nox importuna Mephitim.
Ite procul mites animæ quæ dulcia pacis
Ocia, quæ superos, quæ cœli quæritis arcem,
Ne funestus ordo, ne vos contagia lædant
Vipereæ prolis, clausis abscondite valuis
Atria progenies nigri dum præterit orci.

Monstrum secundum, Inuidia.

Liuor edax tristi surgens Acheronte ab amne,
Pallidus, & mœsto demissus lumina vultu
Obliquumq́ tuens rebus gaudere secundis
Nescius, æra virum claris signata triumphis
Dente terens, tardoq́ mouens vestigia passu,
Murmure nunc tenui, nunc fulmine vocis aperto
Percutit insontes, bona vultu aliena maligno
Ingemit, aspiciens, & felle grauatus amaro
Tabescit, quòcunq ïerit teterrimus oris
Spiritus agrorum virides interficit herbas.
Cætera nonnullis parcunt, certisq́ venena
Graminibus magicaq́ solent mitescere lingua.
Pontica magnanimum celebrant medicamina regem
Quæ fatis obstare ferunt, his ille solebat
Virus & occultæ insidias contemnere mortis.
Tangere cæruli squamas & colla draconis,
Phasias ausa fuit, tantum Medeidis herbæ
Virgineæq́ preces poterant, Hecatesq́ liquores

Marsus in Ausonijs Vmbrorum vallibus inter
Serpentes impunè cubat, Lybiaq; per agros.
Quà steriles versant nigri Garamantes arenas.
Non metuunt Psilli colubros, non saeua neparum
Spicula, non Hydri morsum, non aspidis horrent,
Hæc feralernæo rabies maculata veneno
Omnia depascit, nullis innoxia nullos
Præterit illæsos, nulli mansuescit, in omnes
Inuebitur, quod agit non est sanabile vulnus,
Non Amytaonij prodesse Melampodis vlla
Carmina, Thessalicis non lecta in montibus herbæ
Phyliridæ manibus, non Coi sancta magistri
Pharmaca sufficiant, claræ ve Machaonis artes,
Non genitor Stygijs lacerum qui traxit ab vndis
Hippolytum, non Phœbus auus, cui prima medendi est
Gloria, lethali poterunt succurrere morbo.
Quem iuuat istius varias cognoscere fraudes
Et per aperta latens deprendere signa venenum,
Multiplices casus & longa pericula cernat
Fatidici iuuenis, qui dum præsaga parenti
Somnia narraret fratrum liuore sub altam
Actus humum Pharias tandem migrauit ad arces,
Huius vt infectos genitor cognouit amictus,
Et pueri tunicas mendaci cæde rubentes,
Heu fera clamauit dulcem sæuißima natum
Abstulit, & luctu canos confecit amaro.
Aspice contorto Saulis conuicia telo
Inuidiaq; satos inter conuiuia planctus,

Cogitur, & duros inter versatur agrestes.
Ad Cereris conuersus opus, moresq́; parentum
Qui Pelusiacæ seruant cognomina lentis,
Et quibus illustrem fecêre legumina famam,
Triptolemi curauit, opes imitatus Osiris
Arsinoiq́; senis studium, ceu postea magnus
Cæsaris & sceptri posito splendore Diocles,
Hortorum didicit cultus, incidere vites,
Atq́; piri secto malos insigere trunco,
Quo fit adoptatis lignum bis fertile ramis,
Humectare solum riuis, ferroq́; bicorni
Pectere luxuriem terræ, redolentia sulcis
Gramina virgineos induta rosaria vultus
Lilia, narcissos, violas, flentes hyacinthos,
Purpureisq́; crocum folijs, mentamq́, thymumq́;
Pangere, & innocuis vitam traducere curis.
Vnde viro forti damnum parat, inde salutem
Gignit, & ipse suo cadit ictus vulnere liuor.
Pluribus excelsa vel opum vel honoris ab arce
Profuit ad modicæ sortis cecidisse quietem:
Sicut enim quando rutilat noctemq́; rubenti
Ore fugat carbo in cineres atramq́; fauillam
Soluitur, extinctis si cesserit ignibus ardor
Secula nulla, timet, sic mens humana superbo
Tabescit fastu, rebusq́; elata secundis
Torpet, at execto viret euigilatq́; tumore.
Inceptum repetamus iter, miremur auerni
Militiam famis & morbi pugnæq́; parentem,

Zoilus his actus stimulis, hoc percitus œstro
Inachis, & quondam populos cum venit ad hosdem
Diuinum audaci dum carperet ore poëtam,
Seu Smyrnæ seu Meonij Colophonis alumnum
Regis ad imperium pino suspensus ab alta
Tristia Niliacæ fecit spectacula plebi.
Sic pereat, quicunq; pios auferre labores
Nititur, & sacro vatum non parcit honori.
Cætera dicturum super his crudelis imago
Terruit immanis monstri venientis ad auras
Impete cum magno, fusis per terga colubris
Circum equitant dominam furiæ, manibusq; flagella,
Vincula, flammiuomasq; faces, & sanguine tincta
Tela ferunt, vehitur plaustro stridente supellex
Martia, loricæ, clypei, galeæq; micantes,
Conorumq; iubæ, strepitusq; auditur equorum,
Et procul hinnitu campus sonat omnis acuto.

Monstrum tertium, Ira.

IRa minax, odijq; parens, Mauortis alumna
Secum agit indomitum Stygia de sede furorem
Stentorea qui voce tonat, qui gutture lato
Fulminat, & rauco resonans clamore fugacem
Pantagiam superat, mugire tonitrua dicas.
Horrificaq; fremens æratas voce cohortes
In rigidos enses, alternaq; vulnera mittit.
Sanguinolenta graui vibrans hastilia ferro

Bellaciens, rixasq; mouens, hostemq; lacessens
Labra manusq; tremit, scintillant lumina toruis
Fulta superciliis, strepit & conuitia iactans
Bacchatur, si forte aliquo nequit obice pœnas
Sumere, vindictas in idonea tempora differt,
Fitq; odium, quod longa fouens incendia pectus
Vrit, & accensis lambit præcordia flammis,
Nil pensi, nil mentis habet, citò mobilis, expers
Consilij, volat in pugnam, retinacula rumpit.
Lege modoq; carens, rabido stimulata colore
Non ignes, non arma timet, flammantia tantos
Pectora concipiunt accensi sanguinis æstus.
Quò ferat immanis furor & grauis impetus iræ,
Fabula Testiadæ priscis monet eruta chartis:
Cùm ferus Oenides aprum Calidonia rura
Vastantem premeret procerum socialibus armis
Auxilijsq; canum, spumanti concitus ira
Fulmineoq; fremens Aethola per agmina dente
Irrumpebat aper, non illum densa virorum
Turma nec hinnitus celerum tremefecit equorum,
Strenuus arrectis hirsuto tergore setis
Flammiferis oculis syluas & retia rumpens
Quà furor vrgebat rapido per spicula cursu
Perq; canum rictus venabulaq; ipsa ruebat.
Non secus hæc rabies ardenti pericula bile
Luminibus cœcis per aperta pericula fertur.
Felsineos totiens ciues in dira coëgit
Excidia, & furijs trepidam inuoluentibus vrbem

In ferrum ruere, atq; securibus ardua tecta
Detrahere, & patrios flammis violare penates
Compulit, antiquosq; patrum delere labores.
Sed postquam domitis scelerum ceruicibus auctor
Occidit, & rutilos Serræ concordia dentes
Signa tulit primis populus cum patribus alte
Defixis vrbana quies radicibus hæsit
Atq; gradu semper mansit respublica firmo.
Hæc eadem rabidum conuulso pectore Syllam
Ora cruentatum furibunda, animamq; vomentem
Sacrilegam celeri rapuit sub tartara fato
Visceranatorum manibus lanianda paternis
Præbuit Alcides, cùm lusus imagine falsa
Sanguine fœdauit læta, dulciq; furentem
Pace domum fuit ira virum, quæ lusit imago
Ira draconigenas acies, Cadmiq; nepotes
Fraternasq; manus alterna cæde rubentes
Implicuit longis bellorum ambagibus, ira
Diruit excelsas vrbes, atq; inclyta quondam
Oppida, regalesq; domos euertit abactis
Ciuibus, aërias turres deiecit, & arcus
Clara triumphales veterum monumenta laborum.
Hæc accensa focis Italos pulcherrima regna
Et magni specimen mundi vexare coacta est
Barbara sæuities, & inhumani fera vulgi
Colluuies: Roma inditio est. Scyllynaq; Tuscis
Vrbs diuisa vadis, necnon regina, caputq;
Hetrusca quondam modò sola Bononia gentis,

Et vetus aprico recubans in culmine Derton,
Cuius adhuc extant vacuis vestigia campis
Semirutæ moles lapidum, fractæq; columnæ,
Vincula, singultus, lachrymas, suspiria, planctus,
Pallorem, vigilesq; metus, tormenta, crucesq;,
Verbera, pestifero rorantia tela veneno
Protulit, atq; feris hominum crudelibus artus
Obiectans, varijs impleuit cladibus orbem.
Hinc multæ exilio gentes aliena sequutæ
Regna, suis orbæ patrijs, sic filia quondam
Tiresiæ gemini Manto post dura Creontis
Seruitia in Venetis molita paludibus vrbem
Vixit, & extructæ sua nomina tradidit arci
Laomedontiaden Teucrum Salamina petentem
Expulit ira patris. Quid te Neiphylas Helle?
Quid profugum memorē Phrixū, sæuumq; Athamanta?
Atq; nouercales furias, odiumq;, minasq;?
Adde Miceneum pœnas, & funera regem
Matri intentantem, mœstasq; Agamemnonis ædes:
Atq; Sophocleo celebratos carmine planctus,
Adde Phryges geminos, Anthenora, fluctiuagumq;
Aenæam ignotum decorantes mœnibus orbem
Hos aliosq; iræ patrijs à finibus actos
Longa per exilia & casus misère sinistros,
Hac rabie succensa feram Priamēia coniunx
Induit, & duplici creuerunt aggere dentes
Longaq; sub geminis surgentia naribus ora
Succensi mansēre oculi, & truculenta minaci

Fronte

Fronte ſupercilia,& latrans in pectore virus.
Quid memorem ſæuæ furias,odiumq́; parentis
Quæ miſeros nati flammis fatalibus artus
Vlta necem fratrum,& matrem ſe oblita cremauit.
Vix ea finieram,cùm formidabilis iræ
Caſtra ſequens aderat Stygijs noua belua ſignis
Ingenti comitata manu,mendacia tectis
Vultibus,& trepidæ dubia ſub imagine fraudes
Ignotisq́; doli ſub veſtibus agmen agebant,
In medio ſtipata graui regina tumultu
Tollebat nigra vmbroſam fuligine frontem.

Quartum monſtrum,Philargyria.

AVri ſacra fames hæc eſt,rerumq́; cupido
Improba,diuitias amor infinitus habendi.
Hæc nummi ſitis ardeſcens immenſa vorago
Tartareis emiſſa vadis,imitata rapaces
Vnguibus Harpyias,armataq́; grandibus ora
Dentibus in gyrum quales quantosq́; Elephanti
Aethiopes,Indi ve ferunt,ſinuatur in orbes,
Atq; nodos,in ſe rediens coma denſa figurat,
Tempora nec velat,ſed agit ſuſpenſa tumorem
Vndiq́; ſurgentem,nudaq́; recedit ab aure.
Nec ſolum vigiles obeunt hirſuta rotundo
Tempora circuitu,verùm ſub vertice cano
In ceruice micant oculi ceu florea ſerta,
Effigies veteri vultusq́; ſimillimus Argo,

Sed magis introrſum ſcrobibus ſubducta cauatis
Lumina diſcedunt, ſetoſaq; prominet atri
Sylua ſupercilij, macies ſqualorq; per omne
Corpus, iners dicas monſtrum, & vix oßibus hærens,
Sed geminis, quotiens opus eſt, ita nititur alis
Vt credas ferri Boream Zephyrumve per auras
Præcipitemve Notum, lucri ſi nuncia fama
Surgat, & acceptus nares odor imbuat auri
Eleuat ingentes alas, & lumine fixo
Viſa petens quicquid falcatis vnguibus aufert
Stulta ſuos nunquam venturum ſeruat in vſus
Sacra Deum, ſanctas leges, præclaraq; geſta,
Scriptores rerum egregios, celebresq; poëtas,
Qui procerum laudes chartis, & nomina mandant,
Et quicquid non auget opes auerſa repellit.
Sola iuuant quæ lucra ferunt, ſint cætera quanquam
Laudibus, & precio dignißima, cætera ſordent,
Sicut Hyperboreis rutilans in vallibus aurum
Gryphes amant, auidiq; tenent, vigilesq; tuentur
Vndè nec vtilitas operæ, preciumve laboris,
Sed metus, & clades oritur, ſic pectus anhelum
Peruigilis monſtri, grauiore cupidinis æſtu
Feruet, opes cumulans, quas olim prodigus hæres
Dißipet, & pingues ferat in conuiuia menſas.
Palla ſinu lato ex humeris decurrit in imos
Lapſa pedes, manicæ velant extrema capaces
Brachia, quas vbi vult curuos demittit in vngues,
Vtitur his quotiens opus eſt, vel fingere mores,

Vel

Vel gestu simulare fidem, vel fallere quenquam
Seu furtum celare manus leuis, apta rapinæ
Perfida mens, nullisq́; potens mansuescere dictis.
Indignas, dignasq́; preces surda accipit aure,
Vt proiecta bouis detracto grandia tergo
Viscera percipiens oculis, vel nare sagaci
Vultur edax auido, coruusue famelicus ore
Conuolat ad resoluta graui conuiuia tabe,
Sic ad opes, aurumq́; cito sitis ista volatu
Fertur, & ad nudum spolians fragmenta, breuesq́;
Relliquias studiosa legit, gremioq́; recondit.
Nec contenta bonis, diuûm quæ munere tellus
Protulit, in partem scelerum vocat astra Deosq́;
Exercetq́; preces, magicas & consulit aras,
Infernosq́; vocans manes altaria circùm
Nocturnas adhibet vestes, tetroq́; vapore
Orgia perlustrat, ducensq́; in puluere circum
Murmurat, & varijs distinguit signa figuris.
Extaq́; Tyrrheno risu scrutata requirit
Thesauros, quæ terra tegit liuentia plumbi
Pondera, & argenti globulos viuentis & æra
Artifici mendax vertit medicamine in aurum.
Falsaq́; cum veris iungens, cum Doride Bacchum:
Cum gemmis fragiles hialos, cum Pallidis imbre
Miscet Aristæi succos & cerea mella.
Mentitisq́; nouas, fuco errorem faciente,
Confectis senio deludit mercibus, omne
Turpiter emporium lucriq́; libidine feruet,

Et totos hac arte dies consumit & annos
Vtq; dies tristi, sic nox abit anxia monstro,
Nullaq; pax vitio rodentibus intima curis
Pectora, nulla quies, post turpia lucra diurnæ
Fraudis & exlegem quæstum, si lumina somnus
Occupat & duro furatur membra labori
Pictus imaginibus formisq; fugacibus astat
Morpheus & varijs fingit noua vultibus ora,
Vanaq; sopitos ludunt insomnia sensus.
Nam rerum tenues vmbras simulachraq; seruans
Lubricus aßiduis vt fluctibus ambulat humor
Et nunc summa petens reptat, nunc ima relapsus
Antra cauernosi capitis rigat, itq; reditq;
Nunc iter obliquum sinuans, nunc tramite recto
Fertur, & ipse sibi redit obuius, aut agit arcum
In dextram læuamve cadens vt pellit & vrget
Funus & egreßi caua spiramenta vapores.
Sic rerum species varijs concursibus, vt sors
Obtulit aut vsus vel vis incognita cœli
Spirituumve potens industria nocte silenti
Diuerso ostentant diuersos ordine casus.
Ceu varias voces, diuersaq; nomina rerum
(Si nouus inuersis surgat compagibus ordo)
Difformes eadem faciant elementa figuras.
Hæc duo Roma *notis, & amor componimus hisdem*
Tramite conuerso, & retrò redeunte meatu.
Quæ simulachra magis vigilans exercet in vnum
Nocte reuertuntur, verisq; simillima formant.

Osten-

Ostentantur opes, cupido quia tempore lucis
Cogit opum species, & iter quod luce frequentant,
In tenebris repetunt, & noto calle recurrunt,
Cœcaq; præteritas imitantur somnia curas.
Quom tacitis ergò rediȷt nox humida pennis,
Atq; soporiferos niueis argentea bigis
Luna vehit radios, somnus, per rura, per vrbes
Spargit letheo medicata papauera rore,
Et vigiles abigit secreta incendia curas.
Pulsæ abeunt celeres ad tristia limina Ditis,
Atq; leues hærent sub opacæ frondibus vlmi.
Vlmus enim diffusa comas, & brachia latè
Surgit ibi à validis radicibus, illius ergò
Muta sub vmbrosis habitant quæ somnia ramis
In thalamos hominum, & tenebrosa cubilia ducunt:
Dantq; suos illis, vultus vocemq; habitumq;
Illa per obscuros capitum delapsa meatus
Ad vigilem subeunt animum, casusq; figuris
Mobilibus formant, sopitaq; corda iacentum
Sollicitant, nec vana minus quàm vera fatigant,
Interea circum vittas, & anhela frequentes
Ora volant curæ, moxq; vt sopor euolat intrant,
Mordaciq; secant iterum præcordia rostro.
Hæc est quæ Tytium volucris ferit ore cruento,
Aeternæ natam pœnæ æternoq; dolori.
Monstrum igitur si quando quies blandita soporem
Reddidit, aut auro insudat, sublataue furto
Semina frugiferæ Cereris, vel inania plangit

Horrea, vel dura decussos grandine fructus,
Effusamve fretis mercem, depræns ave furta,
Atq; iterum tractat sub nocte negocia lucis
Totaq; sub curis it vita simillima morti.
Hæc animum turpi maculans & corpora labe
Quærere cœlesti precium pro munere iussit
Vanaq; composito mendacia fingere vultu,
Quando grauem sacro morbum Naamanus in amne
Abluit & puerum spolijs onerauit & auro.
Hæc eadem scelerum genitrix fraudumq; magistra
Reginam Lybicis posuit quæ in collibus vrbem
Aere, viro patria spolians, peregrinaq; circum
Aequora, per rapidas Syrtes, per barbara pellens
Regna diu profugam terris iactauit, & vnda.
Hæc Priami natum, cui longa pepercerat ira
Martis, & à patria procul obsidione latentem
Thraicio iuuenem innocuum mucrone peremit:
Ah scelus, ah dirum facinus, multoq; piandum
Sanguine primæuæ imberbem sub flore iuuentæ,
Ignarumq; doli puerum, nil tale verentem
Perfidus obtruncat, placidum rosei decus oris
Et regale caput simplex sine crimine pectus
Et natas ad sceptra manus, veniamq; precantes,
Vulnerat immitis repetito sæpius ictu.
Prætereo conscisa sui qui corpora nati
Dijs epulanda dedit, quiq; auro vendidit vrbem,
Quiq; suum superans hostem superatus ab auro
Exanimum Phrygio versatum puluere corpus

Misit ad extremos ignes, patriumq; sepulchrum
Non prece, non lachrymis motus, non voce paterna,
Nec misero casu quereli senis immemor omnis
Iustitiæ, solo placatus munere, tandem
Hectora restituit Priamo, sua pignora patri,
Quiq; per vndosum dulces ne perderet æquor
Diuitias retrò conuersa naue per vndas
Ad patriam, & sæuos redijt non inscius hostes:
Quiq; Deum manibus rapiens pendentia dona
Sacrilegus superûm vanos irrisit honores:
Et qui surripiens auri duo milia pondo,
Et lateres fuluos, fucata subintulit æra,
Vt genus effrenum Nasamon qui versus in austros
Incolit Isiaco contermina rura Canopo,
Naufragijs victum quærens gaudere procellis,
Turbinibusq; solet, fusasq; per æquora merces
Colligit, & nautas ad Punica littora pulsos
Auxilium simulans violat. Sic improbus auri
Raptor in aduersis quemquam si viderit angi
Casibus exultat, fictoq; astutior ore
Dum promittit opem spoliat, prædamq; reportans
Celat, & exuuias occulto congerit antro.
Hæc quoq; venalem (tanti quis crederet orcum)
Esse Deum fecit, semen cœleste piando
Progenitum sceleri, diuinæ mentis alumnum
Virgineoq; alitum gremio, crimenq; volentem
Soluere, & antiquo contractum fomite labem,
Dira fames auri culpæ regina, parensq;

Perd-

Perdidit, indigno signatum verbere corpus,
Confixum caput, & duplici manantia rore
Pectora, pallentesq; genas, frontemq; cadentem
Ingratæ moriens plebi monstrabat ab alta
Arbore, purpureum terra absorbente cruorem
Hæc opera, hi fructus, hæc gaudia mentis auaræ.
Hic memor antiqui sceleris dum tristia flerem
Funera virgineæ prolis, largoq; maderent
Imbre genæ vidi ex alto telluris hiatu
Deformem prodire chorum: Sartagine lata
Signifer armatus vestigia lentus agebat,
Quem confusa cohors cultris armisq; popinæ
Pressa sequebatur, patinas, vnctosq; lebetes,
Visceraq; oblongis verubus confossa gerebat.
His comes in bellum turmis veniebat inerti
Turba canum gressu, quorum cutis aspera multam
Fluxerat in scabiem, sanieq; fluentia linguis
Vlcera lingebant, & crebro ardentia morsu
Scalpebant terga, & scabras prurigine clunes:

Quintum monstrum, Gastrimargia.

Hoc quoq; Cerbereis monstrum de faucibus exit
Ridiculum: nam pingue caput, frons prominet alta
Labra, genas, oculosq; tumens, sub gutture lato
Surgit, & inflatum tollit cutis vuida pectus.
Trita, breuis, maculata mero, pinguedine vestis

Vix rhenes clunemq́ tegit, ventremq́ profusum.
Raraq́ collisis ægrè vestigia mutat
Poplitibus, curuis putruêre sub vnguibus escæ.
Ad lumbos, ad vtrumq́ latus lachrymantia circum
Tuceta, & guttis suspensa fluentibus hærent
Lumina, lapsus adeps iter & vestigia signat,
Oenophoro læua armata est, abdomine dextra.
Antè cibos quam pressa graui sub fasce priores
Concoxit natura, nouas superingerit offas,
Impatiens famis, escarum infinita vorago,
Pocula prensa manu sitis implacabilis haurit:
Et crebro exhilarat Bacchus conuiuia potu.
Garrula, lenta, salax, petulans, improuida, turpis,
Immemor, indocilis, leuis, ebria, dedita somno,
Semper olet, naresq́ graui contristat odore.
Talis erat multo spumans Silenus Hiaccho
Quam capitis nutu in collum curuatus aselli
Ceruicem super atq; iubas stillante saliua
Risus erat Faunis: Nymphisq́ colentibus agros
Concaua non tantùm maris absorbere Charybdis
Dicitur à Calabris quæ diuidit arua Pelori.
Quantum hæc ingluuies vini demergit in aluum,
Hirsutam setis aluum, densaq́ comantem
Pube, per humentes it grex teterrimus vmbras
Grex olim Syllæ infestus, vatiq́ Tragœdo,
Et pingui sudore cutem depascitur vdam.
Blandior ingressu primo Semeleia proles
Incalet, atq; vias fumos exhalat in omnes,

Con-

Concluditq; aditus, per quos à pectoris antro
Spiritus ascendit curuas in verticis ædes:
Nam nebulæ feruente mero per guttura pingues
Attoniti capitis summam voluuntur in arcem,
Pugnaq; fit, validis alti mens incola tecti
Defensura suum limen succingitur armis.
Sed conata diu bacchantem extinguere fumum
Victa fugit, victor subiens penetralia Bacchus
Cui comes it sopor, & torto dementia gressu
Per cerebri, humentesq; sinus, animæq; sacellum
Letheo spargens haustos de flumine rores
Inducit somnos hebetes & Morphea doctum
Fallere imaginibus, nocturnaq; fingere monstra,
Pondere pressa Dei conniuent lumina crebris
Nutibus, & placidæ nequeunt obsistere nocti.
Lingua loquax prius & nullis obnoxia vinclis
Iam delusa labat verba imbecillia presso
Fine cadunt, bleso sonus euanescit ab ore,
Labentemq; pluit per mentum barba saliuam.
Qualis in vmbroso Protheus mutabilis antro
Pressus Aristæos iacuit quà Carpatus inter
Niligenas claramq; Rhodon caput extulit vndis,
Qualis in occidua pugnax Anthæus arena
Et ferus Aemonie victore sub Hercule taurus
Fusus humi cubuit. Qualis Minois in æde
Semiuir eructans spumantem sanguine prædam
Cecrobio, qualisq; cauo sub carcere plena
Cerberus ingenti diffundit viscera campo:

Fibula coccineam, textoq́ʒ subalbicat auro
Corpus, & exilij fila inter serica veste
Lacteus apparet mixtus cum sanguine candor.
Qualis odoratis pesti quæ nascitur hortis
Est rosa confusis rutilante colubribus albo,
Rara sinum chlamys, & visu penetrabilis ambit:
Albaq́ʒ sub tenui cutis interlucet amictu.
In geminos orbes glomerata vtrinq́ʒ tumescunt
Pectora, zona sinus, cohibet baccata fluentes:
Gemma humeros non vna tegit digitosq́ʒ micantes,
Hoc habitu ad ripas Phrygij Simoëntis amatum
Ibat ad Anchisen: Marti velamine in isto
Est congressa, cauo dum vir sudaret in antro
Mole sub Aethnea, quà fortibus æra lacertis
Voluit in ardenti durus fornace Pyragmon:
Qualis erat Tyrios ludens Europa per agros
Siue per Hybleas errans Proserpina valles
Cùm Cyane in liquidum fluxit mutata liquorem:
Qualis in ornatu Lybico Sidonia mater
Comptior, & festis solenni more diebus
Cum nuribus Phrygijs multo spectabilis auro
Tyndaris ad diuæ veniens Tritonidis arcem
Seu quales ineunt regum conuiuia nuptæ
Buxea cùm lætos modulatur tibia cantus:
Tale super picto per rura, per oppida curru
Progrediens monstrum nunc hos, nunc vulnerat illos
Luminibus motis aptè gestuq́ʒ venusto.
Obuia diffusos crines vestemq́ʒ decoris

Motibus

Talis in immundo vinosum belua corpus
Puluere distendit tumidam sic explicat aluum,
Aegraq; turbato sic deijcit ordine membra.
Nunc ventosa tument, nunc contrahit ilia flatus
Alternisq; sonat vocis via murmure rauco,
Pectus & ora lauat tepido fumantia rore
Sudor, & vndantes currunt per tempora riui.
Somniaq; occurrunt, pingues sunt somnia mensæ
Atq; coronati fuso crateres Iaccho,
At celeres nunc labra bibunt, nunc humida musc
Lumina nunc bifido rimantur tempora rostro.
Dum loquor, & turpis moror ad spectacula mon
Ecce noua gentis resonans fragor impulit aures,
Et tellus noua castra vomens ingentia fudit
Agmina, quæ campis immissa patentibus omnes
Compleuêre vias, & culta noualia, nec iam
Rus capit has acies, & non numerabile vulgus.
Vicinas intrare vrbes, incendere templa
Visa cohors, & ferre nouas in mœnia flammas,
Signa sequebantur mœrentes ordine turmæ
Composito, signa arcus erant, fax, tela, pharetræ,
Et quanquam hæc essent hostilia castra, genusq;
Pestiferum, ridere tamen, facilesq; choreas
Ducere permixtis læta ad conuiuia turbis
Suadebant, fieriq; leues cum carmine ludos.
Dux erat his formosa Venus, suspensa, Cupido
Filius, hastili longo vexilla ferebat:
In gremio matris, molliq; in veste volutus

In

Insidias, iocos, & varias excogitat artes.

Sextum monstrum, Luxuria.

Haec fera Cocyti de tristibus enatat vndis
Irenitens, animo maculata, simillima sorbo
Quod nitido tristes claudens in cortice succos
Decipit ignaros, morsuq; venenat amaro.
Illecebris & fraude potens astuq; dolisq;
Inimicat, & vultu pacem praetendit amico.
Hanc contrà certare caue, contendere vinci est,
Vincere terga dare, & retrò vestigia ferre,
Fulget in egregio decor, insuperabilis ore
Ornatuq; iuuat formam, ligat auricolorem
Puniceâ vitta comam molles quae fusa per armos
Leniter inflexos sensim finitur in orbes,
Candida frons lateq; patens ad tempora currit.
Rara superciliis velantur lumina nigris.
Sta genas pressi sub honestis naribus oris
Purpureos coëunt imitantia labra colores,
Aurea procero teretiq; monilia collo
Argotelis caelata manu formatus in illis
Talis erat viuens pastor formosus Adonis
Sedet, & intextis viridi curuamine ramis
Myrtus opus cingit, geminaeq; in fronde columbae
Mutua porrecto collibant oscula rostro.
Qua graditur tenui summum bulla aurea pectus
Verat applausu, perstringit eburnea vestem

Motibus impellens diuinum spargit odorem
Aura, sonat tenui ludens vaga bractea vento.
Ore pudicitiam simulat castumq́; ruborem,
Nam magis innocuo si sit coniuncta pudori
Forma mouet, condita graui comitate venustas
Accendit rapidos furijs afflantibus ignes.
Hæc sunt illa quibus Veneris puer arma superbit,
Et quibus imperium terris quæsiuit & alto.
Hinc hominum surgit crucians insania mentes,
Quæ dulces abigit somnos, quæ pallida reddit
Ora, parit gemitus, in amaros lumina fletus
Soluit & in totum suspiria seminat orbem.
Mira huius natura feræ, non ense nec hasta
Vincitur, inter equos thoraces inter ahenos
Per galeas conosq́; truces incedit inermis.
Nuda manus, sine thoracis sine cassidis vsu
Concita in hostilem victrix agit essedaturbam,
Preteriensq́; hominum castra imbecillia ridet.
Martia fert Macedo teretes in bella sarissas,
At Scythicæ longis vtuntur Amazones hastis.
Romulidæ certant pilis, celeresq́; catheias
Barbarus aduersos Gallus iaculatur in hostes
Parthus equo versis pugnat fugiente sagittis.
Sunt varij mores, vsus non omnibus idem
Militiæ, non omne vnis genus vtitur armis,
Sunt isti sua tela ioci risusq́; modestis
Nutibus, & pulchro ridentia lumina vultu.
Dura quibus penetrat compagibus æra solutis

Scutaq; multiplici chalybis circumdata veste.
Scit Paris Aeneasq; pius scit durus Achilles,
Alcidesq; Iouis proles, scit Iuppiter ipse
Sapè feræ insidijs factus fera, cygnus, & aurum.
Scit crudelis idem Theseus, victorq; Medusæ
Cuius adhuc retinent illustrem sydera prædam.
Hoc regina modo Babylonia Pasiphaëq;
Sic Bacchi delusa parens sic & Phaëthontis
Victa Cupidineo mater quæ languit igne,
Venatrixq; soror Phœbi, scit Lamia rupes.
Hæc fera adulterium parit, incestusq; nephandos,
Stupraq;, & igne scelus dignum, quo barbara quondam
Abstulit immixtis sulphur Quinquurbia flammis,
Nunc lacus est, vbi tunc homines errare solebant,
Et quà Pentepolis regio fuit, æquora lentus
Pigra liquor vestit, qui mortua corpora sorbet.
Viua gerit tergo sceleris monumenta vetusti.
Hanc Venerem dixêre patres, quam spumeus humor
Progenuit, leniq; salo delata propinquum
Littus vt applicuit placido per pectora lapsu
Se insinuans delubra sibi quæsiuit, & aras.
Flamma latens venis Venus est, furor oßibus hærens,
Hinc iocus, hinc frater satus est, qui tela, facemq;
Gestat, & auratis sine lumine militat alis,
Omnibus has natura potens, & prouida curas
Addidit, hos stimulos, atq; hunc animantibus ignem,
Quod præstat magis ossa calet, Venus acrior vrget:
Nam meliora magis prohibens natura perire

Ad genus augendum flammis grauioribus instat.
At hominem (cui plus diuini luminis auctor
Tradidit, & flecti voluit rationis habenis)
Legibus hunc certis iussit cohibere furorem,
Imposuitq; modum Veneri, ne pluribus vna
Nubat, vt vnius coniunx sit coniugis vnus.
Hinc proles, hinc sancta fides, & honesta feracis
Copula connubij, legis mysteria nostræ.
Sed Venus hos mores naturæq; addita frena
Non patitur, nulloq; potest mansuescere vinclo,
Ac velut vnda fluens pronus quam colligit amnis
Si solitos misso tardaueris obice cursus
Murmurat, & claustris furit indignata teneri,
Perlustransq; aditum tumet, & spumantia terga
Eleuat, & molem fluxus quæ intercipit vrgens
Pondere crescenti semper conuellere tentat
Et tamen euerso celerem trahit aggere cursum
Assuetum per iter notisq; dat oscula ripis.
Sic Venus iniectis crescente libidine vinclis
Vento inflata calet, pedibusq; repagula vincens
Libera perniciem facto rapit agmine gressum.
Ite procul iuuenes simplex & credula turba,
Præda eritis, dabitis pœnas, hæc belua Thysben,
Hæc Cinyræ natam rapuit, Scyllamq; paterno
Crinercam, Prœti sobolem, Lotidesq; puellas.
Ite viri procul, ite nurus, hæc belua tinxit
Cæde maritales thalamos & sanguine Lemnon
Hæc iras hæc bella parit, circumspice campis

Quæ

Quæ Stigijs errant vmbras, pallere videbis
Tristiciaq́; premi, & rubrum sudantia rorem
Tela coronari myrto, & nunc ire per vmbras
Pallentes vmbras nemorum, cœnosaq́; lustra
Et nunc ære graues vestigia ferre per hastas
Nunc per equos, has dura Venus certare coëgit,
Puluereq́; aspergi, & grauibus sudare sub armis,
Atq; pati geminum duplici sub Marte furorem.
Dicta sub exiguo claudantur vt omnia versu
Diuitias, animum, corpus, necet, inficit, aufert,
Talibus exultans armis & milite tanto
Multa catenatis heroum millia secum
Ducebat manibus, nitidosq́; per omnia flores
Compita iactabat, violas, hiacynthon, & alba
Lilia, purpureasq́; rosas Amaranthon, Anethi
Gramen odoriferum, Casias, & cynnama, nardi
Semina, & Assyriæ dederant quæ balsama syluæ,
Narcissum, croceasq́; comas rutilantia fila.
Sed paßim infestæ iactis de floribus herbæ
Surgebant, quas gignit ager Sardous amaris
Frondibus, & taxus, tristiq́; absynthia succo.
Mordentis genus vrticæ, curuisq; rubeta
Dentibus, & tribuli, titimallus, inane cicutæ
Germen, & erectæ tollunt quæ hastilia sentes,
Omnigeniq́; seges subit importuna veneni.
Dumq́; oculis abiens agmen sequor, Vltima pigris
Paßibus vmbroso gens ascendebat ab Orco,
Gens obscura carens titulis, ingloria, laudum

Indiga, vulgus inops, proles ignara laborum
Segnis, iners, timida pictum testudine velum
Ante ferens ibat torpor, sine nomine longa
Turba sequebatur pompa, dux vltima castra
Nixus equo tenui, vultum deformis agebat.

Septimum monstrum, Acedia.

HAec est curarum genitrix, exercita nullis
Artibus, officij nullo laudabilis vsu,
Segnities, inter socias nutrita Megeræ.
Doctaq́ languores animi, luctusq́ magistræ.
Sola sedens, oculosq́ solo difixa, malignum
Crispa supercilium, pallens, impexa capillos,
Phthiriasim patiens scalpit caput vnguibus vncis,
Os immunda, manus illota, cadente saliua
Barba madet, pluit imbriferis de naribus humor.
Debilis & longo pendens in pectora dorso
Fauce tumet, leuat angusto sub pectore ventrem
Vtris ad exemplum, morbiq́ intercutis instar
Crus exile genu surgens, pes pinguis & amplus
Tardat iter, grauibusq́ dolet iunctura podagris
Hæc fera seruilis sanctæ fastidia vitæ
Ingerit, & tardos ad clara negocia sensus
Somnifero languore premit, frigentia corda
Inuoluit gelido densæ velamine nubis,
Nil nisi terrenis haustum de fecibus vnquam
Cogitat, annales veterum, dubiamq́ futuri

Tempo-

Temporis ignorat ſortem, non vlla latentes
Cernere naturas rerum, cauſasq́; tueri
Cura ſubit, ſubiecta oculis vix aſpicit, ægrè
Palpebras leuat hærentes humore tenaci
Lumen hebet, ſurdent aures, vox languida, ſermo
Barbarus, obſcuro verba intercluſa palato.
Seminat infœlix lolium, frigenſq́; papauer,
Letheiſq́; rigat ſteriles humoribus hortos
Plumbea liuenti geſtat connexa metallo
Vincula captiuos hominum quibus alliget artus.
Saturnus pater eſt iſti, nox humida mater
Hanc genuit, magnos Iouis vt compeſceret auſus
Itala Creteis petijt cùm littora roſtris.
Penula trita, fluens humeris, à pectore aperta,
Sordida, neglecto cultu, dimißior antè,
A tergo breuior, textu laxata ſoluto
Fila oras circumpendent, roſêre cothurnos
Articuloſq́; pedum mures, & olentia nigris
Sordibus immundæ ſulcant calcanea rimæ,
Ipſa ſibi grauis eſt turpi deiecta quiete
Mæret, & ignorat cauſam mœroris, & ortum.
Ebria lethargo ſemper triſtiq́; veterno
Virtutum formidat iter, monſtratq́; labores
Difficileſq́; vias, & re maiora videri
Cuncta facit, ceu ſi vitreo ſub gurgite virga
Merſa ſit aërio quia corpore denſior vnda eſt
Ingentem ſparſa mentitur imagine formam,
Sic hominum falſo deludit acedia vultu

Spem minuens, animosq; premens operumq; futura
Præmia deridens, contemnit fulmen & ignes
Tartareos, frustraq; docet Phlegethonta timeri
Aeacon & Minoa negat, nullum Rhadamantho
Iudicium tribuit, fœdæq; libidinis vsum,
Et Veneris concedit opus, conuiuia, ventris
Ingluuiem laudat, sic lentus pectora torpor
Occupat, & pigras ita vincit inertia mentes,
Instructis lautè mensis, si copia detur,
Indulget, quæsita vorat, sed quærere nescit
Indè graues curæ longæuaq; tædia surgunt.
Sic nocet hoc monstrum, & iustis conatibus obstans,
Suadet ab obscœnis quæri solatia rebus.
Hoc inhonoratum scelus ignauumq; sequuntur
Ignotæ, tristesq; animæ, quas nulla futuri
Cura, nec æternæ stimulauit gloria famæ.
Si tamen hoc quædam retinent ex ordine nomen
Non sua, sed virtus illos laudata priorum
Vel genus excelsæ gentis, vel regia virga
Imbelli gestata manu, vel nobile crimen
Egregiumve scelus sciri sine laudis honore
Cogit, & inuitas hominum transmittit ad aures
Istorum turpi ex numero, & de plebe nefanda
Vnus erat modico dominum qui vendidit ære,
Vnus & ostriferam Sesto qui iunxit Abydum
Pontibus, & magnum salsis Athon alluit vndis.
Mox vbi conuulsas audiuit in æquore puppes,
Et pontem æquoreis confractum viribus, amens,

Quã

Quà Phryxi germana iacet rate fugit inermi.
Talis & Aeneadum Phrygio de sanguine Cæsar
Vltimus, Ausoniæ labes & dedecus aulæ.
Talis ab Assyrio veniens longo ordine Belo
Sardanapalus iners, qui non Chironis in antro
Nutritus, non inter equos erat, inter & enses,
Sed calathos circum, saturataq; vellera rore
Muricis, & tenues lanas, quas Sericus altis
Pectit ab arboribus, violasq; imitantia pensa,
Purpureosq; croci vultus, hyaliq; colores,
Crinitosq; colos, solium regale tueri
Nescius, vt regni inuasor iurata coëgit
Auxilia, & celeri maturans arma paratu
Attonitam cinxit subitis legionibus vrbem
Stamina deposuit tandem, & de plebe fugaci
Componens raras acies, cum milite pigro
Exijt in pugnam, molles talaribus armos
Assuetum tunicis clypei grauis æreus vmbo
Pressit, vt horribilis pugnæ caua buccina signum
Aedidit, vt rigidum campos ingressa patentes
Terrifico cantu cecinit vox bellica Martem
Et leuis insonuit crebris hinnitibus aura,
Obriguit, stupuére oculi, liquêre trementes
Lora manus, clypeusq; cadens (res digna triumpho)
Formicam oppressit veteris de sanguine natam
Myrmiones quæ Myrmidonum genus aere virorum
Aedidit, excussum est rostri de forpice granum
Et tristem moriens liquit sub puluere vitam.

Non poterat tanta armorum dux mole sepultus
Et tanto sine sede pedem subducere bello?
Talis in ignauo regnabat pectore virtus,
Post clarum facinus fugit, solitumq; cubile
Depositis repetens armis se misit in ignes
Fœmineos semper mores imitatus & artes
Hoc animi fortis moriens opus edidit vnum.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, DE CALAMItatibus temporum:

LIBER II.



STA regunt orbem, scelerumq; licentia regnat,
Relligio contempta iacet, spretusq; deorum
Cultus abit, tritaq; fides iam pallida veste
Infirmis titubat pedibus, pessundata legũ
Maiestas, tot monstra pios immania mores
Inuasêre, silet probitas, pudor exulat, alas
Explicat ad limen pietas reditura paternum,
Vilis, & attrita Virtus in veste relictis
Viribus egrediens loca per deserta vagatur:
Solaq; nam merces, laus, gloria, fama, triumphus,

Gaudia, pax, successus, honor, reuerentia, cultus,
Maiestas, fauor, imperium, populiq́; secures,
Virtutum comites olim dum pinguia curuo
Iugera scindebat consul Romanus aratro,
Et dum prima suis gaudebat ouilibus ætas
In sceleram fugêre domos, dolus, arma, rapinæ,
Furta, venena, neces, veneres, iniuria, fraudes,
Insignes celebrant solemni laude triumphos.
Pallida velato Virtus abscondita vultu,
Qualis it amisso mulier viduata marito,
Visa sub ambigua nocturnæ lumine lunæ
Sæpius est, & sola die lugere per vmbras,
Per loca syluosas inter frigentia valles
Quà Dryades habitant, vbi fessa quiescit Oreas,
Est audita procul tales effundere questus.

Querimonia Virtutis.

CVr ego quæ magni sum semine nata Tonantis
Et cœleste genus senior sublimibus astris
Deseror? humanisne vnquam fortassè negaui
Rebus opem? vel fortè meis non amplius armis
Mundus eget? Cur nunc tanto surgente tumultu
Debilis hæc hominum soboles tot milia contra
Ditigenum nostra nullum munimen ab arte
Postulat? An valida non sunt ad prælia vires?
Nonné acies totidem, nonné est industria nobis?
Nonné animi? liceat de me mihi vera fateri,

Fortu

Fortunæ domitrix ego ſum,ſcelerumq́; flagellum
Semper tela manu ferimus,cum crimine ſemper,
Si genus humanum poſcat,ſunt aſpera bella,
In promptu nobis & opes,& miles,& arma.
Vtq́; hominem tuear ſuperumq́; in tecta reportem
Incolumem,Stygias omnes demolior artes,
Ars mea mortales ad Olympica regna Deumq́;
Hortari,monſtrare vias quibus itur in altum
Aethera,ſum medium dirimens iter orbita recto
Limite,quà monſtrantur adhuc veſtigia patrum:
Quà veteres cœlo digni petiêre Tonantis
Limen,vbi nitidis ſunt lactea flumina campis.
Neſcio delicias,nullum inſidioſa voluptas
Mecum fœdus habet,mihi lis de limite regni
Cum vicijs,multumq́; inter contraria pugno:
Nanq́; meos inter regnum mihi contigit hoſtes.
Me labor aßiduus validam facit,ocia frangunt,
Et quotiens opus eſt armis exterrita nullis
Congredior,vinci,& ſuccumbere neſcia,ſi quod
Pondus ab aduerſis iniectum eſt caſibus,æqua
Mente fero,ipſa hominem doceo,variaſq́; per artes
Erudiens paucis dijs immortalibus annis
Perſimilem reddo,ſine me cognoſcere rerum
Non licuit cauſas,per me pulcherrima mundi
Machina,quæ miris ſubiectum legibus orbem
Temperat,expreſſo rapidi patet ordine cæli.
Me ſine quæ in magno numeris elementa ligantur
Corpore non poterant,nec ros,nec fulmina ciri.

Nota, nec ad stolidi veniat consortia vulgi.
Patrono mea causa caret, quia pectora plena
Perfidiæ, fastuq; animos tollente superba
Ire per anfractus audent impunè malorum,
Aduersasq; sibi leges, inimicaq; iura
Frangere, & audaci culpas defendere vultu
Propterea sanctis, ratio, cum moribus vrbes
Iam fugit, & magni rector moderaminis ordo
Posthabitis terræ solum regit æthera curis
Sceptra scelus rapuit, positis custodibus omnes
Scrutatur regni fines, aditusq; tuetur.
Scire pati sanctum est, partem Deus omnibus æquam
Seruitij, imperijq; dedit, non omnia semper
Astra, sed alternis nunc hoc. nunc imperat illud.
Delia regnabat, mundiq; tenebat habenas
Cùm moles æquanda Ioui consurgeret, & cùm
Saxa Gygantæa voluebant ardua vires.
Tum primum ignotis homines sermonibus vsi,
Distinctosq; habuêre sonos, duce Marte profusum
Aequor in aërios misit vada cœrula montes.
Triste reluctando non est leue vincere fatum,
Conariq; polos, & fortia sydera contrà.
Nauis vt aduersa remo cùm impellitur vnda
Fortia ni totis incumbant brachia neruis
Ictibus & crebris instent, non vincitur amnis.
Cedendum est, leges in' idonea tempora nostræ
Peruenient, dabitur nostris sua moribus ætas.
Nec q sola vager doleo, perdenda virorum

Mili

Me duce nota soli vis est, & mobilis vndæ.
Me quoq; summa patris pietas interprete constat
Vnaq; cum duplici simplex essentia partu.
Ipsa feros hominum docui componere mores,
Ipsa Solonigenas leges, præcepta Lycurgi,
Plebiscita Numæ, magni consulta Draconis,
Bissenasq; dedi tabulas, & ferrea iura.
Me duce regnarunt Belus, Beliq; nepotes,
Et Persæ, Libyciq; Duces, me præside Roma
Floruit, & lata rerum ditione potita est.
Ipsa comes Graijs aderam, quom Troica contra
Pergama depulsis ex Aulide nauibus ibant,
Me duce Romanus Tyrias radicitus arces
Eruit, & Solymas turres, Bimaremq; Corinthum
Atq; Syracusios Arethusæ mœnia muros.
Belliger extremas, duce me, tulit arma per vrbes
Bacchus, & ardentes victricia signa per Indos,
Nysæamq; locans Arabis de nomine Nysæ
Dixit, & ad teretes hederas coniungere thyrsos,
Pampineasq; comas tremulis agitare corymbis
Menades instituens Dionysia festa quotannis
Iussit ab Eoa fieri solennia pube.
Ipsa ego combustæ retinent quæ nomina mammæ
Fœmineas ad equos turmas, & ad arma paraui.
Plebis ego Solymæ siccis vestigia plantis
Per maris erecti pendentes vndiq; fluctus,
Murorum in speciem, vada Phœbo incognita, duxi,
Me quoq; prima viros ratis inuentrice per altum

Aequor

Aequor,& audaci tulit aurea vellera cursu.
Alcides tot monstra meis deformia vicit
Viribus,& quicquid Musis,Phœboq; vetustas
Asscripsit nostrum est.Vates ego,sanctaq; vatum
Pectora mellifui diuino nectaris imbre
Largius irroro,dulciq; aspergine lustro.
Fons ego Castalius,Pallasq; ego,nomina plura
Res eadem,non sum morbo confecta,nec annis,
Incorrupta,virens,immortalisq; remansi.
Cælestes etenim nihil in me motibus orbes
Sydera nil radijs possunt,nil lumine Titan.
Post igitur tantorum operum experimenta,fidemq;
Deseror ignotis errans ingloria campis.
O verè ingrata,& meritorum oblita meorum
Sæcula,nec prisca quicquam seruantia laudis.
O Numa Romulidum sanctissime,vosq; Catones
Mascula progenies,tuq; ô metuende securi
Et Celtæ spolio insignis Torquate superbo,
Vosq; genus Decij egregium,tuq; optime Quinte
Eximium patriæ decus,& tu magne Quiritum
Maxime,quo Cæsar fortuna,& crimine tantum
Clarior est,vobis ista cum gente prophana
Iudicibus si fas esset contendere coram
Dicere veridicis causam sermonibus ausim.
Sola queri possum,mecumq; sub ilice muta
Testis,vbi nemo nisi Numina conscia recti
Arguere ingratas gentes,oblitaq; mores
Corda meos,mea sit tacitis querimonia syluis

 Nota,

Milia tot, tantamq́ dari prædam queror Orco
Non pereo deserta, perit qui deserit, error
Alligat errantem, mea si tamen ora fuisset
Fas homini viuumq́ decus, formamq́ tueri,
Non illum blandis vnquam peritura voluptas
Flecteret illecebris, nec ficto falleret ore,
Sed mihi secretum voluit pater esse decorem,
Vt labor obluctans iniucundiq́ dolores
Humanos acuant animos, post perdita primæ
Munera Iusticiæ veterumq́ infausta parentum
Exilia & pressos iniecto fomite sensus.
O miserum mortale genus, quid debuit vltrà
Pro te, proq́ tua Deus attentare salute?
Vltrà immortales animos, superaddidit artes
Ornamentum ingens, sociam me tradidit, ipsum
Se tibi pollicitus, cœli tibi limen apertum,
Et fugis auctorem, seruatoremq́ ducemq́?
Et chaos obscurum claro præponis Olympo?
Olympo sedes vbi sunt, & templa Tonantis,
Qui niue non albet, nulloq́ madescit ab imbre,
Nec quatitur ventis, nec fulmine vapulat vllo.
Gliscit ibi sine fine quies, sine fine voluptas,
Pax æterna, iubar stellis & Apolline maius,
Ah genus ingratum, fera mens, ignobile semen,
Degeneres animæ, mores imitata ferarum
Progenies, tali proles indigna parente.
Nam pater est Deus ipse tibi, tibi maxima tellus
Paret, & illius dono tibi militat aër,

Vnda subest, seruitq; tibi Neptunia Doris.
Tu refugis? patremq; negas? tot dona ferentem
Dißimulas? Quæ pœna tuis erroribus æqua est?
Quæ sceleri tormenta tuo debentur? & audes
Astriferos oculis spectare rebellibus orbes?
Astra tibi clariq; suis quos aspicis ignes
Motibus imperio patris hæc alimenta ministrant.
Dum tibi dumq; tuo patri se subijcit orbis
Totus & aßiduo properans obtemperat vsu
Tu Veneri insudas, auidiq; voragine ventris
Rumperis, escarumq; ferens graue pondus anhelas.
Sed quid ego in tales nil profutura querelas
Effluo? cur lachrymis oculos, singultibus ora
Nequicquam indulges? tua cur euiscerat iste
Corda dolor, quondam florens, modò languida Virtus,
Et videt, & iusta librat Deus omnia lance.
Ipse vbi tempus erit nos in violata reducet
Regna memor, pater ipse meas vlciscitur iras.
Singultus inferna palus, & verbera dira
Audiet, & tristes vmbras vlulare sub altis
Inter sulphureos Erebi fornacibus ignes,
Interea lucos posito mœrore silentes
Tuta colam, vilesq; casas, ignota latebo,
Vt postquam diti sat erit, vicioq; litatum,
Nobilibus succurram animis, & lapsa reducam
In medium certis vestigia finibus arcens.
Sæpius audita est, & talibus vsa querelis,
Dicitur in syluis Virtus, nemorumq; per vmbras,

Vna Camœnarum saltus tum fortè per illos
Præteriens, sacrumq; petens Helicona notauit
Singula, & huic nostræ dedit inscribenda papyro.
Vt si vipereæ stimulis accensa Megæræ,
Natorum impietas fuget, & discordia matrem,
Exilioq; procul peregrinum inuisere mundum
Vrgeat, illa licet casu affligetur amaro,
Et tepido lachrymans lauet ora, sinumq; liquore,
Nil crudele tamen natis, nihil optat acerbum:
Nam patiens natura pios non deserit ignes.
Immò suum liceat si quando reuisere limen
In dulces ruet amplexus, dabit oscula notis
Frontibus, & tristes vincet singultibus iras.
Sic virtus hominum dux, & fidißima custos,
Quamuis pulsa graues gemitus lamentaq; fundit,
Prompta tamen nostris semper succurrere rebus,
Errores gemit humanos, gemit ebria corda.
Et quacunq; potest non desinit arte mederi.
Fœdera mortales Orci cum rege superbo
Cælitibus spretis iniêre, datisq; ligati
Obsidibus seruare fidem coguntur Auerno
Per medias vrbes colubris crinita Megæra
Sanguineisq; caput vittis intorta flagello
In scelera & culpas homines vrgere laborat:
Criminis & pœnæ dux hortatrixq; malorum
Fronte truci & toruo vultu conatur Erynnis.
Sceptra tenens iudex solio Plutonius alto
Ius populis dixit, leges periêre Deorum.

Hinc iræ venêre Deûm, morbiq́; famesq́;
Improba, quæ steriles nimium versata per agros
Hactenus intercepit opes & credita sulcis
Semina, nosq́; pati ieiunia longa coëgit.
Hinc bella, armorumq́; sonans Discordia motu:
Nam quia mens hominum mores oblita pudicos
Degenerat, noxis semper crescentibus, arma
Nos terrena premunt & nos Deus vrget ab alto
Multipliciq́; graues luimus sub Iudice pœnas.

Noua iactura rei Christianæ.

Aspicis imperium nostræ, lacerumq́, labansq́s
Gentis, vt hostili totiens certamine cæsum
Sanguine barbaricos, spolijsq́ recentibus agros
Impleat, & nostra pinguescat Achaica tellus
Cæde madens, iam Græcus ager Machomætia iura
Iam patitur seruile iugum, ritusq́; nephandos:
Insula quà Pelopis muro circundedit Isthmon,
Quà fluit Alphæi Siculis potandus in agris
Eurotæq́ liquor, quà surgit Thracius Aemus,
Aemus, cuius apex niueis candoribus albens
Adriaticos fluctus, Euxinaq́; littora cernit,
Quà videt Aetholas vrbes Aracynthus ab altis
Rupibus, & curuis Acheloia flumina ripis
Viq́; pruinosos Istri glacialis ad amnes,
Thraiciosq́; sinus, bimares vbi Bosphoros vndas
Arctat, & Europes Asiam distinguit ab oris

Q

Quaq; sinu curuo Tethys Aegæa recurrit
Ad Mithileneas arces, Lesbonq; superbam:
Et Tenedon, Priamiq; domos, vbi Xanthus ab altis
Se sinuat, Phrygiæ descendens vallibus Idæ
Imperium Machometus habet, crucibusq; fugatis
Per quondam nostras insignia barbara turres
Apparent, captæ mutatis legibus vrbes
Dedidicére fidem, & sanctæ mysteria Romæ.
Hæc noua, sed vetus est longè victoria maior,
Pamphillum, Cilicumq; lares vbi mœnia Cydnus
Persæa fundata manu labentibus vndis
Partit Alexandri vada perlustrata natatu.
At cur Paule tuos pateris seruire penates?
Paule pater viden' vt sæuis tua patria Tarsos
Subiaceat dominis, fideiq; vt fœdera sancta
Ruperit, & legis seruet commenta nephandæ?
Surge, tuo pater ense, tuos defende nepotes,
Quam geris aduersas, feriat romphæa cohortes,
Capadoces, Phrygij virides, vbi flumine ripas
Curuat, & argutos audit Meander olores,
Et veteres Eneti Carres vbi dicitur ortum
Augurium, Lycij, Pontus, Bithynia diues
Hannibalis tumulo insignis: Lidiq; vetustum
Vndè genus Tuscis, fuluas vbi voluit arenas
Diuitibus Pactolus aquis, hæc omnia nostris
Hostibus & rigido parent inuita tyranno:
Heu quot singultus, heu quot suspiria matres
In viduis laribus ducunt & cœlibe tecto

Qua-

Quarum parua feri rapuerunt pignora Thraces,
Bistoniiq; equites, capti puer atq; puellæ,
Flumine perfusi sacro, fideiq; elementa
Iam docti sua qui Christo iam vota precesq;
Curuantes genua ante aras offerre solebant.
Seruitum dominis (miserum) crudelibus, inter
Vel Persas immite genus, venêre, vel Indos.
Qui tenuit Solymos colles & ditia quondam
Regna Palestinæ, totum cui paruit olim
Cæsariæ, Antiochiq; solum, quà mitis Orontes
Currit, & immissis vrbem disterminat vndis.
Cui Maurus seruire solet, quem barbara Memphis
Horruit, & dubia surgens ab origine Nilus:
Qui gelidum Tanaiam domuit victricia signa
Aethiopes, Scyticumq; gelu qui protulit vltra
Thuriferosq; Arabes, Libaniq; tepentis odores
Et iuga Caucasijs quæ rupibus ardua surgunt.
Victor ouans Christus Pœno modò pulsus ab orbe
Amißis Asiæ regnis, magnoq; potentis
Europæ spacio extremas malè poßidet oras:
Nam partem Hesperiæ dederat cui nomina Bethys,
Maurus habet potiturq; domo Machometus Ibera,
Hanc cladem nobis scelus attulit: heu graue nostro
Dedecus auctori, nostri iam pœnitet illum.
Tutelæ piget assumptæ, veterumq; laborum
Atq; dati nostra pro libertate cruoris.
Si tranquilla quies & tristibus ocia curis
Libera me sinerent sanctos inuisere fontes,

Et totos Helicona dies consumere circùm
Prima salutiferi repetens exordia Christi
Ad suprema meum venisset tempora carmen.
Actaq; tentassent maiori singula versu
Texere,& annales melioribus edere chartis,
Sed nec summa sequi trepidum fastigia tempus
Me sinit,& cæci vis formidata veneni
Nostra breuis veloxq; ætas & plena laborum
Nil altum tentare sinit,contermina meta est
Carceribus,coniuncta neci subiectaq; fato
Vita fugit,paruo occasus discrimine ab ortu
Distat,& innumeris premitur breue cladibus æuum,
Pauca tamen ne me ignauum tristiq; iacentem
Desidia inueniat miseræ lux vltima vitæ
Subijciam,magni quotiens benefacta parentis
Voluimus à curis animo fugiente caducis
Lucida cæruleis ceu toto è nubibus orbe
Sol abiens monstrat ratio,quàm turpe nocensq;
Sit non iussa sequi superûm & contemnere diuos
Atq; Dei iustas quotiens à limine fixo
Iustitiæ illecti vitio discedimus iras
Insinuat,mitesq; dari pro crimine pœnas
Et nostrum maiora scelus tormenta mereri.

Commemoratio beneficiorum Christi.

ANte salutari quàm tolleret vnda lauacro
Crimen,& irati valuas aperiret Olympi

Aera,

Nec patrias repetam sedes cœlumve priusquam
Cerberus & trepidi me regia senserit Orci.
Non vada, non furiæ, non ferrea claustra vetabunt,
Nigra per & Phœbi radijs incognita regna
Ferre gradus, horrore tremens vlulabit Erynnis
Et caua terrifico quatientur tartara motu.
Flammeus obscuros Phlegethon persuscitat ignes
Saxa rotans, mœstoq́ Acheron qui labitur amne
Cocytiq́ graues patientia flumina luctus
Et liquor inducens Lethea obliuia lymphæ
Præcipites sistent cursus retroq́ redibunt,
Et sua sulfureos repetent exordia fontes.
Cùm mea vox aditus cæcos ingressa profundæ
Noctis & insolitum penetrabit tartara lumen
Luce repentina chaos & fumosa baratri
Atria clarescent, vbi pallida frondibus hærent
Somnia: Tenarijs reuocabo à sedibus vmbras
Insontes vmbras patrum quos longa sub alti
Carceris includunt obscuro vincula circo
Propterea placidam terris inducite pacem
Sydera qui regitis diui, qui voluitis orbes.
Vt dum bella gero cum principe gentis Auernæ
Sentiat occultam ferri sibi terra salutem:
Iam trepidant magnoq́ pauent aduersa tumultu
Castra, dies numerant Pluto, tempusq́ volutum
Colligit, aduentusq́ meos vestigat & ortus,
Nocturnas cogunt acies, cursantq́ per altum
Aëra, & ingenti strepitu mortalia terrent

Aera, Deos, homines, & ligna carentia vita
Efferati lectas pecudes, & debita cœlo
Orgia ponebant surdis altaribus, ante
Facta manu simulachra sui cultoris, & arte
Numina fallebant Siculos Erycina colonos.
Iuppiter à Lybicis qui nomina sumit arenis
Aethiopes, Solisq; domos ardore perustas.
Gnosiacos Dictynna Lares, & rura Caystri,
Mæotisq; lacus, & clari regna Thoantis
Iussit vbi humanum spargi dea sæua cruorem.
Perfida Cæcropiam lusit, Rhamnusia plebem.
Attica Cæcropios Pallas, Rhodon altus Apollo:
Ortygiamq; breuem Micone, Giaroq; ligatam.
At Tyrsæ Iuno libycas Carthaginis arces:
Thraiciisq; Sami circundata fluctibus arua,
Barbara cornigerum Memphis plorabat Osirim
Lætaq; percusso pubes Aegyptia sistro
Inachiæ celebres veniebat ad Isidis aras
Dindyma, per Cybelenq; Phryges resonantia Galli
Sacra dabant matri diuûm, per Gargara, & Idam
Buxea multifori stridebat tibia cantu,
Tympanaq; audito strepitu de rupibus altis
Præcipites ibant damæ, lucosq; petebant
Dorcades ignotos & inaccessas conualles.
Festa corimbifero Thyas renouabat Hiaccho.
Et tepidus cornu ductus caper ibat ad aras.
Roma Panomphæo sacrauerat alta Tonanti
Limina solemnes crebro visura triumphos.

Pastaq́ Clitumni virides armenta per agros,
Sic aliæ varijs delusæ erroribus vrbes,
Numinibus fictis aras & diuite cultu
Ardua ponebant Pario de marmore templa.
Sæpè quidem viuo tanquam de corpore voces
Et confusa dabant veteres oracula diui.
Sicut apud Delphos in parua Phocide nigris
Spelunca latebris clausus vocalis Apollo:
Sicut Chaoniæ Phœbo illabente volucres,
Et caua Cumeum spelæa sonantia carmen:
Verùm hæc vel fallax hominum versutia fecit
Vel Stygiæ mentes auium per nescia certis
Motibus humanum fingebant guttura murmur,
Formabantq́ leues per concaua saxa loquelas:
Et quod syderei radijs coëuntibus ignes
Monstrabant cautè populis multò antè futurum
Siue per augurium seu per vatum ora canebant.
Diuinosq́ sibi cultus curasq́ parare
Artibus his solitæ, tubas & credula vulgi
Mobilis ambigua fallebant pectora voce.
Non tulit hoc magni proles æterna Parentis,
Et Stygijs ergò canibus ludibria dixit,
emper erit mortale genus, nunquam ne vereri
os dicent manes? audacia Ditis auari
nproba sic impunè meos inuadet honores
mper, & obscuri plebs ambitiosa profundi
perget sese superis æquare Deoq́?
& terrenum lustrabo incognitus orbem:

Pectora, montanos apices atque ardua saxa
Terribili quatiunt motu, pecudumque per ora
Insolitas fingunt voces, Aegyptia pallent
Sollicito simulachra metu suspirat Anubis:
Fatidicosque legens vates examinat omnes
Peruigil historias, & cœli cogitat ignes.
Ipse igitur diuos linquens & limen Olympi
Aethereasque domos Deus ad mortalia regna
Terrenosque lares, medio dum frigida cursu
Suspiceret cancrum nox inclinata sub vrsam
Venit, & angustam tenuit præsepia sedem,
Tunc Hiberna gelu torpebant arua sereno,
Et matutino siccatum frigore gramen,
Perdiderat vernum demissa fronte colorem:
Pigraque nocturnis albebant rura pruinis,
Tunc Rhodopes, Aemique niues iuga summa leuabant
Altius, & niueo surgebant aggere montes,
Nudaque ramosæ tendebant brachia quercus,
Et syluas Aquilo viridi spoliârat honore.
Prauius Eoa sanctos à Perside reges
Ignis, & insolitis radians splendoribus ardor,
Misit ad infantis parua incunabula Christi,
Ipse sub humana velatus imagine mundi
Conditor, vt tetigit matura virilibus annis
Tempora nascentis iaciens primordia sæcli
Antè quaterdenis ieiunia longa diebus
Pertulit, & sacro mox irroratus ab amne
Abstulit errorum tenebras, noctisque profundæ

Nubila, longæuumq; chaos finiuit ab alto
Vndiq; diffundens illatam cardine lucem:
Extinctis oculis aciem, lumenq; peremptum
Restituens, opus ignotum, nostrisq; negatum
Viribus, aërios tractus, solemq; videri
Fecit, & insuetum terræ, cœliq; decorem.
Sicca per æquoreos fixit vestigia fluctus:
Admirata nouum credebat Ariona Thetys
Cum cythara curuos inter delphinas euntem,
Mox vbi vi propria tutos suspendere passus
Vidit, & humanis liquidas iter esse per vndas
Greßibus, hæc non est audax industria dixit
Romanæ virtutis, aquæ sensere Tonantem:
Hæc ait, & fugiens imas se torsit in vndas.
Imperio ventorum iras pelagiq; furorem
Preßit, in excelso Galilæi vertice montis
Ora, manus, oculos, & pectora sancta beato
Lumine perfusus patuit Deus, æthera lapsum
Numen & albenti vestitum nubis amictu
Adstitit, auricomi sonuit globus aëris ingens.
Carmine non magico, non vi medicaminis vlla
Defunctos iterum vitam reuocauit in artus.
Emigrare leues animas retroq; reuerti
Obstupuit, celeresq; fremens Pluto induit iras.
Languida quæ nulla potis est humana iuuare
Ars ope, per vicos gradiens, per rura, per vrbes,
Nunc prece, nunc solo sanabat corpora tactu.
Sancta Dei tenuem pietas induta figuram

Non pertæsa rudes animos moribundaq; membra
Ferre nec æstiuo graciles aspergere plantas
Puluere nec luteis vestigia ponere campis
Erubuit, tolerare famem pasciq; per agros
Graminibus vitreoq; sitim restringere riuo
Dulce fuit, coluitq; inopum consortia, tantus
Ardor in accenso regnabat pectore, tantis
Curabat studijs humana negocia, vt ipsum
Aethera iam posset, seseq; oblita videri:
Ante ipsam quotquot hominum componere mores
Conati statuêre modum, normamq; dedêre
Viuendi, vel pro certis incerta fuerunt,
Falsave pro veris, vel non perfecta locuti:
Hinc pater omnipotens animos miseratus inertes,
Atq; imbecilles sensus, & pectora tarda
Immensum Eoo reseruauit ab æthere lumen:
Progeniemq; suam summo demisit Olympo.
Hæc sunt illa quibus Deus instaurare caducum
Naturæ labentis opus tentauit, & omni
Conatus studio veteres auertere morbos,
Vt patrias sordes, crimenq; aboleret auitum,
Legit inauditum fati genus, illita fuso
Sanguine, & ardenti liuentia verbere membra:
Profusumq; caput, terebrataq; tempora duris
Sentibus erexit miles Romanus in altum
Aëra, frigentes plantas, proiectaq; longè
Brachia, & humentes oculos, & pectus apertum,
Concretosq; pio crines, barbamq; cruore

Ingratæ moriens plebi monstrabat ab alta
Arbore, & ingenti mortem clamore ciebat.
Cuius ad interitum cœpêre elementa moueri,
Sol gemuit, nigroq; caput velauit amictu,
Contremuit tellus, timuit mare, palluit aër,
Et collisa graui sonuerunt marmora planctu.
Hæc fuit atra dies, & lamentabile tempus
Cùm subitò media tenebris in luce subortis
Lumen in horribilem fugit sine nubibus vmbram
Aurea cùm vernus retineret vellera Titan:
Longaq; longinquæ contraria sydera libræ.
Sic est parta salus homini, longæuaq; primæ
Cum gemitu, & lachrymis deleta iniuria culpæ est.
Immemores tanti populus, patresq; laboris
Neglecto superûm cultu, spretoq; Tonantis
Imperio, Baccho indulgent, Veneriq; ministrant,
Sacra ferunt auro, nummis altaria condunt,
Auro vina libant, auro laqueantia fulgent,
Scorta tenent gemmis, canibus conuiuia ponunt,
Sordet in exili Virtus incognita veste
Exuuijs inopum culti, ditesq; rapinis,
Successu elati superos Acherontaq; rident.
Propterea hostilis rabies insurgit & ira
Corda micant, maiora nouus fert prælia Mauors,
Ausoniæ labentur opes: nam claustra Liburnæ
Præteriens augusta viæ, per rura Timaui
Quà ferus algenti Gothus descendit ab axe
Seu quà Piceni superum mare littoris oras

Alli

Alluit Epyrum dirimens & Iapygis arua.
Turcorum ingentem paruus vomet angulus vndam
Bisq; patens expertus iter magno agmine miles
Veloces ascendit equos, sonuêre pharetræ
Cornipedum crebris resonant hinnitibus auræ
Vallibus in medijs, & quadrupedante tumultu
Auditur longè strepitus clamorq; virorum.
Sublati quotiens astu rapiente vapores
Alta petunt piceoq; tegunt velamine cœlum,
Et noua tempestas clausisq; sonantia ventis
Nubila per cœli tractus voluuntur apertos,
Rugitu ingenti resonans volat aëre grando
Pulsa Notho, Boreave, tremunt cum rupibus Alpes
Tunc fracta si nube fragor subit ima profundæ
Vallis, & impulsu nemorum & telluris opacæ
Vndiq; comprensus fugit atq; repellitur aër,
Aërij montes clamant, magnoq; boatu
Antra sonant, Stygium dicas mugire baratrum
Horrida per campos procul exaudita pauentes
Corda ferit gladio strages humana timore,
Tela sonant longo populatrix agmine turba
Ore manu teloq; minax sitibundaq; nostri
Sanguinis irrumpit, scopulosa Ceraunia lugent,
Sylua vetus Dodona timent, gemuêre Molossi
Rura soli, tremit omnis ager: pauet Adria pondus
Classis, & adductum peregrino remige Martem:
Trans mare, trans Indos, Nabathæaq; regna nefandæ
Gentis in auxilium rutilo volat Eurus ab ortu

Impiger,& firmæ captat iam littora terræ
Butroti iam culmen habet,summasq; per arces
Dyrrachij stridens frondosa cacumina curuat.
Velaq; iam sinuans,proras,ærataq; rostra
Vertit in Italiam,salit æquor,& vnda carinas
Ausoniam versus sensim leuat,atq; secundum
Spondet iter,culpansq; moras Neptunia Doris
Per noctem ad nautas ita circùm littora clamat:
Tempora Martigenæ quid idonea perditis?ite:
Ite lares Italos & fundamenta malorum
Romuleas arces & Pontificalia tecta
Colluuiem scelerum,temerate fauentibus auris:
Ite citi,quando astra vocant,quando omnia mandant
Numina,flammanti Mauors quid cogitet ore
Cernite,Saturni facies infensa Latinis
Quid velit,atq; Iouem lætos non ire per ignes
Suspicite,& quò fata vocant conuertite proras:
Aetheriæ mentes,quibus est tutela Latinæ
Gentis,ab occulto bella hæc immissa videntes
Imperio patris & longa clade esse litandum
Imbelles hærent,atq; in sua regna furorem
Ire sinunt:Romaq; alio fugêre relicta,
Cæde noua veteres culpas obolere necesse est.
Ecce Tarentinis vacuas in collibus vrbes
Et nudas custode domos & littus inerme
Milite deseruit dux Parthenopæus abacto.
Hetruscas populata domos modò trans iuga pulso
Marte,per Aemiliam & Venetos bacchatur Erynnis:

Nec vos immensum dirimit mare, transitus vna
Nocte breuis Calabros turmas exponeret agros.
Vix spacio maiore fretum diffunditur istud,
Quàm quod adhuc fama notum est Athamantidos Helles:
Et vada Leandri crebro sulcata natatu.
Ite quid ambigitis? vobis est debita tellus
Itala qui Phrygios domuistis & Hellada, gentes
Orbe oriundae ducunt genus ab radicibus illis.
Quis Pallantaeum? veterem quis condidit Albam?
Hoc opus Aeneae profugi, fuit Arcadis illud.
Dardanius Phrygia veniens Antenor ab Ida
Euganeis latam statuit sub collibus vrbem:
Quae superest triplicią; sedet munimine cincta,
Parrasij Pisas, pubes Spartana Tarentum
Struxit, & imperium Daunus partitus & agros
Cum Diomede fuit, cuius tenet Insula notum
Nomen adhuc, sunt qui Ausoniam de nomine dicant
Ausonij Laërtiadae de sanguine Olyssis.
Progeniti, quid Surrentum Tyrrhenaą; dicam
Regna? quibus Lydi frater Tyrrhenus ab agris
Maeonijs Asiae sortes & fata secutus
Attulit & leges alias & nomina fixit:
Et Phaëtonthiades loca per montana Ligystus
Errantes populos domuit: Liguresą; vocauit
Sardoum tenuit littus satus Hercule magno
Sardus, & à Graijs Cyrnis descendit origo.
Roma Phrygum labor est: Capuanaą; moenia, Manto
Filia Dircei vatis post condita tecta

Et Darij delubra Dei comes addita Lydis
Cum Duce Tyrrheno Venetos annauit ad agros.
Tybur ab Argolicis positum: Locrensibus Aiax
Auctor, ab argiuis vulsi fundata Coracis
Oppida. Quid si opulis segnes hæretis in istis?
Vestra nec aspicitis sese ostentantia regna?
Arduus Hesperio vobis Garganus ab orbe
Ostentat sublime caput, cùm manè colorat
Sol nouus oppositos Eoa lampade montes
Cernimus excelsas vmbris in rupibus arces
Picenisq; iugis albentia mœnia, clamat
Vos ab oliuiferis lætißima collibus Ancon:
Brachiaq; in portus pandit sinuata capaces,
Amplexura rates, & susceptura benigno
Mahumethi genus hospitio, fautrixq; futura.
Gloria vos æterna manet, generosa nepotes
Facta legent, patrum q; volens exempla iuuentus
Magna sequi pugnas animosior ibit in omnes:
Et partas augebit opes, natosq; per artes
Ingenuas ducet Virtus audita parentum.
Sic viuet longæuus honos, & fama superstes
Per populos ibit latè, si Troius heros
Ista per iratum dijs aduersantibus æquor
Nauibus amißis, & milite cœpit inermi
Arua, quid hæc delecta manus, congestaq; claßis
Fœta armis, animisq; Ducum, numeroq; virorum
Moliri poterit, longo iam vincitis æuo:
Nec fugere à vestris audet victoria castris,

Vos immane genus Thraces, & Marte superbos
Nubigenas, suoque satas Ixione gentes,
Atque Pelectronios Laphithas vicistis, & omnem
Euboiam, Pelopisque domos, altamque Corinthum,
Euxinum pelagus vestrum est, & lata Propontis,
Ioniumque fretum, læto vos Adria vultu
Nunc vocat, & fines Thetys quæ cingis Hetruscos,
Et minor est vobis audacia viribus, ite
Diuitias, aurum, pecus, & sola pinguia vobis
Hesperij seruant, istis audete potiri,
In vetitas non itis opes, in vestra venitis.
Hæredis non hostis erunt Oenotria regna,
Cùm vestræ ditionis erunt, modò possidet hostis
Ausoniam, paturque truces inuita tyrannos.
Nocte, dieque gemunt vrbes, durumque recusant
Ferre iugum, populi tensis ad sydera palmis
Maturare rogant, ita se finire labores
Aerumnasque putant, & libertate potiri.



BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, DE CALAMITATIBUS TEMPORUM:

LIBER III.



ALIBVS indomitas mentes,& barbara corda
Irritat dea sæua maris,de littore classis
Soluitur,& nostros venit euersura penates.
Chaoniæ nostris vicinæ finibus alpes
Acclamant,& saxa cauis quæ plurima pendent
Rupibus acceptas confuso murmure voces
Conglomerant,nec clara sinunt respondeat echo,
Magnus apud manes Itala de gente coacto
Agmine Pompeius rogat ad sua mœnia mitti
Italiæ laturus opem,sub pectore forti
Viuit adhuc patriæ pietas,stimulatq; sepultum
Libertatis amor,pondus mortale necari
Si potuit,veteres animo post funera vires
Mansere,& prisci viuit non immemor æui
Sollicitusq; hisdem curis,quem Romulus auo
Grandior his acuit dictis,I,magne meorum
Immortalis honos,& gloria summa nepotum,

I,con-

I,commune bonum serua,quando hæc tibi semper
Cura fuit,totum pietas tua nota per orbem
Imperio dignum nostræ te fecerat vrbis,
Cœlo aliter visum est,cœlum culpare quis audet?
I,patrium defende solum,quando Itala virtus
Usq; adeo cecidit,quando Germania quondam
Armipotens nunc lenta iacet,nec Cæsaris vllum
Audet opus Cæsar,genus hoc ignobile gentis
Barbaricæ procul Ausoniis à finibus arce.
Te Pontus, te nouit Arabs,te Græcia,& omne
Aegeum,Ioniumq; fretum,te Punica tellus,
Tyrrhenum magnis equitasti classibus æquor,
Te Ligur,Alpinæq; niues,te sensit Hiberus,
Galliaq;,& latis ingens Germania campis.
Per freta,per campos victricia signa tulisti,
Regna,vrbes,maria,& terras fœlicibus armis
Calcasti,totusq; tuos miratus honores
Orbis,vt indigno raptum te vulnere nouit,
Ingemuit,fleuere Arabes fleuere Sabæi,
Indus,& extremi flerunt tua funera Seres,
I,decus Ausoniæ,regno suppone cadenti
Ingentes humeros,& fortia pectora tantis
Fluctibus opponas,magnæ teq; obiice cladi,
Communes tutare domos,communia serua
Regna mea fundata manu,sententia fratri
Ista Remo sedet,id Curij Decijq; precantur,
Id Numa cœlicolum cultor,sanctiq; Catones,
Id Populus,Patresq; rogant,ne despice gentem

Nate

Nate tuam, viden' vt campis tam multa virorum
Milia præstantum generosis frontibus errent
Elysijs: te nemo tamen præstantior ore,
Non animo melior, nec ad horrida promptior arma,
Te externi, nostrique duces venerantur, & ipse
Depositis odij causis, liuore sepulto,
Te præfert Cæsar, se Maioremque fatetur,
Quandoquidem pietas, & nescia rumpere leges,
Dignior est sceptro, & regni diademate virtus.
Hac prece motus erat, mentemque mouebat ad artes
Antiquas, artes belli, martisque laborem.
Tum pater eloquij culto sic Tullius ore
Flexit ab incœptis animos, cœtumque resoluit:
Magne pater nostri generis, tuque optime ciuis,
Optime Dux, patriæque ingens pietatis amator,
Quem ciues colui ante alios dum vita manebat,
Ferre vrbi auxilium frustra meditamur, Olympi
Ipse pater, qui regna tenet, qui fulmina torquet
Sic statuit, scelus hanc hominum sibi suscitat iram,
Diuisæ excitis se seditionibus vrbes
Ausoniæ lacerant, vna intra mœnia liuor,
Ambitio, nummique sitis corrumpere mores,
Vt cœpere pios, nulla est reuerentia recti,
Nulla quies animis, nullusque salutifer vrbi
Ciuis, opes patriæ rapiunt, æraria nudant,
Et commune bonum in proprios elabitur vsus.
Hæ prauæ viuendi artes, hæc pessima morum
Colluuies, nobis latum qui reximus orbem

Abstulit imperium, Romamq́ aliena coëgit
Iura pati, seruiret adhuc, nisi prouida Narsis
Cura redemisset, pulso capitolia Gotho,
Quæ rapuit patres eadem fortuna nepotes
Insequitur, viret æterna sors aspera fronde.
Prospera brumales pluuias, & frigora sentit.
Astraq́ debilibus non fert ardentia ramis,
Atq; omnis timet incursus, æuoq́ senescit
Sponte sua, cum fixa manens, stabilisq́ putatur
Occidit extemplò, fugitq́ infida repentè.
Sorte sua vtantur, lex est Deus omnibus æqua,
Omne quod à superis bellum est, reuocabile non est,
Sed neq; rex Erebi quenquam tranare paludem,
Nec superis iterum reddi sinit, est pia quæ te
Romule cura mouet, sed subdita legibus orci,
Nos istis æterna ligant ergastula campis,
Nec licet ad patrium limen, cœlumq́ reuerti.
Fœlices animæ, sedem quibus ætheris alti
Iuppiter indulget, possunt ea fata mouere,
Nos orbis quondam Domini seruimus auerno,
Fata regunt illæ, terrenaq́ regna gubernant.
Verte alio mentem, nec nos ea cura fatiget,
Sit satis exilio nobis leuiore teneri.
His animæ dictis cœtu siluere relicto.
Interea nostras odijs flagrantibus vrbes,
Exercent furiæ, per rura, per oppida sæuit
Martis opus, Petriq́ domus polluta fluenti
Marcessit fluxu? nulla hic arcana reuelo,

Non

Non ignota loquor, liceat vulgata referre
Sic vrbes populiq; ferunt, hic rumor ab austro
Cimmerios vltra Latices per opaca silentis
Claustra viæ, sale concreto, qua plurima crescit
Stiria frigentes Scythiæ penetrauit in agros,
Venit ab herculeis per Iberum Gadibus æquor
Quà subit excelsam Thetys interflua Calpem
Ad vada Gangaridum magno qui proxima Gangi
Rura tenent, gemmasq; legunt, ea fama per omnem
Iam vetus Europam mores extirpat honestos.
Sanctus ager Scurris, venerabilis ara Cinedis
Seruit, honorandæ diuûm Ganimedibus ædes
Quid miramur opes recidiuaq; surgere tecta?
Thuris adorati globulos & cynnama vendit
Molis Arabs, Tyrij vestes & muricis imbrem,
Indus Ebur, Croceum Cylices & Tmolus odorem
Mel Siculi, ferrum chalybes, tenuißima Seres
Vellera, Cretenses mollißima vina, Tanager
Ternices mercatur equos, venalia nobis
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignes, thura, preces, cœlum est venale, Deusq;.
Sixte pater fidei custos, ouiumq; magister,
Quas bonus effuso moriens in sanguine pastor
Abluit ætatis damnosa licentia nostræ,
Quam veterum semper crescens incuria patrum,
Et sceleri pandens aditum, moresq; seueros
Auersata parit, tua sentiat arma, coherce
Hanc vitem ancipiti ramos preme falce vagantes

Namq́ feros fructus, & tristem frugibus vmbram
Fert inculta, iacens Cererem necat, occupat agrum.
Mille sub his latebræ folijs, & mille rapaces
Hac habitant sub fronde feræ, vulpesq́, lupiq́,
Mitiaq́ inuadunt, laniantq́ animalia paßim,
Sic cicurum genus omne perit, per ouilia regnant
Sæuus aper, tygres rapidæ, truculenta leonum
Semina, multicolor pardus, gryphs naribus vncis,
Et variæ panthera cutis, grauis vnguibus vrsa,
In genus hoc pater arma moue, sua pascua redde
Fœcundis ouibus, stent ad præsepia tauri,
Qui signata iugis, longoq́ attrita labore
Colla gerunt, postquam rerum te Roma potentem
Fecit, & obscuro iubar hoc resplenduit orbi,
Exanimis virtus scelerum sub mole sepulta
Respirare parùm visa est, & tollere frontem.
Et nisi tot vitijs hæc sæcula nostra fuissent
Deprauata, boni poterant rectoris habenæ
Errantes frenare rotas, sed tantus equorum
Impetus aurigam superat, frustraq́ retractans
Lora gubernator sine lege per inuia fertur,
Propterea sortem, doleo mitißime patrum
Sixte tuam, fueras annis melioribus aptus.
Est tibi quæ tanto satis est in principe virtus:
Sed velut obscuris Phœbi sub nubibus ardor
Languet, & vmbra diem piceæ caliginis aufert,
Sic tua corrupti vitio clementia sæcli
Obscuratur, eunt pessum pietasq́ fidesq́.

Lerna palus terra eſt, vitiorum exercitus hydra,
Alcides nuſquam eſt, ardentem ſæua chimeram
Monſtra tenent, nec adeſt Glauci caſtiſsima proles,
Candida Gorgonei capitis coma fluxit in angues,
Et neq; Mercurij proſunt, nec Palladis arma.
Dedaleis incluſa vijs Minoia monſtra
Paßim habitant crebris, vterum quæ cædibus augent,
Nec potis eſt multa ingluuiem ſaturare rapina,
Nec ſuperat Theſea manus, per tecta, per aulas
Harpyiæ funeſta lues fluxuq; fameq;
Infeſtæ volitant Boreæ genus omne receßit.
Syrenes redeunt, & Phœbi filia Circe,
Quæ placidos hominum ferali carmine vultus
Vertit in immites formas, & in ora ferarum.
Plurima ſunt nobis ſancti veſtigia ſæcli,
Et gentis monumenta piæ ſunt ardua templa,
Sunt ſacris congeſta patrum ſancta oſſa ſepulchris,
Eſt fidei caput, eſt veri latria Tonantis,
Iſta ſed Heſperidum velut aurea mala dracones
Cerulei ſeruant, (res deteſtanda) nec vllis
Flenda ſatis lachrymis, nec me conuicia quiſquam
Texere cauſetur, mordaxq; excudere carmen,
Hæc ſunt pro ſanctis gemitus lamenta dolores
Moribus, & ſuperum pro maieſtate querelæ.
Iſta mouent ſuperos, vocat hoc ſcelus æthere ab
Bella, famem, & diri genus inſuperabile morbi.
Heu ſortem gregis aduerſam, ſyduſq; malignum,
Quom cuſtode caret, cum fracto vimine ſepes

Nocturnos aditu fures admittit aperto,
Præsertim cum dira fames ieiuna luporum
Intestina premit, rapidiq; mapalia lustrant.
Præda sumus, fracto ferimur temone per altum
Qua furit Ebaliæ violentior ira Maleæ
Nunc vada latrantis scyllæ, nunc ora carybdis
Radimus, & Libycas rapido nunc æquoris æstu
Pellimur in syrtis, nunc per tua saxa Caphareu.
Pulsa dies tenebris, nubes Erymantidon vrsam
Abstulit, inditium cœli magneta latentis
Perdidimus, tumet in montes, & lapsa remugit
Doris, arenosi saliunt ad sydera fluctus,
Aduersæq; vndis vndæ, contrarius Euro
Flat Zephyrus, boreas austro, subuersa dehiscunt
Aequora, & inter se spumis albentia pugnant.
Vicini trepidant agri, pulsata reclamant
Littora, vixq; obstant, collisa rebellibus vndis.
Ah miseræ quæ nunc inter cunabula matres
Paruula securo nutritis pignora lacte,
Quod tepidi erumpent oculis turgentibus imbres,
Quod gemebunda premet fessus suspiria pulmo.
Mœsta quod attractis salient singultibus ora,
Quom tepido dulces rapientur ab vbere nati,
Atq; viris ipso cæsis in limine vestræ
Diripientur opes, sparsis cum crinibus ipsæ
Præda eritis, manibus vinctis hostile per agmen
Ibitis, attonito prostrata cadauera gressu
Calcantes laceraſq; comas atq; ora cruenta

Vestrorum seu natorum, seu fortè parentum,
Atq; piolatè stagnantes sanguine campos?
Summe Pater cœli, saltem cui regia paret,
Singultus audi insontes, fletuq; piorum
Flectere, crudeles gladij, saturandaq; cæde
Spicula primores populi, frontesq; superbas,
Oraq; blasphemo feriant inflata tumore,
Parce rudi populo maiorum exempla sequenti,
Imbellemq; manum salua, qui cætera saluas.
Quid meruere greges? pastorum incuria damno est.
Cerne laborantem freta per salientia cymbam,
Et miseris fer opem nautis, Pontumq; furentem
Sterne, suis manda ventos liget Aeolus antris.
Fatales properant anni, nouiesq; voluta
Fert alias leges centeno machina cursu.
Nec Deus has labi erumnas prohibebit ab astris.
Tempus adest, quod iam venturi præscia vatum
Pectora, fatidicæ quod prædixere Sibyllæ
Corripite arma viri dextris, lauasq; reflexis
Insertate manus clypeis, Deus odit inertes:
Ecce procul denso nigrescit puluere cœlum,
Sublataq; leues nimbi tolluntur arenæ.
Accipient fuscæ cædis caua flumina riuos,
Rubraq; pampineos imitabitur vnda liquores.
Non igitur frustra diros ardere cometas
Vidimus, & medio Phœbum pallescere cœlo,
Defectumq; pati, nigraq; in veste sororem
Inter nocturnos ignes incedere mœstam.

Tempus erit Parcis celeres glomerantibus annos,
Cum medijs fossor campis tellure subacta
Inueniet, conosq; truces, & nuda virorum
Ossa, grauesq; solo galeas, ensesq; sepultos,
Armaq; nostra suo non conuenientia sæclo,
Atq; immutatos rerum mirabitur vsus.
Hæc properant, dictumq; fides non sera sequetur,
Sed steriles, gelidæq; animæ quas imbre Megæra
Lethæo aspergens requie sopiuit inerti
Contemnunt, tepidoq; trahunt secura cubili
Ocia, tractantes lautis conuiuia mensis.
Nubila mens hominum, sortisq; ignara futuræ,
Terretur vanis, & vera pericula ridet.
Non tamen ista minus properant, incredula pœnas
Turba dabit, curisq; breui tabescet amaris.
At si tantus amor superum, si tanta moueret
Corda virum pietas, studijs si talibus artes
Ingenuas colerent homines, nec iacta perirent
Semina, nec litui streperent, nec classica cantu
Terribili, nec dira lues præcideret annos.
Nam licet obsequijs opifex lucentia mundi
Astra suis aptans semen, causasq; malorum
Ignibus æthereis dederit, cæloq; volanti:
Ipse tamen liber nulloq; coercitus astro,
Vultq; potestq; pijs precibus votisq; suorum
Annuere, & cœli flammas cohibere nocentes.
Aspice magnanimum bellatoremq; ducemq;,
Qui promissa suum genus introduxit in arua:

Et facilem cognosce Deum, miserisq; fauentem
Casibus, & nostra superum prece numina flecti.
Barbara gens populum reducem prohibebat ab agro
Pollicito, contra sumptis Dux impiger armis
Castra mouens hostes ingenti strage fugatos
Preßit, & infesto turbas dum cæderet ense
Iam nox atra caput velata nigrantibus vmbris
Pallentes vrgebat equos, lentumq; soporem
Interras biiugo secum temone vehebat
Ne tenebris decepta manus victoris ab ictu
Cædeq; cessaret Solymis vt gloria maior
Esset & euulsa generis radice superbi
Libera pacificis habitarent agmina campis,
Vota preceśq; ducis Deus audijt, atq; volantis
Ipse manus Phœbi volucrum retraxit equorum
Lora pater pluresq; diem produxit in horas,
Vincendiq; moras dedit, & comes iuit in arma.
Sol stupuit, fixoq; diu resplenduit orbe.
Cætera quæ cæli Dominum Titana sequuntur
Ordinibus certis suane interualla vetusq;
Sydera mutarent iter & ne curreret orbis
Ordine turbato currus traxêre citatos
Et iuga frenatis subitò tenuêre quadrigis
Solis ad exemplar, regemq; imitata quierunt,
Vranie dulci septem discrimina cantu
Quæ regit immoto vocem compreßit Olympo.
Si pater edixit, sic dij fecêre minores
Sireneśq; octo, quibus est data cura mouendi

Imm

Immortale Dei templum bis quattuor orbes.
Ipse arcem super excelsam, super ardua mundi
Culmina, quà roseum surgens aurora colorem
Explicat æterno patrem modulamine laudant,
Cunctaq́; distinctis aptant mortalia fatis:
Humanis igitur si mitia numina rebus
Cernimus antiquos tantum curasse labores
Vt tardata polis mundi mirantibus astra
Paruerint homini, credo si nescia labis
Totaq́; sub magni imperium collata Tonantis
Semper nostra pijs pareret legibus ætas,
Sollicito terrore carens fœlicibus armis
Mortales agerent sub dijs custodibus æuum,
Nostraq́; non nimbo metuens, non missa per auras
Ardenti Iouis arma manu, non torua furentis
Ora nothi, Libycum spumans quibus æquor in altum
Tollitur, & campis versata liquentibus vnda
Serpit in Ausoniam, tyrrhenaq́; littora pulsat,
Sed neq; tecta timens cœco sub Gurgite saxa,
Non vada, non scopulos, turcorum à littore victrix,
Fœtaq́; multiplici remearet fenore claßis.

Quomodo Deus placandus sit.

QVa prece placari, quo poßint munere flecti
Numina, Castalides ostendite, numina vobis
Cognita terrigenum miseræ succurrite sorti.
Dum precor Vranie, cui sydera nota, Deumq́;

Tecta, supercilio sic est effata sereno:
Corpora syderei sicut mortalia cœli
Imperio subsunt, & nulla rebellibus armis
Bella audent, sequitur magnes Erimantidos astrum,
Et quò luna iubet fugit, atq; reuertitur vnda:
Tempora sol variat, sic mens æterna parenti
Iustitiam, sanctos mores & laudis honorem
Perpetuum debet, sunt hæc gratißima cœlo
Orgia, & infestis obstare potentia fatis.
Sed postquam liquit terras Astrea nocentes
Fugit & ipse hominum leges, qui condidit ordo
Temporeq; ex illo summi reuerentia patris,
Sanctaq; diuini ruit obseruantia cultus.
Hi quoq;, qui nomen de relligione superbum
Vsurpant, quanquam sanctis à patribus ortos
Se iactent, ouium molli sub vellere fraudes
Mente Lycaonias seruant, & crimine sordent:
Quod speciem virtutis habens scelus omne colorat,
Nec tamen his maculis sordet pecus omne Magister
Ne pereat, quædam sibi seruat ouilia, semen.
Qui prece sollicitant superos multosq; per omnis
Thure litant aras veniam, pacemq; precantes
Inuisi superis fœdaq; libidine olentes.
Heu frustra incestis iterant sacra orgia dextris,
Polluti circum quotiens altaria vultus
Conueniunt, celebrantq; choros, & carmine mixto
Sancta Deûm vanis penetralia vocibus implent:
Irritant, irasq; mouent, non numina flectunt.

Hac prece nil opus est, nil adiutoribus istis
Auxilij sperate, nouis date templa ministris.
Sacrilegum genus ex aditis, templisq; deorum
Pellite, nec longos scelera hæc vertantur in vsus.
Quid Solymos ritus, quid montibus æmula templa,
Aequatamq; iugis molem, longumq; per æuum
Limina solemni latè celeberrima cultu,
Antiquasq; Dei sedes cum mœnibus altis
Eruit, & pulchram ex imis radicibus vrbem?
Sacrificæ gentis scelus, & contagia passim
In patrias prolapsa domos mouere Tonantem.
Qui Romana vocans ad opes, & regna suorum
Castra secundabat cursus, classemq; regebat
Ausoniam, stimulosq; animis addebat, & ignes.
Ipse acies inter tenui circundatus aura
Versabatur agens animosam in prælia gentem,
Oppugnansq; altas arces, scelerata ruebat
Mœnia, cœlicolum post longa silentia tandem
Euigilans furor imperijs, regniq; ruinam
Ingerit, & celeri pessum trahit omnia cæde.
Sicut in antiquas flammis volitantibus ædes,
Quum sæuit Vulcanus, eunt laquearia iunctis
Cum trabibus, tabulæq; leues, atq; ardua tecta
Incineres, longosq; rapit breuis hora labores.
Si robusta fides, si spes immobilis, ardens
Si pietas senis, & vitio inuiolabile pectus
Afferet, ignicolor, quem lapsus ab æthere currus
Sustulit in Phœbi syluas atq; ardua templa

Ferret opem, posset'q; instans auertere fatum,
Ipse sacerdotes Phitonia pectora falsos
Abstulit, & longo campis ardentibus æstu
Elicuit largum subitis de nubibus imbrem.
Traxit & æthereos superis ex vrbibus ignes.
Et noua circundans liquidis altaria riuis
Quom boue mactato rutilans superincidit ardor
Et quom dura ferens regis mandata superbi
Attonitus sensit flagrantia fulgura miles.
Hic antiqua tuæ iecit primordia gentis,
Namq; rudem tunicam tetræ fuliginis instar
Cui simplex expersq; artis natura colorem
Fecerat induitur, per sæcula cuncta nepotum
Progenies iussit similem gestaret amictum.
Incola Carmeli primus fuit ipse pudoris
Virginei princeps, & vitæ cœlibis auctor,
Ipse suo sanctos vrbes & mœnia patres
Linquere & in tacitis seruare silentia campis,
Exemplo docuit, solus nanq; ipse per vmbras
Errabat nemorum, pomis contentus & vnda.
Gramen ei pro melle fuit, pro nectare lympha.
Sed fœlix nunc arua colit ridentia suprà
Frigoris aërij, & lapidosæ grandinis oram.
Ille licet gemina vertex æstate quotannis
Sudet, & à nobis cùm sol declinat in austros
Et cùm littorei petit humida brachia cancri,
Scilicet æquali Libræ, Phryxiq; sub astro,
Depresso quoniam multum telluris ab orbe

Tollitur, infestis nunquam tamen ignibus ardet,
Purpureos semper flores, spirantibus auris,
Ora tepens semper violas & candida semper
Lilia fert, breuibusq; dies absconditur vmbris.
Quattuor ex istis labentia flumina campis
Lata rigant Asiæ ripis ingentibus arua:
Sunt rigui fontes, vitreosq; nitentia riuos
Prata bibunt, tersus semper sine nubibus aër,
Nec quatitur ventis, nec rauca tonitrua frangit:
Brachia pomiferæ curuant redolentia syluæ,
Pendulaq; electri gratum induit vua colorem.
Collibus in paruis, vbi paulum iugera surgunt
Perpetuas, ramis fœcunda feracibus arbor,
Semper habet fruges, quibus & contemnere fatum
Possit & expertem morbi seruare iuuentam.
Nulla patet curis illuc via, nulla dolori,
Nulla neci, colit ista senex loca sancta beatus.
Atq; sub occasum mundi rediturus in orbem
Non timet interea Parcæ ne stamina rumpant.
Hoc sene nunc opus est, & te mitissime vatum
Cuius ad ingressum rubri salis vnda recessit
In geminas rupes, patuit maris alueus ingens
Prætereunte Duce & populo per concaua regna
Neptuni, timuit Triton, sonuêre cauernæ
Delphines curui & Phocæ fugêre natantes.
Subq; imas egit Protheus pecus omne latebras.
Si Deus hos nostro miserans concederet æuo,
Dura inter rapidos paterentur iurgia patres:

Vsq; adeò inuisa est probitas odiosaq; Virtus.
Tempore nanq; isto vicio datur esse pudicum:
Est scelus esse pium, sæcli hæc est gloria nostri,
Parce igitur pro gente tua tabescere, vates,
Pone preces, ambire Deos & sydera noli.
Quod cœlum superiq; ferunt, mutabile non est.
Dixerat Vraniæ, cùm Thesbias altera vocem
Extulit, & tales est orsa Polymnia cantus:
Hîc iuuat antiquam cladem, veterumq; dierum
Fata recensere & primææ gentis ab ortu
Illuuiem repetens missos trans littora fluctus,
Ignotosq; prius nimbos & nubila dicam,
Scilicet vt memores iusto sub iudice vestros
Ire dies, certasq; sequi post crimina pœnas,
Cautius ambiguæ cursus & euntia vitæ
Tempora curentur, nec inerti pressa veterno
Mens habeat, sed prompta graues supereuolet artus
Venturamq; timens cladem, vicinaq; fata,
Mobilium turpi rerum ne se inquinet vsu,
Sed solùm videat patrem & reuerenter adoret:
Qui sedet & stabilis solo mouet omnia nutu.
Cùm pater Oceano sceleratam perdere gentem
Vellet, ad imbriferos errantia sydera pisces
Duxit, & officijs aptauit tristibus astra:
Sed tamen antè rudes turbas & barbara regna
Quàm subitis deleret aquis præmisit in orbem
Fatidicum vatem, qui crimina longa piari
Posse libidinibus si noxia parceret ætas

*Instantesq; iras caneret cladem*q; *futuram.*
Interea diuûm monitu contexere vastum
Instar montis opus cœpit: quo clauderet omne
*Quadrupedum volucrum*q; *genus stirpem*q; *nepotum:*
*Formabat*q; *ratem magnis super æquor ituram*
Motibus. & grandi pressuram Nerea mole.
Clarus adhuc radijs Phœbi lucentibus æther
*Splendebat, quum ligna faber cæsam*q; *pararet*
Materiem, nondum tellus cognouerat imbres:
Sed crescentis adhuc post prima exordia mundi
*Terra patens proprio*q; *madens humore ferebat*
*Omnia: prouentu*q; *suos meliore colonos*
*Iugera pascebant, grauiora*q; *semina culmos,*
*Poma*q; *maiori curuabant pondere ramos,*
Tunc etiam virides animalia tuta per agros
*In longos ventura annos æuum*q; *senile*
Gramina tondebant, nondum violata pruinis
Nec gelidas experta niues, sed mitia Veris
Tempora, & aßiduum placidißima frigora rorem,
Nondum Lampeties Ithacis armenta colonis
Obfuerant, nec fixa veru versauerat exta
Geriones, nondum fuerant magalia, necdum
Rapto Auentinos macularat sanguine colles:
Impia nec cæsis viuebant sæcula bobus.
Tunc igitur populi indociles, ignara Deum gens
Mirantes ratis immensam consurgere molem
Consilium spreuêre viri, nec dicta putarunt
Digna fide, & sanctum senis irrisêre furorem,

Ecce niger piceis velatur nubibus aër:
Et Phœbi lux alma diem diffundit opacam,
Iam cœlum insolitis reboat mugitibus, ingens
Nimbus adest, fugêre feræ, fugêre volucres:
Flumina certatim tumidis Nereides vndis,
Et freta tollebant, nigro pallentia cœlo
Nubila conglomerans pennis rorantibus Auster
Aethiopes, Libyamq́ super stridente volatu
Ibat, & excußis ardebant ignibus auræ.
Aeoliæ tremit omne solum, furit Aeolus, antra
Fracta sonant, factoq́ volant procul agmine venti.
Contremuêre vrbes, tristes per rura coloni
Cogere ab imbre greges, stabilisq́ armenta tueri
Dum properant, crescentis aquæ lata æquora cursus
Impediunt, frustra pecudes balatibus agnos
Sollicitant, frustraq́ vocant sua parua capellæ
Pignora, conuellunt frondosa cacumina Cauri:
Diripiuntq́ casas, volitantq́ per aëra culmi.
Attonitæ matres strictis ad pectora natis
Ardua tecta petunt, iuuenum robustior ætas
Annosas scandunt quercus, fugiuntq́ repentes,
Quòd nulli fugisse datur, confusa per vrbes
Infantum, iuuenumq́ sonant lamenta, senumq́,
Itur in excelsas turres & summa domorum
Culmina: Neptunus spumans, vltricibus vndis,
Insequitur, miseros arctant præsentia fata.
Imbre madent tunicæ, porrectis crinibus vnda
Liquitur: Oceanum dicas ex æthere labi,

Et lachrymæ miſcentur aquis, ad nubila fruſtra
Tolluntur cum voce manus, ſua numina quiſq;
Clamat, in erectas Boreæ violentia frontes
Nimboſo ſpuit ore tonans & verba precantum
Suffocat, ne fortè Dei referantur ad aures.
Iamq; ſuperfuſum campos abſconderat æquor
Nulla fugæ ſupereſt, ſupereſt ſpes nulla ſalutis.
Hæc vada non greſſu, non ſunt tentanda natatu:
Et iam montanis veniunt qui è fontibus amnes,
Et quæ per campos latis vada concaua ripis
Magna mole fluunt, gremio complexa capaci
Vix tanto ſatis eſt oneri Neptunia Doris
Iam ſolæ extabant, excelſa cacumina quondam,
Nunc humiles merſæq; altis in fluctibus Alpes:
Viribus innixi tabulisq; ad pectora tractis
Complexiq; trabes hauſtum ſæpè ore vomebant
Oceanum, tandem victi oppugnantibus vndis
Ora ſub immenſos mergebant pallida fluctus.
Vallibus ex imis profugos qui ſumma tenebant
Culmina montanosq; apices, cùm Nerea ſemper
Alta magis petere, & plenis de nubibus imbres
Certatim ruere, & iam mortem inſtare viderent.
Pœnituit tandem, ſerasq; dedêre gementes
Nequicquam lachrymas, & fallere numina votis
Conſueti, quum vota darent ridebat Olympus.
Flumina non norant ripas, nec littora fluctus
Aëriæ volucres humore madentibus alis
Præcipiti caſu lapſæ cum brachia multum

Iactaſſent

Iactassent pelago, fatum tandem ore trahebant,
Fugerat in latices Rhodope, magnusq; latebat
Apœninus aquis, nigro sub gurgite summum
Presserat Ossa caput, non apparebat Olympi
Altus apex, ipsis auibus non peruius antè:
Tunc tamen & curuis ratibus (si forsitan illa
Aetas vsa fuit ratibus) pecoriq; marino
Peruius, æquoreo quæ nunquam tingitur imbre
Vicinis timuit mergi sub fluctibus vrsa.
Apta prius bello atq; armis procera Gigantum
Corpora cum paruis, turba cum paupere reges
Purpurei nabant sine maiestate supinis
Pectoribus, merso sub gurgite fœmina vultu,
Diffusisq; freto vittis & crinibus ibat,
Inuoluit sors vna omnes, discrimine nullo
Gryphes, equi, damæ atq; canes, cerui atq; leones,
Agna, lupus simul errabant, certamina litis
Mors dirimit, certamq; dies parit vltima pacem
Iamq; homines, iamq; vnda feras populata fluebat
Libera, non scopuli toto non insula Ponto,
Nec Cyprum Venus alma videt, nec Delplica Phœbus
Tampla, nec Alcides Thebas, nec Cynthia Delon,
Nec Iuno sua rura Samon, nec Gnosia regna
Iuppiter, extincta fugit Vulcanus ab Aetna:
Quamuis claudus erat Triuiæ vicina petiuit
Atria, præpetibus pennis, celeriq; volatu.
Nec cupressiferam Cyllenen aspicit Hermes,
Nec Tyberim Mauors audax, tegit omnia Pontus.
Protheus

Protheus,& Doris,Glaucus,Matuta,Palæmon
Cuncta tenent,Pindi phocæ videre cacumen.
Occiderat tellus,ignis,Neptunus,& aër
Mundus erat:Cererem Thetys amplexa premebat
Vndiq;,Neptunum quartæ reuerentia sortis
Non metuit violare domum,thalamosq; sororis
Herbiferæ,tentare etiam Iunonia regna
Non metuens auras spacio breuiore coegit.
At ratis omne vehens animal terrestre per altum
Ibat,& obiecta dirimebat corpora prora:
Atq; videns vtrumq; polum sublimior ipsis
Nubibus æthereum per iter,quà casus agebat:
Nunc Zephyros contra errabat,nunc Solis ad ortus,
Nunc Austros,nunc vsta petens Aquilonibus arua,
Donec in Armeniæ rupis delata cacumen
Iam retrò labente mari vestigia fixit.
Nam pater excelsa mundum speculatus ab arce,
Vt genus humanum saluo vix semine vidit
Interiisse,fretum iussit cessare,nec vnquam
Amplius Aegeon dixit montana reuiset
Culmina,nec scyllæ Glaucus iungetur in altis
Montibus,extremæ lustrabunt cætera flammæ:
Cum vetus ingenti tellus arsura camino
Absorbebit aquam pelagi sitientis,& ipsos
Aethereos montes camporum æquabit arenis,
Tunc altos mortale genus voluetur in ignes,
Immensumq; dabit volitans vaga flamma fragorem,
Et fornace gemens mundus fumabit eadem.

Nec

Nec tamen hæc Phaëthontis erunt incendia, Phœbo,
Quæ, nolente, crement orbem, tunc omnia vires
Astra suas iurata dabunt, & nostra facessent
Imperia, atq; alias alio pro crimine pœnas
Gens humana luet, cinerem soluentur in atrum,
Quæ mare, quæ tellus, quæ corpora poßidet aër,
Nec tunc vlla virûm flammas industria vincet.
Hæc dicente Deo, nubes fugêre, Nothusq;
Occidit, & pulsus claris Aquilonibus Auster.
Iam Taurus iuga tollebat deformia limo
Lentus & ex altis stillabat frondibus humor.
Semisepulta inter cumulos humentis arenæ
Corpora siccabant auræ, paßimq; abeunte
Rupibus in summis hærebant æquore conchæ.
Iam claro rutilans ardebat lumine Phœbus,
Monstrabatq; procul discußis nubibus Idam,
Turribus ex altis primum titana videntem.
Riphæas arces Licyæ, Cylicumq; superbis
Aggeribus frontes, Athon & Rhodopeia saxa,
Et Casias moles, magniq; cacumen Olympi,
AtqTyrheneos apices, Athlantaq; magnum.
Ex alta senior specula caput extulit album
Telluremq; videns, Salue sanctißima, dixit,
Terra hominum pecudumq; parens fœcundaq; nutrix
Quæ frugum genus omne paris, quæ vulnera tergo
Infinita pio pateris, quo pignora pascas.
Tu rapidos ignes elementaq; cætera fixo
Limite, tu cœlos sicut grauis anchora puppes

 Incto-

Inconcussa tenes, pedibus tua mitia nostris
Pectora substernis, gaudens & mœsta capaci
Membra sinu defuncta foues, siccare, tuamq;
Accipe progeniem, pelagi tot casibus actam,
Longaq; perpessam angustis incommoda tectis.
Hæc ait, & pressas valles speculatus aquosos
Vidit adhuc campos, nebulasq; errare cadentes
Arua per, & lento circum iuga serpere gressu,
Et prono petere ima gradu, Zephyrisq; fugari
Leuibus, & sensim notis sua flumina ripis
Restitui, & pressos sua littora quærere fluctus.
Tum pater ingentes rupto sibi limite portas
Oceanus fecit, per quas ire, atq; reuerti
Posset, & imperio Lunæ labi, atq; relabi
Motibus alternis, mediasq; reuisere terras:
Tunc gelidi sinus Euxini, tunc alta Propontis
Ioniumq; fretum, longis quod fluctibus altum
Currit ad Athlantem, solidis cùm Caspia ripis
Colligere occultas cœperunt æquora venas,
Fluminaq; & missos Scythicis de vallibus amnes:
Tunc Arabes inter campos, Niliq; lacunas
Salsé mare diffudit, tunc Persica Doris,
Est ingressa solum merces latura per Indos.
Tum quoq; Mæotis latam diffusa paludem
Fecit & immenso glacies indurvit orbe:
Despiciens iterum sublimibus alta fenestris
Protulit ora senex, & circum lumina vertens
Acilijs pendente manu deprendit Araxem

Ggg *Finibus*

Finibus includi proprijs: Tygrimq; volantem.
Sic ratus Euphratem, sic est ratus ire Niphatem,
Sic Rhenum, Venetumq; padum, Rhodanumq; Ararimq;
Sic Thermodontem dubijs è fontibus ortum,
Et latos Hypanis latices bisaporis & Istrum.
Sic vada Iordanis, sic Nili flumina septem,
Et sua qui nigris dat nomina gentibus Indum,
Immixtumq; fretis, solumq; Borysthenis amnem:
Tunc etiam nitido cœlos incedere vultu,
Et Phœbi occasum croceo splendore rubentem,
Humentisq; Nothi flatus cessasse nocentes,
Contemplatus: Habent, dixit, bella aspera finem,
Et tandem maris & cœli cecidere furores.
Mox reserata videns bipatentibus ostia valuis:
(Nanq; Deus limen, quod clauserat antè, reclusit)
Omine frondiferæ lætus redituq; columbæ
Seruata cum plebe senex exiuit & agris
Restituit pecus, & nemori genus omne ferarum,
Et leuibus pennis Volucres abière per auras.
Finierat tali responsa Polymnia cantu
Altera cum docti nutu soror annuit oris,
Et placidam Clio surgens extollere vocem
Cœpit, & exemplum prisci memorabile dixit:
His adiunge senis, qui marmore primus acuto
More sacerdotum Phrygiæ pudibunda Cybelis
Membra secans, magno dedit orgia grata Tonanti.
Ipse pater sanctæ fidei, pater ipse timoris.
Hunc habeant tua sæcla ducem, sic flectere cælum,

Sic mutare Deos poterunt, ſic fata mouere:
Tu dea dic, inquam, tuus hic labor, ipſa capaci
Mente tenes, vitæq́ memor monumenta prioris
Cernis, & annales æterno pectore ſeruas,
Cunctaq́ præteriti memoranda negocia ſæcli:
Tunc dea virgineos oculos frontemq́ venuſtam
Mouit, & in cœlum verſis ita vultibus orſa eſt:
Da pater ingenijs lumen, da cordibus aures,
Et chaos humanis cæcum de mentibus aufer,
Oblitosq́ nouas ſordes laudata priorum
Facta ſequi patrumq́ vias concede nepotes.
Mox ad me conuerſa ſuoq́ innixa ſedili
Talibus hiſtoriam cœpit percurrere dictis.
Clara iacet tellus vltra Babylona ſuperbam,
Quam veteres ideo veſtri dixêre, Medamnem,
Quòd geminos inter latè diffunditur amnes:
Scilicet Euphratem, Tigrimq́ è fontibus ijſdem
Progenitos, & mox diſiunctis flumina ripis
In duo diuiſos, quorum ſecat illud Eoas,
Occiduas aliud partes, longoq́ meatu
Per nigros Arabum populos verſata rubentes
Ingrediuntur aquas, & ſe cum Doride miſcent.
Terra igitur fluuijs prius intercepta duobus
Frugum terra ferax, argenti diues, & auri:
Quæ nimio neq́ ſole calens, neq́ frigoris æſtu
Preſſa graui tepet æterno placidiſſima vere:
Indiga lympharum tamen eſt, paucisq́ rigatur
Fontibus, aſſiduo paſcuntur gramina rore.

Hæc hominum sublime genus, clarosq; virorum
Fert animos diuum sacris aptißima rebus
Pectora, cœlestesq; vias, & sydera doctos,
Quos dixêre Magos, etiam per Persidis agros,
Phœnicumq; domos habitant, & Agenoris arua:
Hos antiqua Tyrus nouit, piscosaq; Sydon.
Terra tamen gemino primum quæ clauditur amne,
Hos tulit, & primos horum sibi vendicat ortus.
Hac igitur de gente satus gratißima cœlo
Progenies, magniq; sagax Abramus Olympi.
Cognitor errores varios damnauit, & aras
Indigenæ gentis, veras namq; ipse per artes
Illapsuq; Dei monitus diuersa negauit
Numina, sed solum summa confessus in arce
Esse patrem rerum artificem, mundiq; magistrum:
Abstulit & fati leges, & inania iura
Fortunæ, casusq; leuis damnabile nomen,
Aeternosq; docens, animos post funera, dixit,
In requiem, & vitæ patriam melioris ituros:
Qui veriti Numen, Maiestatemq; Tonantis,
Clausissent sine labe dies, & sancta sequuti,
Quæ generi dedit ipse suo, mandata fuissent.
Propterea falsis assuetæ legibus vrbes,
Vt noua tradentem populo mandata, Deosq;
Tollentem nouêre virum, communia sanctum
In ciuem vertêre odia, infensæq; fuerunt,
Qualis Socraticæ quondam gens Attica voci.
Id metuens natale solum, patriamq; reliquit,

Regnaq; Sydonio petijt contermina Ponto.
Rex erat Assyrijs Ninus, atq; Semiramis vxor
Extincti post fata viri victricibus armis
Protulit imperij fines per Bactra, per Indos.
Inachus Argiuam paruo post tempore gentem
Rexit, & Inachia cum Iuppiter Iside captus.
Tunc Athlas humero cœlum tulit, igne Prometheus
Humanum madido formans in puluere corpus
Contigit, & venas vitalibus imbuit auris.
Nondum Roma suum Tyberim, nec magna futura
Troia parens Romæ Xanthi cognouerat vndas.
At cùm dura fames agros, & mœsta teneret
Regna Palestinæ, mutata sede petiuit
Niligenas, fœlixq; solum, quod pinguibus vndis,
Horrea centeno latißima fœnore complet.
Tunc rudis Aegyptus campos, & dura colebat
Iugera, nec causas rerum speculata latentes
Nouerat, æterno currentia sydera motu
Lanigeros curare greges, caua cymbia dulci
Lacte coronare, & mites nutrire iuuencos:
Tunc communis erat labor, hoc Aegyptia pubes
Exercebat opus, glebasq; domabat aratro.
Traxit ab his curis animos Abramus, & altam
Suspiciens arcem mundi, Cognoscite, dixit,
Aethereos ignes, & non mortalia magni
Templa Patris, sanctiq; operis sanctißima signa,
Artificemq; Deum, qui sydera calcat, & ipsam
Grandibus infusam membris cognoscite mentem:

Neu finite æternos animos assuescere terræ
Lætariq́; luto, & rebus gaudere caducis.
Terra perit, pereunt vndę, mutabilis aër,
Intereunt ignes, semper durabile cœlum
Permanet, & nostris animis habitacula seruat.
Ob scelera & culpas hominum, ritusq́; nefandos
Impia diffuso perierunt sæcula Ponto:
Ob scelera & culpas hominum ritusq́; nefandos
In cineres abit tellus, tenuemq́; fauillam:
In superos estote pij, satis ampla feretis
Sacra Deo, templisq́; suos reddetis honores,
Quom sine sorde preces, & labe carentia vota
Offeret intactum maculis, & crimine pectus,
Iustitiam, moresq́; pios offerte, litari
His sibi vult pater, infractus licet irruat orbis,
Virtutes animiq́; manent, benefacta supersunt
Semper, & arbitrio Deus omnia iudicat æquo.
Viuite virtutum memores, virtutibus æther
Scanditur, & summos, quos cernitis, itur ad orbes.
Hæc populis præcepta ferens Abramus Olympi
Explicuit cursus omnes, bissenaq́; signa,
Quæ variant nitidum stellati limitis orbem,
Innixasq́; fretis terras Pontumq́; teneri
Aëre sublimes ferri circum aëra flammas,
Astra ignes circum super ardua culmina mundi
Aeternum regnare patrem sceptrumq́; tenere.
His superaddiderat prolem post longa futuram
Tempora, quæ renouet meliori sæcula lege.

Rura petens iterum proli promissa futuræ,
In primos, quos antè fami regnante, penates,
Fugerat, argenti locuples remeauit & auri:
Et cum rege loci percusso fœdere gressum
Cum consorte thori seruorumq; agmine magno
Fixit, & Assyrios impleuit ouibus agros.
Tum primum cæleste genus sub imagine visum
Creditur humana, quom fortè sub ilicis vmbra
Frigora captaret venientia numina vidit:
Vnum, quod dulcem nati prædiceret ortum,
Et duo, quæ flammis ruerent cælestibus vrbes
Infames vitijs vrbes, & sulphure dignas.
Et quoniam mater ventura senilibus annis
Pignora subrisit, materni nomina Risus
Induit auspicijs oriens fœlicibus infans,
Spes generis cœli, Proles habitura fauorem,
Et longos visura dies, magnamq; datura
Progeniem, visura Deum, visura Tonantis
Semina, de seris exire nepotibus olim.
Pulcher, & eximiæ diuino frontis honore
Præditus, vndenos iam bis puer egerat annos:
Quom Deus Abramo dedit hæc mandata fideli:
I celer, vt nostræ dulcem tua pignora Risum
Sacra feras aræ, summi pete culmina montis,
Compositisq; super truncis altaria flammas
Subijce, & arrepto nati pete guttura cultro,
Accensosq; super ramos effunde cruorem.
Impiger ostensum chara cum prole cacumen

(Struxit vbi ce'sam templi rex tertius arcem)
Solus adit famulis vmbrosa in valle relictis.
Sæpè patri dixit iuuenis, tibi culter, & ignis
Victima nulla tamen. suspiria longa paternum
Pectus agens, Nostris (inquit) lectißima flammis
Victima mox aderit, lachrymaq; per ora cadebant,
Et iam multiplici stabat rogus arbore grandis,
Subiectisq; nouæ rutilabant ignibus aræ:
Quom pater ætherei referans mandata Parentis
Talia vix preßis nato singultibus inquit:
Chare puer dulcis vitæ mihi dulcior annis,
Quem mea clausurum sperabam lumina, cuius
Auxilio leuiter senij graue pondus inertis
Laturus fueram, mea spes, mea nate, voluptas,
Ob decus egregium formæ, teneramq; iuuentam,
Ingeniumq; pium, sacrisq; accommoda rebus
Corda, videbaris longo dignißimus æuo:
At secus est cælo visum, summoq; Tonanti,
Sicut mira tibi fuit & cælestis origo,
Sic memoranda tuum renouat miracula funus,
Sanctaq; fœlici mors non discordat ab ortu.
Non morbo, senióve cadis, non occidis hoste,
Hostia cælitibus fies, manibusq; paternis
Mite feres mortis genus hoc, inuita, tremensq;
Tristibus officijs accedit dextra, pauetq;
Pectus, & immotis frigent præcordia fibris,
Sed superûm mandata sequi, & parere neceßé est.
Nec te dura breuis moueat præsentia fati,

Quam

Quando tibi melior dabitur vita æthere in alto.
Hæc pater illachrymans, charaq; in imagine nati
Lumina defixus minuebat voce dolorem.
Filius hæc contra: Pater hæc suspiria pone,
Pone pater fletum, si quicquam fata doloris,
Funera si quid habent, pœnæ, fugit ocius Euro.
Ergò Dei sortem potuisti credere nato
Difficilem? teneris ne fui sic doctus ab annis?
Hos puero mores pater, hæc præcepta dedisti?
Intrepidus fati genus hoc reuerenter honestum
Suscipio, nec me flammæ, nec vulnera terrent.
Immò ego me frustra genitum, & vitalibus auris
Contra iura frui credam, si iussa pigeret
Ista pati, mea membra Deus melioribus auris
Imbuet, interea donec noua venerit ætas
Pace fruar placida patrum cum mitibus vmbris
Te expectans, tua namq; iterum pater ora videbo:
His pater in fletum dictis prorupit, & ibant
Ora per, & barbam lachrimæ, cecidêre trementi
Arma manu, cùm sic iterum puer ora resoluit:
Quid patris, & nati tantum te nomina terrent?
Quid te falsa ligat stultæ pietatis imago?
Est pietas suprema Deo parêre, nec vllum
Gratius est sacrum, nec victima sanctior vlla.
An ne doles, tua quòd superi sit & æthere digna
Progenies? quod adhuc trepidas Abraame? quid hæres?
Quid tam fœlici fraudas tua pignora sorte?
Redde Deo precor hanc animam terrena perosam,

Eripe me tenebris,aditumq́ ad sydera pande.
Prospicit ex alto Deus hæc spectacula cælo,
Hasq́ moras dudum,& dextram miratur inertem.
Sic ait,& molli denudans guttura veste,
Post patrem rutilos puer accedebat ad ignes.
Iam pater ardentes plorans ascenderat aras,
Nudatoq́ pium nati caput ense petebat,
Quom Deus amborum motus pietate,ministro,
I,dixit,celer,& veniens clamabat ab auris,
Pone pater cultros,mitem ne interfice natum,
Sat tua nota fides,pietas tua cognita cælo
Iam satis est,cessa,gratam nobisq́,tibiq́
Progeniem serua, & matri sua pignora redde,
Obiecitq́ caprum gladio,qui cornibus altis
Vepribus hærebat,tenuiq́ euanuit aura.

Auctoris peroratio carminisq́; conclusio.

CErnis vt indomitis hominum ceruicibus instet
Ira deûm,durasq́ terant quo turbine frontes:
Aspicis,vt subiecta fouens & sancta gubernans,
Corda pius pater æquali regat omnia lance.
Nos igitur quos tot surgunt immania contra
Signa,tot hostiles vultus,truculentaq́ toruis
Ora oculis,qui tot deuastatricia monstra,
Perq́ agros paßimq́ ipsas errare per vrbes
Cernimus,& nostris instare pericula rebus,

Si grauibus moniti exemplis oracula diuum,
Et responsa deûm sequimur, nec Flamine Sacro
Pœnituit prima fusos ob rigine crines,
Clara soporatas illustrent lumina mentes,
Lustremusq́ animas, humiles in sancta feramus
Templa preces, exempla patrum meliora sequuti,
Purior interea depulsis nubibus aër
Induet antiquos vultu ridente colores.
Grana ferant sulci, dulcesq́ racemifer vuas
Palmes, & alma Ceres mitisq́ fauebit Iacchus:
Atq́ salutiferis immissæ flatibus auræ
Innocuos cœli tractus, synceraq́ reddent
Atria, fatifero passim moriente veneno,
Bellaq́, composita, cessabunt horrida, pace.



BAPTI-

BAPTISTAE MAN-TVANI CARMELITAE, THEOLOGI: BVCOLICA

seu Adolescentia in decem Aeglogas di-uisa:

AD PARIDEM CAERESARIVM sibi amicitiæ vinculo ad-dictum.



Vdi ô Pari, ænigma perplexum, quod Oedipodes ipse non solueret. Ego quinquagenarius & iam canescens adolescentiam meam reperi, & habeo adolescentiam simul & senectam. sed ne longa ambage te teneam, nondum hunc dissoluo. Anno præterito cùm Florentia rediens Bononiam peruenissem, intellexi apud quendam literatum virũ esse quendam libellum meum quem olim antè roligionem dum in Gymnasio Paduano philosophari inciperem, ludens excuderam, & ab illa ætate adolescentiam vocaueram. Carmen est Bucolicum in octo Aeglo-

gas diuisum, quod iam diu tanquam abortiuũ putabam abolitũ. Vbi id resciui Saturnina fame repentè sum percitus, & cogitaui quónam pacto possem proli meæ inferre perniciẽ, iuuantibus ergò amicis, libellum mihi vendicaui vt perderem quem suspicabar erratis non posse non scatere. At vbi intellexi & alia quædam exemplaria superesse, visum est præstare hoc quod vendicaram emendare, emẽdatumq; ædere, vt eius editione cætera quæ continent multa nimis iuuenilia deleantur. Hoc igitur sic castigatum duabus alijs Aeglogis, quas in religione lusi in calce subiunctis, tibi ô Pari, iuuenis antiquæ nobilitatis & studiorum ac omnium bonarum artium amantissime, nostræq; vrbis decus egregium libentissimè dono, vt quãdo tetricis illis Philosophię ac Theologiæ lucubrationibus, quibus assiduè vacas, fatigatus fueris, habeas iucundulam hanc lectiunculam, qua tanquam ludo quodam blandulo (sed liberali) lassum legendo reparetur ingenium. Omnes autem penes quos immatura illa sunt exemplaria, quæ dixi, rogatos volo, vt si quid vnquam fuit eis dulce meum, confestim exurant, nec vllo pacto superesse permit-

permittant, Accipe ergò, Pari suauissime, libellum & auctorem, & ambobus tanquam rebus tuis tuo deinceps vtaris arbitrio, Vale, Kalendis Septembris, M. CCCC. XCVIII.

IODOCVS BADIVS

ASCENSIVS IOANNIS ALEXANDRI optimi Andegauensium Bibliopolæ ingenuis liberis Laodislao & Clementi, suis ob paternam probitatem dilectissimis, S. P. D.

BAptistæ Mantuani Carmelitæ extra inuidię aleam laudatissimi adolescentiam, facili commendatione, qua pastoralis stylus contentus est, his diebus à nobis, licet minus efflagitarat donatam vobis adolescentes optimi propterea destinamus, quòd illius simillimos fieri vos maximoperè velim. Est enim vir ille disertissimus & ditissima vena præditus, ita optimis institutis institutionibusq; præter cæteros ornatus. Norit enim vt est prudentissimus q̃ periculosum immò perniciosum sit lasciua canere, proinde anxiè cauit ne quid diuo Paulo iudignum emittat, quippe qui

qui rectiſsimè à Catullo, Catulliq; ſimilibus diſſentit)Legetis ergò ſine periculo caſtitatis hanc adoleſcentiam quam in decem Aeglogas ad imitationem (ni fallor) compatriotæ ſui Virgilij Maronis diuiſit.Quarum vltimas duas in religione compoſuit,cæteras nondũ eam profeſſus,ita vt illic maiorem grauitatem,hic plures ſales inueniatis. Vtrobiq; autem vrbani leporis citrà ſuperefluentiam plurimùm, nam paſtorale decorum ſermoniſq; Bucolici tenuitatem audeam hic quam in Marone anxius obſeruatã dicere. Gramaticum eſt in omnibus genus, nam nuſquam loquitur auctor niſi paſtoralem aſſumpſerit perſonam, quam interdum ſub nomine Candidi aſſumit, ñec ab re,candida enim diuæ virginis chlamyde inſignitus, candidiſsimum conſpicitur habere animum, quia liuoris expertem, quod ex ea re coniectura conſequor,quod neminem lędere,neminiq; inuidere in tota poëſi deprehenditur, Verùm hæc aliâs. Qualitas igitur carminis eſt hexametra Bucolica, ſtylus gracilis Bucolicæ congruens. Perſonæ ferè ex argumẽto nomen ſortiuntur, vt in ſingulis aperiam. Intentio maiorem imitando ingenij

ſui

ſui periculum facere,& nunc ad honeſtũ amorem ſi cui coniugium placet cohortari, nunc ab inhoneſtis, nunc à pernicioſis, nunc à mulierum illecebris,nunc ab auaritia,nunc à cæteris vrbanorum vitijs dehortari. Nunc rurſus ad religionem, & ad diuæ virginis præconia, illiuſq; nomini dicatæ religionis priſcam obſeruationem cohortari, quæ decem Aeglogarum precipua farrago eſt. Vita auctoris celeberrima eſt, quia tamen viuit adhuc, Deũ precamini, Hunc vt fata virũ nobis ſtudijſq; piorum, Incolumen ſeruent, Tantum vos admonitos volui. Valete & ad iſta præclara vt ocepiſtis ſtudia incumbite, parentes colite, & me, ſi merui, redamate. Ex celeberrimo Parrhiſiorum Gymnaſio ſexto kalendas Apriles, Anno M.D. II.



BAPTI

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, ADOLESCENTIA in Aeglogas decem diuisa, ad Paridem Cæresarium:

ÆGLOGA PRIMA, DE HONESTO amore, & fœlici eius exitu.

Collocutores Faustus & Fortunatus.

Nomen Æglogę Faustus.

FORTVNATVS.



AVSTE precor, gelida quando pecus omne sub vmbra
Ruminat, antiquos paulùm recitemus amores,
Ne si fortè sopor nos occupet, vlla ferarum,
Quæ modò per segetes tacitè insidiantur adultas
Sæuiat in pecudes, melior vigilantia somno.
Hic locus, hæc eadem sub qua requiescimus arbor,
Scit quibus ingemui curis, quibus ignibus arsi
Antè ducs vel (ni memini malè) quatuor annos,
Sed tibi quando vacat, quando est iucunda relatu,
Historiam prima repetens ab origine pandam.
Hic ego dum sequerer primis armenta sub annis

Veste solo strata sedi, iacuiq; supinus
Cum gemitu & lachrymis mea tristia fata reuoluens
Nulla quies mihi dulcis erat, nullus labor ægro
Pectore sensus iners, & mens torpore sepulta
Vt stomachus languentis erat, quem nulla ciborum
Blandimenta mouent, quem nulla inuitat orexis
Carminis occiderat studium, iam nulla sonabat
Fistula disparibus calamis, odiosus & arcus
Funda odiosa, canes odiosi, odiosa volucrum
Præda, nucum calices cultro enucleare molestum,
Texere fiscellam iunco, vel vimine piscem
Fallere, scrutari nidos, certare palæstra
Sortiri digitis res iniucunda, voluptas
Magna prius, tanti dum mens erat inscia morbi
Colligere agrestes vuas & fragra perosus
Mœrebam vt pastu rediens philomela, cibumq;
Ore ferens natis, vacuo sua pignora nido
Cùm sublata videt, rostro cadit esca remisso,
Cor stupet, & contra nidos super arboris alta
Fronde sedet plorans infœlices Hymenęos,
Seu veluti amisso partu formosa iuuenca
Quæ postquàm latos altis mugitibus agros
Compleuit, residens pallenti sola sub vmbra
Gramina non carpit, nec fluminis attrahit vndam.
Sed quid circuitu pario tibi tædia longo?
Dum sequor ambages, & verba & tempora perdo,
Summa hæc, vitales auras inuitus agebam.
Quòd si fortè volens cognoscere, singula dicas,

Faust.

Fauste, quis in Syrtes auster te impegerat istas?
FAV. Me mea (verum etenim tibi Fortunate fatebor)
Me mea Galla suo sic circumuenerat ore,
Vt captam pedicis circumdat aranea muscam,
Namq; erat ore rubens & pleno turgida vultu,
Et quamuis oculo penè esset inutilis vno,
Cùm tamen illius faciem mirabar & annos
Dicebam Triuiæ formam nihil esse Dianæ.
FOR. Ludit amor sensus, oculos præstringit, & aufert.
Libertatem animi, & mira nos fascinat arte
Credo aliquis Dæmon subiens præcordia flammam
Concitet, & raptam tollat de cardine mentem
Nec Deus (vt perhibent) amor est, sed amator & error.
FAV. Adde q; optatis nec spes erat vlla potiri
Quamuis illa meo miserata faueret amori,
Monstraretq; suis oculis, ac nutibus ignes.
Nam quòcunq; isset, semper comes aspera semper
Nupta sequebatur soror, & durissima mater,
Sicq; repugnabant votis contraria vota.
Non secus ac muricatus, ille inuadere pernam
Nititur, hic rimas oculis obseruat acutis.
FOR. Qui satur est pleno laudat ieiunia ventre,
Et quem nulla premit sitis, est sitientibus asper.
FAV. Tempus erat curua segetes incidere falce,
Et latè albebant flauentibus hordea culmis,
Affuit (vt mos est) natis comitata duabus
Collectura parens, quæ præterit hordea messor.
Ignorabat enim vel dissimulabat amorem,

Dißimulasse puto, quoniam data munera natæ
Nouerat, exiguum leporem, gemmasq; palumbes.
FOR. *Pauperies inimica bonis est moribus, omne*
Labitur in vitium, culpæ scelerumq; ministra est.
FAV. *Farra legens ibat mea per vestigia virgo*
Nuda pedem, discincta sinum, spoliata lacertos
Vt decet æstatem quæ solibus ardet iniquis,
Tecta caput fronde intorta, quia sole perusta
Fusca fit, & voto facies non seruit amantum
Iam tergo vicina meo, lateriq; propinqua
Sponte mea delapsa manu frumenta legebat,
Nec celare suas, nec vincere fœmina curas
Nec differre potest, tantum leuitatis in illa est.
FOR. *Quisquis amat leuis est, nec fœmina sola, sed ip*
Quos sapere & præstare alijs mortalibus aiunt,
Quos operit latus fulgenti murice clauus,
Quos vidi elatos regali incedere passu,
Tu quoq; sic affectus eras dementior illa
Forsitan & leuior, virgo data farra legebat
Ac tu farra dabas, dic quæ dementia maior?
Perge, opus est verbis aliquando arcere soporem.
FAV. *Continuò aspiciens ægrè tulit aspera mater*
Et clamans, quò (dixit) abis? cur deseris agmen?
Galla veni, namq; hîc alnos propè, mitior vmbra,
Hic tremulas inter frondes immurmurat aura,
O inuisa meis vox auribus, ite (precabar)
Ite malam, venti celeres, dispergite vocem,
Si quis pastor oues ad pinguia pascua ducat,

Et vetet adductas presens decerpere gramen,
Vel si iam pastas potum compescat ad amnem,
Et sitibundo ori salientem deneget vndam,
Nonne importunus? naturæ inimicus & excors?
Illa mihi vox visa Iouis violentior ira,
Cum tonat, & pluuius terris irascitur aër.
Non potui & volui frontem non flectere, virgo
Demissi in cilium me sub velaminis ora
Aspiciens, motis blande subrisit ocellis.
Id cernens iterum natam vocat improba mater,
Galla operi magis intendens audire recusat,
Vt pede, sic animo sequitur, tum prouidus ipse
(Namque dolos inspirat amor, fraudesque ministrat)
Nunc cantum, nunc sollicitans clamore metent es
Velamenta dabam sceleri, quo credere possent
Et soror & mater non audiuisse puellam.
Falce repellebam sentes, ne crura sequentis
Leuia, ne teneras ausint offendere plantas.
FOR. Quisquis amat seruit, sequitur captiuus amantz
Fert domita ceruice iugum, fert verbera tergo
Dulcia, fert stimulos, trahit & bouis instar aratrum.
FAV. Tu quoque vt hinc video non es ignarus amorum
FOR. Id commune malum, semel insaniuimus omnes,
FAV. Hoc animi tam triste bonum, tam dulce venenũ
Quottidie crudele magis crescebat in horas,
Vt calor in nonam dum lux attollitur horam.
Pallebam attonito similis lymphaticus, amens,
Immemor, insomnis, nec erat res ardua morbi

Nosse genus, frons est animi mutabilis index
Vt pater aduertit, mitem se præbuit vltra
Consuetum, quod & ipse suos expertus, amorum
Sciret onus, blandoq; loquens humaniter ore
Dic (inquit) dic Fauste, quid hoc quod pectore voluis?
Infœlix puer, hæc facies testatur amorem
Dic mihi, ne pudeat curas aperire parenti.
FOR. Sit licet in natos facies austera parentum
AEqua tamen semper mens est & amica voluntas
FAV. Vt facilem pater affectum præ se tulit, vltrò
Rem confessus, opem petij: promisit, & antè
Quam brumale gelu borealibus arua pruinis
Spargeret, agnati vnanimes cum patre puellam,
Despondere mihi, nec adhuc sine testibus illi
Congrediebar, eram medio sitibundus in amne
Tantalus, ô quoties misso cum bobus aratro
Vt vacuis aliquando esset sola ædibus ibam.
Omnia causabar: stiuam, dentale, iugumq;
Lora iugi, rulla, deerant quæcunq; petebam
E soceri lare, sola tamen deerat mihi virgo
Non deeram mihi, piscator, venator & auceps
Factus eram, & solers studia intermissa resumpsi
Quicquid erat prædæ, quicquid fortuna tulisset
Ad soceros ibat, gener officiosus habebar.
Nocte semel media subeuntem limina furtim
(Sic etenim pactus fueram cum virgine) furem
Esse rati inuasere canes, ego protinus altam
Transiliens sæpem, vix ora latrantia fugi.

His tandem studijs hyemen transegimus illam
Verredijt, iam sylua viret, iam vinea frondet
Iam spicata ceres, iam cogitat hordea messor
Splendidulis iam nocte volant lampyrides alis
Ecce dies genialis adest, mihi ducitur vxor
Sed quid opus multis? nox expectata duobus
Venit & in portum vento ratis acta secundo est
Tum boue mactato gemina conuiuia luce
Sub patula instructis celebrauimus arbore mensis
Affuit œnophilus, multoq; solutus hiaccho
Tempestiua dedit toti spectacula vico
Et cum multifori tonius, cui tibia buxo
Tandem post epulas & pocula multicolorem
Ventriculum sumpsit, buccasq; inflare rubentes
Incipiens, oculos aperit, cilijsq; leuatis
Multotiensq; altis flatu à pulmonibus hausto
Vtrem implet, cupito vocem dat tibia presso
Nunc huc, nunc illuc digito saliente vocauit
Pinguibus à mensis iuuenes ad compita cantu
Saltidico, dulciq; diem certamine clausit.
Etiam tres hyemes abiere, & proximat estas
Quarta, dies rapidis (si qua est bona) præterit horis
Si qua placent abeunt, inimica tenatius herent.
FOR. Fauste viden'? vicina pecus vineta subintrat
Iam (ne forte graui mulcta taxemur) eundum est.

BAPTISTAE MAN-TVANI CARMELITAE, THEOLOGI: AEGLOGA SEcunda, quæ dicitur Fortunatus, de amoris inſania.

Collocutores Fauſtus & Fortunatus.

FAVSTVS.



VR tam ſerus ades, quid te (iam ſeptima lux eſt)
Detinuit? gregibus ne nocent hæc paſcua veſtris?
FOR. Fauſte Padus noſtros qui præterlabitur agros
Creuerat, & tumidis ripas æquauerat vndis,
Nos cura gregis omiſſa, priuata coëgit
Publicaq; vtilitas ripam munire diurnis
Nocturniſq; operis, fluuiumq; arcere furentem.
FAV. Fert Padus exundans mala ſępius omnia, noſter
Tityrus eſt auctor, qui paſcua dixit & arua.
FOR. Forſitan id verũ, quando extra tempora & vltra
Menſuram atq; modum ſubitò concreuerit æſtu
Nunc autem id poſcit tempus, nam liquitur altis
Nix hyberna iugis, implent caua flumina montes.
FAV. Se exonerãt, fluuioſq; onerãt, ſic flumina rurſum
Se exonerant, pelaguſq; onerant, hominũ quoq; morſ...
Quæ nos cunq; premunt, alieno imponere tergo.

FOR. S

FOR. Sed iam contractum reuocat suus alueus amnem
FAV. Decrescente Padlo(dictu mirabile)noster
Fortunate lacus maioribus æstuat vndis
Vrbs natat,obscuræ fiunt cellaria fossæ
Lyntre cades adeunt,labens ad vina minister
Ridet,& ex imis fertur grauis obba lacunis,
Multa(licet nati fuerint melioribus horis)
Multa & magna ferunt aliquando incommoda ciues:
FOR. Commoditas omnis sua fert incommoda secum
Et forti appendix est illætabilis omni.
FAV. Hactenus Eridanus,nostros repetamus amores
Quandoquidem nunc alma Venus mouet omnia,cœlum
Luce tepet nitida,tellus viret,arua volucres
Cantibus exhilarant vernis,nunc omnia fœtant.
FOR, Tu tua lusisti,sed nos aliena sequamur:
Namq; tibi noti referam pastoris amores
Vt doceam Veneris nihil esse potentius igne.
Pauper & infesto sub sydere natus Amyntas
Sex vitulos,totidemq; pares ætate iuuencas
Armentiq; patrem ducens in pascua taurum
Venerat ad coitum,nitidis vbi Mintius vndis
Alluit,herbosos fugiens perniciter agros.
Arx nona propter aquas pinnatis ardua muris
Est coitus,campo moles fundata palustri
Hic igitur recubans vitrei prope fluminis vndam,
Vitis vbi amplectens longis dumeta lacertis
In vada curuata ripæ supereminet vmbra.
Piscibus insidias tendebat harundine & hamo

Messis erat, solis rapidi violentia adustos
Prosciderat campos, finem philomela canendi
Fecerat, & neque lux passim morientibus herbis
Pascere oues poterat, neque nox humore cicadas
Dumq; incumbit aquis, studioq; intendit inani
Taurus (vt auditum est) primùm vexatus ab æstro,
Mox canibus, demum furaci à milite syluis
Abditus ex toto confestim euanuit agro.
Quod puer vt nouit, tumulum conscendit, & alta
Voce bouem clamans, longo rura omnia visu
Prospicit, vt frustra niti se comperit, arcum
Corripit & pharetram, sequiturq; per inuia taurum
Illum per caulas & per stabula omnia quærens
Per colles Benace tuos, per consita oliuis
Iugera, per virides ficis & vitibus agros
Venerat ad sublime iugum, quod sulphuris arcem
Sustinet & longis aperit prospectibus illinc
Benacum, hinc campos longè lateq; patentes.
Lux ea sacra fuit Petro, frondente sub vlmo
Mixta erat ex omni pubes post prandia vico
Ducebatq; lues buxo resonante choreas.
FAV. Rustica gens nulla genus arte domabile semper
Irrequietum animal, gaudet sudore, peracto
Manè sacro festa (quando omnibus ocia) luce
Ipsa oci ac famis impatiens epulatur, & implet
Ingluuiem, audito properat tibicine ad vlmum
Hic furit, hic saltu fertur bouis instar ad auras
Quam rastris versare nephas, & vomere terram

Calcibus obduris,& inerti mole fatigat
Acferit,& tota Baccho facit orgia luce
Vociferans,ridens, saliers,& pocula siccans.
FOR. Stulte quid hæc faris? solatia rustica damnas
Rusticus ipse,tuis malus es,tibi pessimus ipsi
Dictaioco fuerint,nostrum repetamus Amyntam
Continuit gressum,baculoq; innixus acerno
Intermisit iter,donec mitesceret æstus
Ah puer infœlix,æstus te maior in vmbra
Corripiet,nudam videas ne in fonte Dianam
Claude oculos,blandis neu des Syrenibus aurem,
Sors tua Narcisso similis,Narcissus in vndis
Dum sedare sitim properat,sitit amplius:at tu
Exteriorem æstum fugiens intrinsecus ardes.
(Quàm melius fuerat nisi te sic fata tulissent)
Ad reliquum rediisse pecus,seruasse iuuencas
Amissi bouis æquo animo dispendia ferre
Quàm dum conaris nil perdere,perdere teipsum
FAV. Sed post iacturam quis non sapit? vtile non est
Consilium post facta dari quod oportuit antè,
Consilium post facta,imber post tempora frugum.
FOR. Vna puellares inter pulcherrima turmas
Virgo erat alba comas,aliys procerior annos
Nata quater quinos vel circiter,ore nitenti
Vrbanis certare potens & vincere Nymphis
Aureolis radians guttis ad tempora limbus
Ibat,& ad pectus clausum velamen aheno
Clauiculo,mediam fulgenti fibula ferro

Stringit in augustum, noua candicat instita, lapsu
Linea rugoso, pedibusq; allabitur imis.
Hanc puer vt vidit, perijt, flammasq; tuendo
Hausit, & in pectus cœcos absorbuit ignes:
Ignes qui nec aquis perimi potuêre, nec vmbris
Diminui, neq; graminibus, magicisve susurris,
Oblitusq; greges & damna domestica, totus
Vritur & noctes in luctum expendit amaras.
Sæpè grauescentem verbis compescere flammam
Nixus, & insanum iuuenis cohibere furorem
Dicebam, miserande puer quis te Deus istas
Misit in ambages? sed non Deus, immo Sathanum
Peßimus, ex illis quos noctibus atq; diebus
Ter tribus in terras fama est ex æthere lapsos.
Dic age si nosti quenquam, reminiscere si quem
Videris hoc pacto ditescere, surgere in altum,
Dilatare domum, maioribus horrea aceruis
Complere his studijs, extendere latius agros,
Multiplicare greges, acquirere pascua bobus,
Inter tot populos quot habet latißima tellus.
Sunt qui nostra ferant mensis epulanda cruentis
Corpora, & humanos absumunt dentibus artus.
Sunt, inquam, quos tanta malis tot vexet Erynnis
Sed nullũ est tam immane genus, tam barbara mũ
Gens, quæ fœmineos non execretur amores.
Hinc veniunt rixæ, veniunt & iurgia, & arma:
Sæpè etiam diræ multo cum sanguine mortes:
Hinc quoq; deletis euersæ mœnibus vrbes:

Ipse etiam leges, rubrisq́; volumina loris
Clausa vetant scelus hoc, & detestantur amores.
Vt leges audiuit, ad hæc respondit Amyntas
Cuius enim fuerat puer, & versatus in vrbe.
His monitis prudens & circumspectus haberi
Niteris, & sensu tetricos anteire Catones.
Error hic, hæc paßim sapiens dementia regnat.
Ipse sibi blanditur homo solersq́; putari
Vult animal, tamen incautus sibi multa tetendit
Retia, & in foueam cecidit quam fecerat: antè
Liber erat, seruile iugum sibi condidit ipse.
Pondus id est legum (vidi ipse volumina) quas nec
Antiqui potuêre patres, nec possumus ipsi
Nec seruare ætas poterit ventura nepotum.
Aspice quàm stulta est hominum prudentia, cœlum
Sperat, & esse sibi sedem inter sydera credit,
Forsitan in volucrem moriens transibit, & altum
Spiritus assumptis tranabit ad æthera pennis.
Tunc ego, Quid latras? legum Deus auctor, & ipsis
Non parere, sapit magnam nimis impietatem.
FAV. *Grandia de magnis hæc sunt certamina rebus.*
FOR. *Quid fuerim reris? quamuis pannosus & asper*
Sim modò, tunc animo, tunc vi, tunc ore valebam,
Nec mihi sese alius poterat componere pastor.
FAV. *Nunc quoq; si rectus vultu gradiare supino,*
Alter eris Marius, raso ore videbere Carbo.
FOR. *Talia respondit sic obiurgatus Amyntas*
Facto homini Deus inuidit; concessa voluptas

Visa bonum nimis excellens, & vota repressit
Legibus inuentis, vt equi ligat ore capistro
Ne quocunque libet flectat vestigia sessor
Quę mea sit me cogit amor sententia fari
Liberaque ora facit, qui non communicat vsum
Coniugis inuidus est, liuorem excusat honestas
Introducta vsu longi liuoris iniquo.
Nam dum quisque sibi retinet sua gaudia, nec vult
Publica, communis mos ac longeuus honestas
Factus, & hunc morem fecit dementia legem:
Inuida res amor est, res inuidiosa voluptas
Tunc ego non audens hominem contendere contra
Amplius insano rediens ab amante recessi.
FAV. Cernis vt hic malus affectus, sic lumina mentis
Claudat in errores, vt sponte feramur apertos?
FOR. Cernis vt à summo liuentia nubila baldo
Se agglomerent? oritur grando, ne fortè vagantes
Tempestas deprendat oues, discedere tempus.



BAPTI-

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, AEGLOGA III.

quæ dicitur Amyntas, De insani amoris exitu infœlici.

Collocutores Faustus & Fortunatus.

FAVSTVS.



ILLA hesterna ruens Baldi de vertice grando
Fortunate fuit nobis innoxia, diuis
Gratia nostrarum quibus est custodia frugum
Sed veluti ex illis veniens ait Harculus oris
Veronensem agrum, pecudes & ouilia sic est
Demolita casas & pastoralia tecta
Sic euertit, vt agricolis spes nulla superſit,
Agricolis etenim pecus est substantia, & arua
His subiecta malis, grandi thesaurus in arca
Ciuibus est, quem nulla queat contundere grando,
Nulla pruina, gelu nullum, nullæ aëris iræ.
FOR. *Nescio quis ventos tempestatesq; gubernat,*
Id scio, sed neq; si scio, sat scio, sed tamen ausim
Dicere, quid? vita ne ideò mulctabor in ipsa?
Numina si vt perhibent, orbem moderantur ab alto,
Extimo nil duros hominum curare labores,
Aspice quo tenuem victum sudore paramus,

Quot

Quot mala pro grege,pro natis,pro coniuge pastor
Fert miser,infestis æstate caloribus ardet,
Frigoribus riget hybernis,dormimus ad imbrem
Cotibus in duris,vel humi,contagia mille,
Mille premunt morbi pecudes,discrimina mille
Sollicitant,latro insidias intentat ouili
Atq; lupus,milesq; lupo furacior omni
Vt manus aßiduo detrita incalluit vsu
Squaluit os,barba obriguit,cutis aruit æstu
Vna repentino rapit omnia turbine grando.
Hoc superi faciunt,quibus inclinamur ad aras
Et quibus offerimus faculas & cerea vota.
Nescio quæ pietas,& quæ clementia tantis
Cladibus inuoluat pastores omnium egenos.
FAV. Fortunate,scelus nobis hæc omnia nostrum
Ingerit,ætherei sententia iudicis æqua est.
FOR. Quod scelus?an fuimus Christi vitæ insidiati.
FAV. Iurgia,furta,iræ,Venus & mendacia,rixæ
FOR. Quid meruêre boni?nec enim scelus obruit o
Et tamen vna omnes pariter pessundat Erynnis.
FAV. Heu nescis,malè de superis sentire nefandu
His igitur,quæ scire nephas,nescire necesse est,
Posthabitis,curas iterum repetamus Amyntæ
Quas sumus experti,quas ignorare negatum est.
FOR. Res vulgaris amor,studium commune iuuen
Mœror & affectus alij de cardine mentem
Sæpè leuant,animo sermo venit æger ab ægro
FAV. Intellecta licet pro re,pro tempore fari

Sit habitus Cosmas sapiens, incognita nunquam.
FOR. Fauste sapis, notos igitur repetamus amores
Restat Amyntaeos postrema in fata furores
Ducere, & in misero lachrymas impendere casu
Praeteriens illac paruo post tempore, rursum
Insanire hominem video, & miseratus amantem
O iterum (dixi) mens inconsulta, veneno
Ebria fatali, populo iam fabula factus
Non resipiscis adhuc, & adhuc in amore sepultus
Teruis atq; tuos, pecus atq; mapalia tecum
Vt quondam moriens rapuit secum omnia Samson,
Cum senio curuatus eris (si fortè senectam
Fata tibi dederint) quis sustentabit inertem?
Somnolentum, inopem, cùm iam defecerit omne
Robur & ingenium, sensusq; recesserit omnis?
Haec tibi cuncta feret (nisi mors praeuenerit) aetas.
Esto domi, vigila, obserua, super omnia semper
Prospice quò tendas, & quò venisse dolendum est
Ire caue, discerne vias, hominemq; memento,
Non ad delitias, non ad muliebria natum
Blandimenta, leui tam perniciosa iuuentae
Ipse ego cui pecudes, cui lac, cui caseus, aegrè
Vitam ago, tanta agros omnes inuasit egestas
Tot duri rerum euentus, incommoda passim
Tanta tot aduersis totus conuoluitur orbis.
Accipe rem non auditam, non tempore factam
Praeterito, sed quam lux haec mihi protulit ipsi
Vt mos Autumno pecudes crescente totondi

Manè foro exposui lanæ venalia pondo
Sexaginta, hodiè grande æs conflare putabam
Vix vitam gregis eduxi, vix pabula possum
Mercari Hybernis niuibus, quo cætera pacto
Sit victura domus, nondum mihi constat Amynta,
Quisquis amat, dominæ munuscula mittat oportet,
Tu verò, cui vix tectum fortuna reliquit
Sub quo luce habitat, sub quo pernoctat egestas?
Quid poteris cupidæ gratum donare puellæ?
Mittere mala decem satis esse solebat amanti,
Purpurei flores, & raptus ab arbore nidus,
Gramen odoriferum, memini quo tempore magnæ
Credebantur opes: ventum est à gramine ad aurum
Regia res amor est: hac tempestate recessit
Mos vetus, & quædam mala lex inoleuit amandi.
Talia suadenti toruo mihi rettulit ore:
Si cupis optatam mihi, Fortunate, salutem,
Da quod amo, nostro hæc vna est medicina dolori,
Cætera quæ memoras mihi sunt tormenta, reuelli
Ex animo furor iste nequit, mea pectora imago
Virginis obsedit, mecum est, mecum itq; reditq;
Excubat, & dormit mecum, caput, ossa, medullas,
Cor complexa, potest cum sola excedere vita.
Ac veluti quoties aliena ex arbore secto
Surculus inseritur trunco, natura deorum
Iungitur, & mixto coalescit corpore virga:
Sic domina dilecta mihi se immersit imago,
Et fecit duo corda vnum, duo traxit in vnum

pector

Pectora, sensus inest nobis quoque spiritus idem.
O me felicem, si cùm mea fata vocabunt
In gremio dulcique sinu, niueisque lacertis
Saltem anima caput hoc languens abeunte iaceret,
Illa sua nobis morientia lumina dextra
Clauderet, & tristi fleret mea funera voce.
Siue ad fœlices vadam post funera campos,
Seu ferar ardentem rapidi Phlegetontis ad vndam,
Nec sine te fœlix ero, nec tecum miser vnquam
O Dryades, florumque Deæ, Nymphæque decentes,
O nemorum, Syluane, pater, seruate precamur
Collibus in vestris, gelidisque in vallibus omne
Syluarum rurisque decus, circundate saltus
Sepibus, & prohibete pecus, ne floribus obsit,
Illa precor dominæ seruate in funera nostræ.
Tunc omnis spargatur humus, redolentia serta
Texite, quæ circa tumulum supraque iacentem
Componantur heram, tristes ad busta puellæ
Pierides aderunt, & lamentabile carmen
Ore canent madido, signataque verba relinquent.
Ista sepulturæ relegenda nepotibus olim:
Hic tegitur virgo, cui nil quin diua vocari
Debuerit, deerat, nisi dura fuisset amanti.
O virgo si te tantus consumeret ardor,
Per centum Scyllas ad te, per mille Charybdes
Tranarem laturus opem, tu sæuior hydra
Me fugis. at culpæ nihil est in virgine: nam me
Nescit adhuc, si sciret enim succurreret vltrò.

Nec puto sub miti tam ferrea pectora vultu
Signa tamen vultus fallacia, sub cute molli
Mens fera, sub blanda sunt corda immania fronte:
Alloquar & faciam nostros intelligat ignes,
Si tamen illa meos vultus auerterit, ibunt
In lachrymas oculi, triste in suspiria pectus,
Oderit illa licet semper, fugiatq; sequentem,
Ista tamen quocunq; ferar, me cura sequetur.
Ite procul Medicæ, non sum sanabilis, artes:
Ite procul magico qui (quod nec credere dignum est)
Carmine pallentes animas reuocatis ab orco:
Ite procul vanis precibus qui flectere diuos
Creditis, aduersum est & inexorabile cœlum:
Me rapit impatiens furor, & iuuat ire per altos
Soliuagum montes, per lustra ignota ferarum.
Talia iactantem verbis conabar amicis
Flectere, sed vulnus nihil insanabile curat.
Illum per campos nox intempesta silentes,
Illum exorta dies inter dumeta videbat
Insomnem semper, raro syluestria poma
Carpentem, & potu contentum simplicis vndæ,
Post longos gemitus: exhaustaq; lumina fletu
Assiduo post lamenta & conuulsa frequenti
Pectora, singultu moriens finiuit amores.
Exanimum corpus tumuli sine honore relictum,
Nocturnæ absumpsêre feræ, volucresq; diurnæ.
FAV. *Heu funesta lues, fatalis machina passim*
Corda venenatis penetrans humana sagittis,

Aequiparans hominem pecudi: Quæ pocula Circe?
Quæ peiora vnquam potuit dare philtra Calypso?
Quæ Styx? quis Phlegeton grauior? quæ maior Erynnis?
O stulti quicunq; deum dixistis amorem:
Num natura nocens Deus est? vbicunq; locorum
Sit Deus, est homini clemens, innoxius, æquus.
FOR. Heu miserande puer, tenera sublate iuuenta
Quæ tibi nascenti luxerunt sydera? quæ tam
Noxia pars cœli est? vt te nil tale merentem
Læserit, & primis infortunârit ab annis,
Nec tamen omnino cœlum tibi defuit, omne
Carmen & argutis quicquid modulamur auenis
Doctus eras, nisi te mors immatura tulisset
Dignus eras hederis, dignus Parnasside lauro.
Nec melius cecinit pugnas ac tristia bella,
Hordea & agrorum cultus & pascua noster
Tityrus, à magno tantum dilectus Alexi.
Namq; tui præcox animi solertia nobis
Cognita iam pridem, magnam producere frugem
Cœperat, & specimen tulerat virtutis & artis
Non vulgare tuæ, poteras iam gloria dici
Ruris, & ætatis decus indelebile nostræ.
Te Padus & noster lugubri Mintius ore
Cum Nymphis fleuêre suis, vt Thracius Hebrus,
Orphea te tristes ouium fleuêre magistri,
Vt Daphnim luxisse ferunt, te pascua & agri
Vndiq; & audita est totis querimonia campis.
Spargite pastores tumulum redolentibus herbis,

Atque sacerdotum cantus, ac thura quotannis
Ducite, & æternam requiem cantate Poëtæ.
FA. Tu tamen arua tenes patriæ melioris, & altum
Incolis Elysium: Nos hic te flemus Amynta.
FO. Flendum hodie nobis fuerat: nam tristia nocte
Nescio quæ mœstis cernebam insomnia formis,
Sed iam vesper adest, & sol se in nube recondens
Dum cadit, agricolis vicinos nunciat imbres,
Cogere & ad caulas pecudes conuertere tempus.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI: AEGLOGA IIII. quæ dicitur Alphus, de natura mulierum.

Collocutores Alphus & Iannus.

ALPHVS.



ANNE caper (video) macer est [...]us, esse solebat
Acer, & elatis in cœlum cornibus ire[...]
Nunc deiectus humi, flaccis piger a[...]bus herbam
Olfa[...]

Olfacit,& summis attingit gramina labris.
IA. Languet,& ex isto languore facetia surgit.
Quæ quoties memini,risum ciet,ædita nondum est,
Edita cùm fuerit,totus mirabitur orbis.
AL. Ianne soles narrare sales lepidißime,& ore
Suauiloquo,dic ergò tuus cur langueat hircus?
IA. Res non ficta (Deus testis) sed facta recenter
At dulce id facinus non est narrabile gratis
Quid precij sperare licet? quæ dona reporto?
AL. Ianne vbi congeßit nidos philomela docebo.
IA. Qui leuiter spondet promisso eludit inani
AL. Qui non credit inops fidei, sed pignore tutum
Te faciam,duo tela mea deprome pharetra.
IA. Incipiam,Nymphæ Parnasides ora mouete,
Et memorate mei dira infortunia capri,
Ac philomenæos Alpho concedite nidos,
Conductus mercede puer præfectus ouili
Aßiduè pascebat oues,caprum atq; capellas.
Seruitium nobis pueri fuit vtile, donec
Virgine conspecta,quæ tum huc veniebat aquatum,
Tabuit,ex illo vecors iam tempore factus,
Frigidius curare gregem,contemnere caulas
Cœpit,& exhausto subuertere cuncta cerebro
Cùm sopitus erat,poterat vigil esse videri,
Nugabatur enim quando vigilabat,inerti
Corporis officio,soluebat somnia mente.
Hunc ergò in saltu ludens per cornua caprum
Viminibus validis inter dumeta ligârat

Atq; sacerdotum cantus, ac thura quotannis
Ducite, & æternam requiem cantate Poëtæ.
FA. Tu tamen arua tenes patriæ melioris, & altum
Incolis Elysium: Nos hîc te flemus Amynta.
FO. Flendum hodie nobis fuerat: nam tristia nocte
Nescio quæ mœstis cernebam insomnia formis,
Sed iam vesper adest, & sol se in nube recondens
Dum cadit, agricolis vicinos nunciat imbres,
Cogere & ad caulas pecudes conuertere tempus.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI: AEGLOGA IIII. quæ dicitur Alphus, de natura mulierum.

Collocutores Alphus & Iannus.

ALPHVS.



IANNE caper (video) macer est qui ocius, esse solebat
Acer, & elatis in cœlum cornibus ire,
Nunc deiectus humi, flaccis piger auribus herbam
Olfac-

Olfacit, & summis attingit gramina labris.
IA. Languet, & ex isto languore facecia surgit.
Quæ quoties memini, risum ciet, ædita nondum est,
Edita cùm fuerit, totus mirabitur orbis.
AL. Ianne soles narrare sales lepidissime, & ore
Suauiloquo, dic ergò tuus cur langueat hircus?
IA. Res non ficta (Deus testis) sed facta recenter
At dulce id facinus non est narrabile gratis
Quid precij sperare licet? quæ dona reporto?
AL. Ianne vbi congessit nidos philomela docebo.
IA. Qui leuiter spondet promisso eludit inani
AL. Qui non credit inops fidei, sed pignore tutum
Te faciam, duo tela mea deprome pharetra.
IA. Incipiam, Nymphæ Parnasides ora mouete,
Et memorate mei dira infortunia capri,
Ac philomenæos Alpho concedite nidos,
Conductus mercede puer præfectus ouili
Assiduè pascebat oues, caprum atq; capellas.
Seruitium nobis pueri fuit vtile, donec
Virgine conspecta, quæ tum huc veniebat aquatum,
Tabuit, ex illo vecors iam tempore factus,
Frigidius curare gregem, contemnere caulas
Cœpit, & exhausto subuertere cuncta cerebro
Cum sopitus erat, poterat vigil esse videri,
Nugabatur enim quando vigilabat, inerti
Corporis officio, soluebat somnia mente.
Hunc ergò in saltu ludens per cornua caprum
Viminibus validis inter dumeta ligârat

Quarta dies hodiè, tentans an vincula poßit
Vincere ceruice ac prædura robore frontis.
Quæsitum interea nidos nemus omne pererrat
Corda subit virgo, dilecta recogitat ora
Ora, sinus, & quæ fari pudor, omnia voluit
Lux fugit interea, capri redit immemor, alta
Nocte recordatus surgit, pauidusq; per vmbras
Dum graditur, ruit in foueam, quæ fronde saligna
Captandis obducta feris & stramine sicco
Instar erat putei, fundo irremeabilis alto,
Est caper in vinclis, puer est in carcere, pastor
Nullus oues curat. Iam tertia luxerat hora,
Miror, oues resero, ac numero, caprumq; requirens
Obstupeo, puerum clamo, magalia lustro,
Vera loquar, magicis ne fortè liquoribus vnctus
Extimui, ascenso migrasset in aëra capro
Nanq; stryges tali fama est ope, nocte vagantes
Ad quædam longinqua procul conuiuia ferri.
Attonitus tandem pecudes ad pascua duco,
Dumq; pedum meditans subeo nemus, ecce per vmbras
Ecce procul caper in dumis strepit, atq; reluctans
Cornibus aduersis contra sua vincula pugnat.
Terruit incautum subitò feralis imago,
Et nil tale ratum firmato pectore tandem
Nosco animal, subiensq; rubos seco vincula runca
Serò domum rediens, video per pascua longè
Turbam exultantem risu iuueniliter alto.
Vt propè constitimus, meq; agnouêre, salutant,

Et tuus ecce aiunt puer hîc ô Ianne luporum
Erutus è foueis, dum nocte perambulat agros
Incidit in casses, & sic inuentus vterq;
Et caper & pastor, caper hæc incommoda passus,
Languet adhuc, puer imprudens insanior hirco est.
Virgo superbiuit mox, vt se audiuit amari
Et pueri simulans curam ignorare, pudorem
Fingit vt ad formam faciat pudor, ora, sinumq;
Ornat, & in terram versis incedit ocellis.
Callida vulpina rem simplicitate gubernat:
Hæc studia, hi casses, hæc sunt mulieribus arma.
Ille sua sperans Galathea aliquando potiri,
Contempta mercede suos sectatur amores.
Propterea plaustro, stiua, bobusq; relictis,
Ad pastoris opus redeo, subiecta furori
Ista iuuentutis leuitas rura omnia vexat.
AL. Quod nequit ingenium, casus facit, ô stupor, ô sors
Ingeniosa, ô res risu celebranda bimestri.
Ianne vides seruanda, tibi Philomela laborat
Sed quod tam vafro memoras de virginis astu
Rettulit in mentem, quæ psallere sæpè solebat
Carmina fœmineis olim de fraudibus Vmber.
IA. Dic Vmbri, dic si quid habes: meditare parumper
Et verba & numeros, Vmbri est memorabile carmen.
AL. Est vt ais, sed non gratis memorabile carmen,
Quas referes grates? & quid mercedis habebo?
IA. Accipe, promißis absoluo & spicula reddo.
AL. Dum vado ad ventrem post hæc carecta leuandū

Ianne meum tu coge pecus, ne vitibus obsit.
IA. O aries, aries, qui tortis cornibus atrum
Dæmona præsentas, semper vineta subintras,
Non sapies donec fossa tibi lumina fronte
Eruero, non sunt porrecta in iugera centum
Pascua sat, nisi pampineos populeris & agros.
AL. Ianne recordatus redeo, sed plurima forsan
Nondum nota tibi referam, cognouerat Vmber,
Omnia quæ fas est homini perdiscere, cœlos,
Sydera, tellurem, ventos, mare, flumina, fontes,
Viderat & Rhodopen, atq; alta Ceraunia & Ossam
Gallica regna, Ararim, Rhodanū, Tyberimq́; Padumq́;
Attica Romanis referebat carmina verbis,
Ore vtroq; potens, & lingua primus vtraq;.
Hunc vnum nobis inuidit Græcia, & ipsi
Arcades, & Thracum saltus, & Thessala tempe,
Si quid erit quod forte velis tibi notius esse,
Candidus illius semper documenta sequutus
Non procul hinc, hæc ille tenet, nos ille docebit.
Sed iam septiforem flatu experiamur auenam
Ante tamen Nymphæ precor vt Libethrides adsint,
Præsertim quæ plus meminisse Polymnia fertur
Fœmineum seruile genus, crudele, superbum,
Lege, modo, ratione caret, confinia recti
Negligit, extremis gaudet, facit omnia voto
Præcipiti, vel lenta iacet, vel concita currit
Fœmina, semper hyems atq; intractabile frigus,
Aut canis ardentes contristat sydere terras,
Temp-

Temperiem nunquam, nunquam mediocria curat,
Velte ardenter amat, vel te capitaliter odit,
Si grauis est, mœret toruo nimis Hernica vultu,
Si studeat comis fieri, grauitate remissa,
Fit leuis, erumpit blando lasciuia risu
Et lepor in molli radiat meretricius ore,
Flet, ridet, sapit, insanit, formidat, & audet,
Vult non vult, secumq; sibi contraria pugnat,
Mobilis, inconstans, vaga, garrula, vana, bilinguis,
Imperiosa, minax, indignabunda, cruenta,
Improba, auara, rapax, querula, inuida, credula, mēdax,
Impatiens, onerosa, bibax, temeraria, mordax,
Ambitiosa, leuis, maga, lena, superstitiosa,
Desidiosa, vorax, ganeæ studiosa, palatum
Docta, salax, petulans, & dedita molliciei,
Dedita blandicijs, curandæ dedita formæ,
Iræ odijq; tenax, in idonea tempora differt
Vlciscendi animos, infida, ingrata, maligna,
Impetuosa, audax, fera, litigiosa, rebellis,
Exprobrat, excusat tragica sua crimina voce,
Murmurat, accendit rixas, nil fœdera pendit,
Ridet amicitias, curat sua commoda tantum,
Ludit, adulatur, defert, sale mordet amaro,
Seminat in vulgus nugas, auditaq; lingua
Auget, & ex humili tumulo producit Olympum,
Dissimulat, simulat, doctissima fingere causas,
Ordiriq; dolos, fraudiq; accommodat ora,
Ora omnes facili casus imitantia motu,

Non

Non potes insidias euadere, non potes astrum
Vincere, tanta artes, solertia tanta nocendi,
Et quanquam videas oculis præsentibus, audet
Excusare nephas, potis est eludere sensus
Sedulitate animi, nihil est quod credere possis.
Et nihil est quod non si vult te credere cogat,
His facient exempla fidem, quæ crimina non sunt
Fœminea tentata manu? dedit hostibus arcem,
Decepta ornatu brachi Tarpeia sinistri
Seuijt in natos manibus Medæa cruentis
Tyndaris Aegæas onerauit nauibus vndas,
Scylla hostem sequitur patri furata capillum,
Fratrem Biblis amat, subicit se Myrrha parenti,
Concubitus nati longæua Semiramis ardet,
Causa necis vati coniunx fuit Amphiarao,
Occidêre viros nocturnis Belides armis,
Orphea membratim Cicones secuêre poëtam,
Cognita luxuriæ petulantia Pasiphaëæ,
Phedra pudicitiam contrà crudeliter ausa est,
Decepit Iudæa virum Rebecca, suamq;
Progeniem velans hircino guttura tergo.
Porrigit Alcidæ coniunx fatale venenum,
Decipit Hippodame patrem, Lauinia Troes
Implicat ancipiti bello, Bryseis Achillem
Depulit è castris, demens Chryseide factus
Fulminat Artides, & sentit Apollinis iras,
Eua genus nostrum fœlicibus expulit aruis.
Credite pastores, per rustica Numina iuro,
Pascua si gregibus vestris innoxia vultis,

Si vobis ouium cura est, si deniq; vobis
Grata quies, pax, vita, leues prohibete puellas,
Pellanturq; procul vestris ab ouilibus omnes
Thestylis & Phyllis, Galathea, Neæra, Lycoris.
Dicite quæ tristem mulier descendit ad Orcum,
Et rediit? potuit si non male sana fuisset
Eurydice reuehi per quas descenderat vmbras.
Rapta sequi renuit fessam Proserpina matrem,
At pius Aeneas rediit, remeauit & Orpheus,
Maximus Alcides, & Theseus, & duo fratres
Vnus equis, alter pugnis, bonus atq; palæstra,
Et noster Deus (vnde salus & vita) resurgit,
Hæc sunt pastores, hæc sunt mysteria vobis
Aduertenda, animi fugiunt, obscœna viriles,
Fœmineas loca delectant infamia mentes,
Vt semel in scopulos vento contortus & vnda
Nauta scit incautis monstrare pericula nautis:
Sic senior longo factus prudentior vsu,
Præteritos meminit casus, aperitq; futuri
Temporis euentus, vitæq; pericula monstrat.
Si fugient aquilam fulicæ, si retia cerui,
Si agna lupum, si damma canem, muliebria cur non
Blandimenta fugis? tantum tibi noxia pastor?
Est in eis pietas Crocodili, astutia Hyenæ,
Cum flet & appellat te blandius, insidiatur.
Fœmineos pastor fugito (sunt retia) vultus,
Non animis, non virtuti, non viribus vllis
Fidito, non clypeo cuius munimine Perseus

Vidit

Vidit saxificæ colubros impunè Medusæ.
Monstra peremerunt multi, domuêre Gigantes,
Euertêre vrbes, legem imposuêre marinis
Fluctibus, impetui fluuiorum, & montibus aspris
Sacra coronârunt multos certamina, sed qui
Cuncta subegerunt sunt à muliere subacti,
Rex qui pastor erat, funda spolioq; leonis
Inclytus, & natus qui templa Sionia fecit
Primus, & excellens inuicto robore Samson,
Fœmineum subiêre iugum, minus officit ignis,
Saxa minus, romphea minus, minus hasta, minus mon
Nec formæ contenta suæ splendore decorem
Auget mille modis mulier, frontem ligat auro,
Purpurat arte genas, & collocat arte capillos,
Arte regit gressus, & lumina temperat arte,
Currit, vt in latebras ludens perducat amantem,
Vult dare, sed cupiens simplex & honesta videri,
Denegat & pugnat, sed vult super omnia vinci,
Fœmina Ceciaco (res mira) simillima vento est
Qui trahit expellens mendaci nubila flatu.
Quisquis es (expertus moneo) tentare recusa
Dum licet, hic fragilis quod habet fastidia sexus
Immundum natura animal, sed quæritur arte
Mundicies, id luce opus est, ea somnia nocte
Deglabrat, lauat & pingit, striat, vngit & ornat,
Tota dolus, tota ars, tota histrio, tota venenum
Consilio speculi gerit omnia, labra mouere
Discit, & inspecto vultum componere vitro.

Discit blandiri, discit ridere, iocari
Incedens humeros discit vibrare, natesq́,
Quid sibi vult nudum pectus? quid aperta supernè
Fimula, quæ bifidam deducit in vbera vallem?
Nempe nihil, nisi quò virus penetrabile sensum
Plus premat. & Stygiæ rapiant præcordia flammæ.
Hi iuuenum scopuli, Syrtes, Scylla atq. Charybdes,
Hæ immundæ Phinei volucres, quæ ventre soluto
Proluuie fœda thalamos, cœnacula, mensas,
Compita, templa, vias, agros, mare, flumina, montes
Inquinare solent: hæ sunt Phorcynides ore
Monstrifico, extremis Lybiæ quæ in finibus olim
Aspectu mutare homines in saxa solebant.
Carmina doctiloqui cursim recitauimus Vmbri,
Quæ si visa tibi nimium prolixa, memento
Ipsius id rei vitium, non carminis esse.
Non longum est carmen, mulierum amentia longa est.
IA. O memorande senex quo se vetus Vmbria tantū
Iactat, & ipse tuæ Tyberis conterminus vrbi.
Martia non ab re tantum te Roma vocabat
Ipsa tuas artes, & non triuialia norat
Carmina, te vita functum fleuêre Latinæ
Naiades & Graiæ, tua molliter ossa quiescant
Semper, & in summo mens aurea viuat Olympo.





BAPTIS-

BAPTISTAE MAN-
TVANI CARMELITAE,
THEOLOGI: AEGLOGA V.
quæ dicitur Candidus.

DE CONSVETVDINE DIVI-
tum erga Poëtas.

Collocutores Syluanus & Candidus.

SYLVANVS.



*ANDIDE nobiscum pecudes ali-
quando solebas
Pascere, & his gelidis calamos inflar
sub vmbris,
Et miscere sales simul & certare pa-
læstra.
Nunc autem quasi pastores, & rura perosus,
Pastua sopito fugis & trahis ocia cantu. (vacca
CAN. Vos quibus est res ampla domi, quibus vbera
Plena ferunt, quibus alba greges mulctraria comple-
Cymbia lecta niuent, & pinguia prandia fumant.
Carmina laudatis, si quid concinnius exit
Plauditis, ac læti placidas extenditis aures,
Pro numeris vanas laudes & inania verba
Redditis, interea pastor sitit, esurit, alget.
SYL. Nonne potes curare greges, & discere versus,*

Cic

Cùm vacat? & positis vitam traducere curis?
CAN. Omnem operam gregibus pastorem impendere
Ire, redire, lupos arcere, magalia sæpè (oportet,
Cingere, mercari paleas & pabula, victum
Quærere, nil superest oci, laudabile carmen
Omne operam, totumq; caput Syluane requirit,
Grande vtrunq; opus est, & nostris viribus impar,
Cum cecini sitio, sitienti pocula nemo
Porrigit, irrident alij, tibi penula dicunt
Candide trita, genu nudum, riget hispida barba,
Iam sylux implumes & hyems in montibus albet,
Irascor, doleo, indignor, fert omnia victus
Lanicium, fœtusq; mares, non vendimus agnas,
Sed quia lac pascunt, premitur nihil, vbera siccant
Pœnitet ingenij si quid mihi, pœnitet artis,
Pœnitet & vitæ, postquam mihi nulla secundant
Ex tot syderibus, quot sunt in nocte serena.
Hactenus (vt nosti) gratis cantauimus, ætas
Indigna paucorum merces fuit, altera longè
Conditio senij, quod nunc subit, omnium egenos
Reddit, & extinctis lucri spem viribus aufert,
Mox erit vtendum partis, modò quærere tempus.
En formica breuis, sed prouida bestia condit
In brumam noua farra cauis æstate latebris,
Ne ve renascantur fruges secatore sepultas.
SYL. Scire genethliacos fatalia sydera dicunt
Hi sub Mercurio vates, & sub Ioue reges,
Magnatesq; locant, istis dat Iuppiter aurum

Atq; magistratus, dat Maiæ filius illis
Ingenium, linguam, cytharas, & carminis artem,
Hæc tua sors, quid quæris opes? Deus omnia in omnes
Diuidit, vt melius nobis videt esse futurum.
Sorte tua contentus abi, sine cætera nobis.
CAN. Sunt tibi diuitiæ, mihi carmina, quid petis ergo
Carmen? & inuadis partes Syluane alienas?
SYL. Non tibi surripio carmen, nec Apollinis arma,
Sed dare dulcisonis aures concentibus opto.
CAN. Si gaudere meis igitur concentibus optas,
Nos gaudere tuis opibus Syluane decorum est.
SYL. Ille meis opibus gaudet qui diligit, odit
Inuidus, atq; animo bona fert aliena molesto.
CAN. Sic quoq; tu nostris absens gaudere Camœnis
Sat potes, hæc artis sat sint tibi gaudia nostræ,
Carmina sunt auris conuiuia, caseus oris,
Si cupis auditu, fac nos gaudere palato.
Hoc amor, hoc pietas, hoc vult Deus, omnia non dat
Omnibus, vt nemo sibi sit satis, indigeatq;
Alter ope alterius, quæ res coniungit in vnum
Omne genus, Gallos, Mauros, Italos & Iberos.
Sydera iungamus, facito mihi Iuppiter adsit
Et tibi Mercurius noster dabit omnia faxo,
Pileolum, virgam, cytharas, nodum Herculis, alas.
SYL. Vana superuacuis inculcas plurima verbis.
CAN. Vana, inquis, quæ damna tuis inferre videntur
Diuitijs. si vis nostras audire Camœnas
Erue sopitam de sollicitudine mentem,

Vult hilares animos, tranquillaq; pectora carmen.
Torpeo, vt esuriem patiens & frigora miluus,
Iam dudum squarrosa cutis, sitis occupat ora,
Nec pecus in stabulis, nec in agro farra, nec aurum
In loculis & vis positis me viuere curis?
Non facit ad nostros talis medicina dolores,
Fac alacrem, tege, pasce, graui succurre senectæ,
Inuenies promptum versu & cantare paratum.
Plena domus curas abigit, cellaria plena,
Plena penus, plenią; cadi, pleneq; lagenæ
Horrea plena, greges læti, grauis ære crumena
Tunc iuuat Hybernos noctu vigilare Decembres
Ante focum, & cineri ludos inarare bacillo,
Torrere, & tepidis tostas operire fauillis
Castaneas, plenoq; sitim restinguere vitro,
Fabellasq; inter nentes ridere puellas.
Tityrus (vt fama est) sub Mæcenate vetusto
Rura, boues & agros & Martia bella canebat
Altius, & magno pulsabat sydera cantu.
Eloquium fortuna dabat, nos debile vulgus
Pannosos, macie affectos, farragine pastos,
Aoniæ fugiunt Musæ, contemnit Apollo.
SYL. Si sperata mihi dederit fortuna quod opto,
Candide, præsenti te sollicitudine soluam.
CAN. O vtinam, Syluane, foret tibi tanta voluntas,
Quanta est hac etiam tibi tempestate facultas,
Non ego diuitias Cosmi, non serica posco
Pallia, non Tyrias chlamydes, non prandia regum,

Non patinam Aesopi fameo, clypeumve Mineruae,
Nil opus est regis laribus, cui ferrea nomen
Tradidit, aut si mens non fallitur aenea barba.
Haec me iam pridem memini didicisse sub Vmbro:
Postulo vestitum, peto victum sub lare paruo,
Certior istud opis toti non defore vitae.
Sint mihi Pythagorae mensae, Codriq; supellex.
Saepe alios qui spem dederint inuenimus ore
Magnificos, sed re modicos, tibi fidimus vni,
Tu mihi si fueris mendax, praeciditur omnis
Spes, vt solstitio fiam philomela reuerso
Mutus & elinguis, suspendere postibus arma
Tempus erit, clausoq; abigi spectacula circo.
SYL. Candide vidisti Romam, sanctiq; senatus
Pontifices? vbi tot vates, vbi copia rerum
Tantarum, facile est illis ditescere campis.
CAN. Deciperis me velle putans ditescere, vesci
Et lupus omne animal crudis existimat escis,
Tuq; putas alios quo tu pede claudere passum
Non ego ditari cupio, sed viuere paruo
Fac habeam tenuem sine sollicitudine victum.
Hoc contentus eam, Romana palatia vidi.
Sed quid Roma putas mihi proderit? ô Syluane,
Occidit Augustus nunquam rediturus ab Orco.
Sed quid Roma dabit? nugas dabit, accipit aurum,
Verba dat, heu Romae nunc sola pecunia regnat,
Exilium virtus patitur, sperare iubemur
Vndiq; & in toto vates spe pascitur orbe.

SYL. Dic pugnas, dic gesta virûm, dic prælia regum,
Vertere ad hos qui sceptra tenent, qui regna gubernant,
Inuenies qui te de sordibus eruat istis.
CAN. Inueniam qui me derideat & subsannet,
Tempestate ista reuerentia tanta poësi,
Quanta lupanari, quid me Syluane lacessis?
SYL. Non decet obscœnis vatem prorumpere verbis.
CAN. Non possum non vera loqui, si vera taceri
Forte velis, leuibus me parce lacessere dictis.
SYL. Vtile consilium præstare, lacessere non est.
CAN. Consilij locuples ego, sed pauperrimus auri
Qui pugnas, qui gesta virûm, qui prælia regum
Dicet inops vates, cui nec quo fistula possit
Aptius incidi, fieriq; foramina, culter
Aspice vt excussis laxata manubria clauis
Vt dentata acies, veteriq; simillima serræ,
Hoc leue, sed mensæ graue & intolerabile damnum,
Vtile consilium firmat, sed inutile mentem
Frangit, & extenuat vires, animumq; retundit,
Magnates dare parua pudet, dare magna recusant.
Adde quod & nostri curant ita carmina reges
Vt frondes aquilo, mare lybs, vineta pruinæ.
Ipsi ad delitias reges & ad ocia versi
Quod celebrant laudari optant, hinc carmina manant
Perdita de studio Veneris, de scurrilitate,
De ganea, de segnicie, de infamibus actis
Quæ castum capitale nephas celebrare poëtam:
At qui dura manu gesserunt bella potenti


Fortiter vtentes ferro, non molliter auro
Dilexêre graues Musas, heroica facta,
Qui faciunt reges heroica carmina laudant
Vt essêre viri fortes, & mascula virtus
Dicendum altiloqui nihil inuenêre poëtæ.
Occidit ingenium vatum, ruit alta poësis.
At si fortè aliquis regum gerit aspera bella,
Et decus armorum studijs belloq; parauit,
Nil genus externum, venturaq; secula curat
Laude suæ gentis satur & præsentibus annis.
Barbarus est, neq; carmen amat, vel auarus in auro
Mergitur, atq; Midæ curis flagrantibus ardet,
Est & apud reges rudis, inuida, rustica turba
Mimus, adulator, leno, assentator, adulter,
Histrio, scurra, quibus virtus odiosa poëtas,
Mille modis abigunt, vt quando cadauera corui
Inuenêre, fugant alias volucresq;, ferasq;
Sunt etiam vates quidam sine lege petulci,
Qui sine lege aliti, sine præceptoribus audent,
Quicquid amant reges, & amant infamia, solum
Scribere: Nam vates etiam dementia vexat,
Hi se nescio qua mentis leuitate poëtas
Esse volunt, postquàm triuialibus ora cicutis
Applicuêre, sibi applaudunt, sua carmina iactant
Insulsi, illepidi, indociles, improuidi, inepti,
Qui solet his vacuas præbere ambagibus aures,
Id vitium commune putat doctisq; resistit
Vatibus, à vero indoctus discernere falsum.

SYL. Candide per superos, per olympica numina iuro
Me tibi (si venti veniant ad vela secundi)
Laturum auxilium, meliora in tempora viue.
Nec paulisper adhuc mecum sperare recusa.
CAN. Si mihi sic optas, tibi sit Syluane quod optas.
SYL. Opto equidem, dictumque fides non sera sequetur.
CAN. Vade malis auibus nunquam rediturus, auare,
Et facias subito quicquid tractaueris aurum,
More Midæ, quando Virtus tibi vilior auro.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, AEGLOGA VI: quæ dicitur Cornix, De disceptatione rusticorum & ciuium.

Collocutores Cornix & Fulica.

CORNIX.



INGIT hyems, mugit Boreas, à culmine pendet
Stiria, depositis bobus requiescit arator,
Dormit humus, clauso pastor tunicatus ouili

Cessat iners, sedet ante Focum fumosa Neæra,
Atq; polenta coquit, prius intolerabilis æstas
Nunc laudatur, hyems æstu laudata modesto
Displicet, optatum damnat præsentia frigus.
FV. Omne bonum præsens minus est, sperata videntur
Magna, velut maius reddit distantia lumen.
COR. Delitias habet omne suas & gaudia tempus,
Aspice, vt impexi tritaq; in veste ligati
Cede Suum pueri exultant, inflatur in vtrem
Immissis vesica fabis, sonat & micat acta
Nunc pede, nunc cubito, stricto nunc obuia pugno,
Si cadit attollunt, cursu labor atq; recursu
Brumam abigit, glaciale gelu pila rustica vincit,
Nos tamen his melius tepido sub stramine foti
Transigimus tempus, dum lac coit igne recoctum.
FV. Pauperiem declarat hyems, improuida certè
Turba sumus iuuenes, securi æstate vagamur
Immemores hyemis, nostrum æs tibicinis omne est:
Vt redit è Scythia Boreas, nidosq; volucrum
Frondibus ostendit nudata cadentibus arbor
Frigemus nudi scapulas, dorsum, ilia, plantas,
Stulticiam declarat hyems, sapientius vrbes
Congeriem nummum accumulant, & ad ilia vulpes
Melotasq; trahunt, maculosaq; tergora lyncis.
COR. Desipiunt omnes, nec nos in crimine soli,
Immò ipsos vexat grauior dementia ciues,
Verùm illis mater, nobis Fortuna nouerca
Nos premit, infœlix sors est dementia, fac sim

Fortunatus, ero locuples, ero primus in vrbe,
Audiar, assurgent omnes, me vertice nudo
Vulgus adorabit, me plebs, me consulet omnis
Turba magistratus, etiam populusq; patresq;.
FVL. O Cornix, Cornix, non est fortuna, sed ipse
Quo sapiunt homines animus, fortuna potentem
Non facit, immò Deus, causam recitabat Amyntas.
COR. Est fortuna Deus, sed quid recitârit Amyntas
Dic precor, in causis erat ingeniosus & acer,
Antè tamen paulùm pecus & præsepia vise,
Vade, redi, calor est post frigora dulcior, ito.
FVL. Attingit nix alta genu, vix tecta resistunt
Tanto oneri, sublimis apex in vertice furni
Pyramidem fecit, metaq; assurgit acuta.
COR. Da pecori cordum, stipulisq; foramina claude
Si paries hiat, & rediens letamine muni
Limina, nulla gregi grauior quàm frigora pestis.
Iam ne ades? ob quæ nā hæc solito properantia maior?
FVL. Sollicitum me reddit hyems, in frigore & igni
Maxima strenuitas, fæno recubare calenti
Absconditq; cauo accubitu post frigora dulce est,
Incipe, & enarra discrimina ruris & vrbis.
FVL. Hoc igitur tantum ruris discrimen & vrbis,
Taliter exortum noster recitabat Amyntas,
Principio rerum, primaq; ab origine mundi,
Cum muliere marem sociali fœdere iungens
Celi Opifex (sic nanq; Deum appellabat Amyntas,
Nomen adhuc teneo) natos producere iussit,

Atq; modum docuit fieri, quo pignora possent
Accinxêre operi, mandata fideliter implent,
Sicq; vtinam de pomi esu seruata fuissent.
Fœmina fit mater, puerum parit atq; puellam,
Atq; puerperio simili fœcunda quotannis
Auxit in immensum generis primordia nostri.
Post tria lustra Deus rediit, dum pignora pectit
Fœmina, prospiciens venientem à limine vidit,
Adam aberat, securus oues pascebat, adulter
Nullus adhuc suspectus erat, sed multiplicatis
Connubiis fraudata fides, sine cornibus hirci
Facti & zelotypo coniunx suspecta marito:
Nam quæ quisq; facit, fieri sibi furta veretur.
Erubuit mater, nimiæq; libidinis ingens
Indicium ratatot natos, abscondere quosdam
Accelerat, fœno sepelit, paleisq; recondit.
Iamq; lares Deus ingressus, saluere penates
Iussit, & hæc dixit mulier tua pignora profer.
Fœmina maiores natu procedere mandat.
His Deus arrisit, velut arridere solemus
Exiguis auium pullis, paruis ve catellis.
Et primo lætatus ait, Cape regia sceptra,
Rex eris: at ferrum & belli dedit arma secundo.
Et Dux, inquit, eris, fasces populiq; secures
Protulit & vites & pila insignia Romæ.
Iamq; magistratus celebres partitus in omnem
Progeniem, humanos tacitus voluebat honores.
Interea mater rebus gauisa secundis

Euolat ad caulas, & quos absconderat vltrò
Protulit, hæc dicens nostri quoq; pignora ventris
Hos aliquo, Pater Omnipotens, dignabere dono.
Setosum albebat paleis caput, hæserat armis
Stramen, & antiquis quæ pendet aranea tectis.
Non arrisit eis, sed tristi turbidus ore
Vos fœnum, terram, & stipulas, Deus inquit, oletis,
Vester erit vomer, iuga vestra, agrestia vestra,
Vester erit stimulus, vester ligo, pastina vestra
Omnia, aratores eritis, pecorumq; magistri,
Fœnisecæ, solifossores, nautæ atq; bubulci.
Sed tamen ex vobis quosdam donabimus vrbe,
Qui sint fartores, lanij, lixæ, artocopiq;.
Et genus hoc alij soliti sordescere, semper
Sudare, & toto seruire prioribus æuo.
Taliter Omnipotens fatus, repetiuit Olympum.
Sic factum est seruile genus, sic ruris & vrbis
Inductum discrimen ait Mantous Amyntas.
COR. Mirabar si quid recti dixisset Amyntas,
Cuius erat, semper nobis vrbana iuuentus,
Cui nihil est, præter stulta hæc commenta negoci,
Ludit, in agrestes semper iaculantur, & vrbis
Talia garrulitas, & vaniloquentia fingit.
At neq; de superis pudet has componere nugas,
Iste iocus manifesta gerit conuicia secum,
Sed tu tam rudis es, tam pleno inflatus omaso,
Vt neq; perpendas isto te scommate carpi.
Nos quoq; paulisper mentem extendamus ad vrbis
Stulti-

Stulticiam, ne forte putes sapientius illos
Viuere, qui splendent auro, qui murice fulgent,
His oculis vidi tunicis plerosq; superbis
Vestiri, atq; foro regali incedere gressu,
Quos secreta fames premit, atq; domestica egestas.
Stultius his certè nihil est, opulentia ficta
Paupertas & segnicies, & inertia vitæ
Vera quid est aliud quàm desipientia vera?
Vidi etiam patres (ô rem indignam atq; nefandam)
Dum segnes dormire volunt, & viuere lautè
Prostituisse suas vulgo cum coniuge natas.
Quid peius? quid perfidius? quid stultius vnquam?
FVL. Quid si vitam alio nequeunt traducere pacto?
COR. Cùm totidem quot nos habeãt animasq; manusq;
Dic cur vitam alio nequeant traducere pacto?
Est etiam cuius vecors industria vanas
Quærat opes, vbi nullus opes inuenit ab æuo,
Aes lauat herbarum succis, & vertere in aurum
Aestimat, ac nigra semper fuligine pallet.
Est qui dum tellure latens desyderat aurum,
Dat magicis operam studijs, & tempora perdit.
Quid leuius? quid futilius? quid inanius vnquam?
Omnia ne veniant ad opus telluris & agri,
Omnia pertentant vt agant nihil, omnia versant,
Semper agunt, nunquam peragunt, ex fœnore victum
Infamem extorquent vi, fraude, dolisq; laborant,
Mille vijs opibus, mille insidiantur honori.
Nos capras & oues, armentaq; pascimus, illi

Accipitres, catulos & equos & cercopithecos.
Rusticus est ouium pastor, volucrumque canumque
Ciuis, vtrum melius te iudice nobiliusque
O Fulica? vtilitas vnde & opulentia maior?
FVL: Si venit ex nostris operis opulentia maior
Ciuibus vnde igitur tantarum copia rerum?
COR. Ex vi, fraude, dolis, vi, fraude, dolisque laborant
Nonne vides, insane, vt nos crudeliter vrgent?
Quo capiunt astu, nos irretire loquendo
Sacrum offerre putant, & opus sublime, piumque,
Huc aures oculosque adigunt, huc ora manusque.
FVL. Vnde vrbanarum tibi tanta peritia rerum?
COR. Hæc didici quondam ductis in mœnia capris
Cum lac vociferans ibam venale per vrbem
Mansi apud artocopum, sapiens & ad omnia promptus
Furta erat, & crudum ferro subradere panem.
Ipse vt erat mores vrbis doctissimus, ista
Tradidit, affirmans nihil esse nocentius vrbe,
Se quoque furari didicisse aiebat ab vrbe.
Sunt etiam qui parta ab auis patrimonia fundunt
In meretricum vsus, quid fœdius, improbiusque?
Dic vbi mechandi ars, homicidia, seditiones?
Nonne inter ciues atque intra mœnia regnant?
Quid reges, qui regna hominum per vulnera quærunt
In mortemque suos adigunt? quid pectora miles
Obijciens telis, per mille pericula vadens?
Pro stipe dat vitam, nulla est insania maior.
Gloria præfertur vitæ, quid gloria? quid laus?

Quid

Accipitres, catulos & equos & cercopithecos.
Rusticus est ouium pastor, volucrumque canumque
Ciuis, vtrum melius te iudice nobiliusque
Rustica? vtilitas vnde & opulentia maior?
FVL. Si venit ex nostris operis opulentia maior
Vrbibus vnde igitur tantarum copia rerum?
COR. Ex vi, fraude, dolis, vi, fraude, dolisque laborant
Nonne vides, insane, vt nos crudeliter vrgent?
Hoc capiunt astu, nos irretire loquendo
Verum offerre putant, & opus sublime, piumque,
Huc aures oculosque adigunt, huc ora manusque.
FVL. Vnde vrbanarum tibi tanta peritia rerum?
COR. Hæc didici quondam ductis in mœnia capris
Cum lac vociferans ibam venale per vrbem
Mansi apud artocopum, sapiens & ad omnia promptus
Curta erat, & crudum ferro subradere panem.
Is vt erat mores vrbis doctissimus, ista
Tradidit, affirmans nihil esse nocentius vrbe,
Hoc quoque furari didicisse aiebat ab vrbe.
Et etiam qui parta ab auis patrimonia fundunt
In meretricum vsus, quid fœdius, improbiusque?
Hic vbi mœchandi ars, homicidia, seditiones?
Nonne inter ciues atque intra mœnia regnant?
Quid reges, qui regna hominum per vulnera quærunt
Mortemque suos adigunt? quid pectora miles
Obiciens telis, per mille pericula vadens?
Pro stipe dat vitam, nulla est insania maior.
Gloria præfertur vitæ, quid gloria? quid laus?

Quid

Quid fama est? quid honor? voces & opinio vulgi,
Omnia longa dies abolet, cùm viuere cesses,
Omnia sic abeunt, vt lux cum sole recedit.
Qui mare sollicitant remis, cùm viuere possint
In patria stulti, vento qui credit & vndis
Stultus, diuitiæ cui sunt & negligit vti
Stultus, qui vt natis cumulet patrimonia, partis
Abstinet, & genium fraudat stultissimus, & qui
Quæ facere ipse potest, natis facienda relinquit.
Qui numerant stellas, & se comprendere fata
Posse putant, stulti, verùm dementior istis
Naturam quicunq; Dei scrutatur, & audet
Figere in immensam lumen tam debile lucem.
Nostra fides melior, cuius ratione coactus
Difficile assentit, nudis nos omnia verbis
Credimus, & plures faculas accendimus aris.
Ciuibus est infida fides, inquirere nunquam
Mente sinunt arcana Dei. si numina scire
Esset opus, poterant nobis se ostendere, verùm
Quando latêre volunt, quid vestigare necesse est?
Quæ nos scire negant ipsi qui cuncta gubernant.
Nostra etiam pietas pietate potentior vrbis,
Namq; viri qui sacra canunt templisq; ministrant,
Quanta legunt ruri paucis alimenta diebus?
Vidi ego quæsitas ex rure in mœnia plenis
Puppibus inferri (pietas ea rustica) fruges
Stultorum est aliud genus immedicabile quoddam,
Causidici, latratores, rabulæq; forenses
Num-

Nummorum aucupium docti, legumq́; tyranni.
Aere patrocinium vendunt, producere causas,
Et lites pendere diu, vindemia quædam est.
Sunt & equestre genus Medici qui tangere venas
Nonnunquam illicitas audent, & ponere quædam
Non intellectis temeraria nomina morbis.
His etsi tenebras palpant, est facta potestas
Excruciandi ægros, hominesq́; impunè necandi.
Qui verò in populis præsunt hominesq́; gubernant,
Quò plus iuris habent, quantoq́; licentia maior
Insanire solent tantò amplius, ô vbi sancti
Rectores, & Iusticiæ & pietatis amici?
Quos patres sero ante focum memorare solebant,
Omnia nunc abeunt pessum, spoliata queruntur
Templa, gemunt inopes, viduæ lachrymantur, & huius
Quænam causa mali? quia stat pro lege libido.
FL. Ista tua, ô Cornix, excandescentia fines
Transit honestatis, scelus omnibus obijcis omne,
Paucos habitare homines & in vrbe memento.
COR. Non habitant colubri quædam Balearibus arua
Proxima (non memini nomen) neq; noctua Cretam,
Nec nemus Aegeriæ sonipes, nec vir bonus vrbem.
FL. Vir bonus est animal rarum, paucasq́; per vrbes
Per rura locos habet, est rarissima Virtus.
COR. Insanis, Fulica, insanis, tot in vrbibus hostes
Sunt tibi quot ciues, hi nos tondentq́; pilantq́;,
Nulla habita nostri capitis ratione coarctant
Nos ad furta, ipsi mox ad suspendia mittunt,

Fen

Fas igitur si quid nostris sese vnguibus offert
Radere, & insidijs ac nostra indagine captos
Deplumare leui tactu, sensim & pedepressim
Si videt, excusa, si sunt secreta negato
Furta, quod occultum est non est iniuria furtum,
Quicquid habent, noster labor est, industria nostra est.
FVL. *Iam longe egrederis metam rationis & aequi.*
COR. *O Fulica improbitas vrbana coinquinat orbe[m]*
Vnde tot in terras veniunt aestate procellae,
Fulmina, venti, amnes, grando? vidisse recordor
Tellurem tremere, ac postes & tecta labare,
Solem obscurari, noctu obtenebrescere lunam.
Cur segeti lolium, messi dominantur auenae?
Vua in capreolos transit, caligine verni
Depereunt flores? mala parturit omnia nobis
Haec, ciuile nefas, pariet quoq; plura deinceps.
Vnde venit furor armorum? belliq; tumultus,
Qui genus omne mali secum vehit, omnibus vrbs est
Fons & origo malis, descendit ab vrbe Lycaon,
Deucalion Pyrrha cum coniuge rusticus, ille
Intulit illuuiem terris, hic abstulit, ille
Abstulit humanum terris genus, intulit iste,
Si terra (vt perhibent) flammis abolebitur, vnquam
Istud grande nefas vlla descendet ab vrbe.
FVL. *O Cornix iam pone modum sermonibus istis,*
Audio iamdudum pueros depulte loquentes.
Caetera si quicquam superest post prandia dices.
Pulti indulgendum monet vrbibus hora relictis.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, AEGLOGA VII.

quæ dicitur Pollux, De conuersione iuuenum ad religionem.

COLLOCVTORES ALPHVS ET GALBVLA, cum iam Auctor ad religionem adspiraret.

ALPHVS.



Albula quid sentis? Pollux doctissimus olim
Fistulicen, subitò quodam quasi numine tactus
Destituit calamos, tunicas, armenta, sodales
Bardocucullatus caput vt campestris alauda
Quattuor ante dies in relligiosa recessit
Claustra: ferunt illum pecudes dum solus in agris
Pasceret, effigiem quandam vidisse deorum,
Cætera non memini, sed tu quid Galbula sentis?
GAL. Vt dixêre patres iaciens primordia rerum
(Magna canam, nobis quæ quondam tradidit Vmber)
Instituit Deus agricolas, pecorisq; magistros,

Primus agri cultor rudis immansuetus & asper
Qualis humus, segnis, lapidosa, rebellis aratro.
Ast ouium primus pastor mitissima proles
Instar ouis quæ bile caret, quæ lacte redundat,
Mitis erat, nullis vnquam pastoribus asper.
De grege sæpe suo sacrum ponebat ad aras
Nunc oue, nunc pingui vitula faciebat, & agno
Sæpius, & magno diuos ambibat honore.
Sic profecit apud superos, sic numina flexit
Vt fuerit primo mundi nascentis ab ortu
Tempus ad hoc cœlo pecoris gratissima cura.
Assyrios quosdam (sed nescio nomina, curæ
Diminuunt animum) Deus ex pastoribus olim
Constituit reges, qui postea murice & auro
Conspicui, gentes bello domuêre superbas.
Cùm Paris Iliaca tria numina vidit in Ida
Aut Paris aut alius, puerum qui obtruncat ad ara
Pastor erat, quando cœlesti exterritus igne
Venit ad ostentum pedibus per pascua nudis,
Pastor erat Moses, Moses à flumine tractus
Exul apud Graios, Amphrysia pastor Apollo
Rura peragrauit posito Deitatis honore.
Cœlestes animi Christo ad præsepia nato
In caulis cecinêre Deum pastoribus ortum,
Et noua diuini partus miracula docti
Pastores primi natum vidêre Tonantem.
Et sua pastores infans regnator Olympi
Antè magos regésque dedit cunabula scire.

Sic quoq; pastorem Deus appellauit, ouesq;
Mitibus ingenijs homines, & mentibus æquis.
Et ne vana putes hæc somnia, nuper ab vrbe
Rus veniens, picto perlegi hæc omnia templo.
Sunt pecudes pictæ, parui sub matribus agni
Intellure cubant, ingens equitatus ab alto
Monte venit, radiant auro diademata diuûm
Et suspensa tenent vaga lumina prætereuntum.
Non igitur mirum noster si numina Pollux
Vidit, amant villas & oues & ouilia diui,
Simplicibus præsens Deus est, offenditur astu.
ALP. Vera refers, pecori sic sint innoxia nostrò
Pascua, vidi asinum, vidi presepe, bouemq;,
Iam memini turbæ venientis, & ora videre
Indica, iam videor regum sua dona ferentum.
Vnum oro, quæ nam Polluci occurrit imago
Galbula si nosti, ne sit labor omnia fari.
GAL. Et noui, & memorare libet, res digna relatu;
Res digna auditu, pia, sancta, imitabile factum,
Durus & immitis pater atq; superba nouerca
Pollucem grauiore iugo pressêre iuuentæ
Tempore, cùm dulces animos noua suggerit ætas;
Et cùm iam inualidæ longo sub pondere vires
Deficerent, nullaq; odium mansuesceret arte,
Constituit tentare fugam, res vna volentem
Ire diu tenuit, nimis impatienter amabat.
Error enim communis amor iuueniltbus annis.
Res est fortis amor, violentia fortior, iuit

Et tales abiens (mihi namq; solebat amores
Enarrare suos) mœsto dedit ore querelas:
O virgo lachrymæ ne tuis soluentur ocellis
Cùm te tam charo cernes ab amante relictam?
Vlla ne discessu duces suspiria nostro?
Tune mei crudelis eris forte immemor vnquam?
Vsq; adeò ne tuum poterit frigescere pectus?
Pectus quod toties tot lumina fletibus implet?
Tu ne trahes crebros gemitus, & pallida fies?
Cerno oculos cerno lachrymas, cerno anxia corda
Virginis, heu tantum qua dissimulare dolorem
Fas erit arte? dolor duplex mea pectora torquet
Illius atq; meus, sed fas mihi flere quod illi
Non licet, occultus longè magis æstuat ignis,
Incolumem mihi vos diui seruabitis illam,
Vt quando exilio repetam mea rura peracto,
Fiat amor fœlix saltem semel ante senectam.
Talia pergebat memorans, voluitq; reuerti,
Tantus amor iuuenem, vis tanta furoris agebat.
Sed iam iacta fuga cunctis erat alea nota
Fronde sub Herculea fessus mœrore sedebat,
Ecce puellari virgo stipata corona,
Ora, manus, oculos, habitumq; simillima Nympha
Et tali affata est puerum sermone dolentem:
Chare puer quò tendis iter? vestigia verte,
Nescis, heu nescis quò te via ducat, & audes
Ignotis errare locis, nihil insidiarum
Per campos ratus herbosos, nihil esse pericli

Omnis

Omnia tuta putas, & quod placet vtile credis
More iuuentutis Stolidæ, collectus in orbem
Sæpè latet molli coluber sub gramine vmbra.
Est facilè incautos offendere, paruulus infans
Innocuos rutilum digitos extendit in ignem,
Nec nisi iam læsus vires intelligit ignis.
Hæc regio intrantes aditu consueuit amœno
Fallere, delicias offert & gaudia, verùm
Ingressis cum triste nihil superesse putatur
Mille parat laqueos, & mille pericula profert.
Trames hic vt collem gressu superaueris illum
Ducit in vmbrosam syluam crudele ferarum
Hospitium, loca tetra situ & caligine opaca,
Quisquis eò deceptus abit, remeare vetatur
Et piceis primum velatur lumina vittis,
Deinde per omne nemus dumeta per aspera tractus,
Transit in effigiem monstri, dum voluere linguam
Atque loqui tentat, mugit, dum attollere sese
Credit, humi graditur quadrupes, neque suspicit astra
Ima tenebrosæ vallis lacus æquore nigro
Occupat, & nigris mons plurimus imminet vndis
Huc tracti in Stygios latices, altumque baratrum,
Præcipites dantur, rapidaque voragine mersi
In Styga & æternas Erebi rapiuntur in vmbras.
Heu quod pastores istis ambagibus acti
Cum gregibus periêre suis, ego sedula semper
Monstro iter, hic ad opem vigilo ind fessa ferendam:
Tolle moras igitur, mortis fuge blanda propinquæ

Atria, secreti tutam pede littoris oram
Qua contra Idalios fluctus mihi tollit in altum
Aëra Carmelus viridi caput arbore cinctum,
Primus hic antiquis patribus spelæa domosq;
Præbuit arboreas, intra nemus ilice densum
Ex hoc in vestros deducta cacumine montes
Relligio venit, sicut de fonte perenni
Flumina, & ex vno multi genitore nepotes.
Illius in sylvis abies vbi plurima surgit,
Pinguis vbi piceæ sudat liber & terebinthi.
Innocuum postquàm fœliciter egeris æuum
Mox tua mutatis ætas renouabitur annis,
In loca te tollam meliora, virentia semper,
Immortalis eris diuûm comes, ire per astra
Inter Hamadryades & Oreadas atq; Napæas
Flore coronatas caput & redolentibus herbis
Fas erit, ac super & subter cognoscere cœlos.
Sic effata leues virgo dis . essit in auras.
Tum sua iurauit Pollux mutata repentè
Pectora, & extemplò victum expirasse furorem.
Non aliter quàm flamma cadet si ardentibus agris
Effluat, & totas præceps Padus euomat vndas.
Sic abijt crudelis amor, qui sæpè pharetram
In iuuenem dum principijs obstaret amandi
Dum tepet ac timidè insanit, comsumserat omnem.
Sic igitur Pollux in claustra silentia venit.
ALP. Sunt quibus aspirent etiam nolentibus vltro
Sunt quibus infensi sine causa & crimine dij sint
GAL.

GAL. Quod nos in pecudes, in nos id iuris habent dij,
Horus scire sat est sapiant sublimius vrbes,
Sic docuit rediens aliquando ex vrbe sacerdos
Ianus & in magno dixit sibi codice lectum.
ALP. Sol cadit, & Baldi vix summa cacumina tãgit
Nos quoq; iam sero cum sole recedere tempus,
Galbula, sarcinulas ne sit tibi ferre molestum,
Pera leuis, leuis est & cantharus: omnia paruus
Ferre labor serò, graue manè, sed vtile pondus.
Ipse pecus ducam, mihi pars est ista laboris.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, AEGLOGA VIII. quæ dicitur Religio, De rusticorum religione.

COLLOCVTORES CANDIDVS & Alphus.

CANDIDVS.



ORRIDA solstitio tellus sitit, Alphe, reuerso,
Ad solitos montes, vbi ros in gramine, & æstas

Mitior, hæc armenta monet deducere tempus.
ALP. Aëreos montes & summa cacumina longè
Prospicio, quid sint montes (tibi vera fatebor)
Nescio, semper enim campestria rura, lacusq;
Incolui, montanus ager qua fruge redundat?
O rude & illepidum ingenium, prope flumina semper
Versatus fulicæ in morem, limosa per arua
Sunt vbi ranarum, culicum, pulicum, cimicumq;
Lustra, inter salices, vluas viridesq; papyros
Irridere audes, & nauci pendere montes?
Vnde fluunt amnes? templis vbi tanta locandis
Marmora cæduntur? fulgens vbi nascitur aurum?
Quæ parit antemnas tellus? medicamen ab herbis,
Dic quibus est nisi montanis? de vertice Baldi
Sæpe Melampodion legi, medicina capellis
Nulla magis præsens, quondam Valsasinus Aegon
Tradidit hoc, dum vere sues castraret & agnos,
Tradidit & dixit, Solus medicamen habeto.
Dic vbi castaneæ plures? vbi copia maior
Glandis, in excelsis fontes & pascua vidi
Montibus, artocreas & pingue polenta comedi,
Sunt populi fortes illic, robusta iuuentus,
Lata pedes, callosa humeros, neruosa lacertos,
Hispida, dura manus, moli indefessa ferendæ.
Vallibus ex illis onera vt naualia curet
Confluit huc, nullum est hominum genus aptius vrbi,
Siue velis castrare pecus, seu scindere phagos,
Siue fimum ferri è stabulis, haurire cloacas,

Latrinas curare, viamq́ aperire coactis
Sordibus, & scalis puteos descendere in altos
Ingenio callent, & duro robore pollent.
Sed quid opus multis? subeunt opus omne, popinis
Inseruire, focos lignis cumulare, veruq́
Artifici versare manu, dare libera fumo
Spiramenta, boum ventres ad flumina ferre
Verrere humum immundam scopis, doctissima gens est
Quodq́ magis miror, semper sub pondere currunt
Cotibus in duris oriuntur & ardua viuunt
Per iuga, cum capreis habitant speluncæ ferarum.
Adde quod in cœlum breuis est è montibus altis
Transitus, erectus caput vsq́ ad nubila tollunt
Nubila transcendunt aliqui, puto sydera tangant,
Esse locum memorant vbi surgit ab æquore Titan,
Qui (nisi dedidici) contingit vertice Lunam.
Et vixisse illic hominem, sed postea abactum
Improbitate gulæ, quod scilicet omnia poma
Manderet, & magno seruaret nulla Tonanti:
Hinc diui sanctiq́ patres in montibus altis
Delegêre domos tacitas, Carthusia testis
Carmelus, Garganus, Athos, Laureta, Lauerna,
Et Sina, Soractis apex, vmbrosaq́ vallis
Et iuga Nursini facto senis inclyta, & altis
Abietibus turrita caput Camaldula sanctum,
Cætera prætereo: nec enim sermonibus istis
Omnia complecti statuo, montana frequentant
Culmina cœlicolæ, sed anas & mergus & anser,

Ibis, onocrotalus, milui, fulicæq; paludes.
ALP. Inter montanæ tantos regionis honores
Cur de messe nihil, nihil est de palmite dictum?
Hæc tamen humanæ duo sustentacula vitæ
Maxima, monticulæ veniunt è rupibus ad nos,
Hordea mercatum torui, fuligine tincti
Setosi, macie affecti, laceri ac situosi,
Indiginæ ostendunt quæ sit natura locorum,
Sed quod montanis de relligionibus inquis
Rettulit in mentem quæ de Polluce feruntur,
Quæ dea, si nosti, visa est, quæ Candide Nympha?
Dic age nam ceptum certamen inutile nobis
Vtilior sermo de relligione tenendus.
CAN. Galbula qui solitus pecudes in pascua tecum
Ducere, te satis hoc potuit docuisse, quod optas.
ALP. Plura quidem Polluce super narrata, sed ipsa
Nec docuit Nympham, nec me quæsisse recordor
Nunc subijt mentem, cùm relligionis oborta est
Mentio, & illarum visa est mihi maxima laudum.
CAN. Non erat illa Dryas, neq; Libetris, nec Oreas
Venerat è cœlo superûm regina, Tonantis
Mater, anhelanti pacem latura iuuentæ,
Huic Tethys, huic alma Ceres famulantur, & ipse
Aeolus æquoreis ventos qui frenat in antris.
Hanc Deus astrorum flammas super, atq; volantes
Solis equos, suprà fulgentem Cassiopœam
Extulit, in sacram bisseno sydere frontem
Cinxit, & adiecit subter vestigia Lunam.

ALP. Ca

ALP. Candide mira canis, nullis pastoribus vnquam
Cognita, quid Tethys? quid fulgens Caßiopœa?
Aeolus aequoreis ventos quis frenat in antris?
Qui sunt soles equi? magna atq; ignota recenses.
CAN. Sydera sunt partim, partim sunt numina prisca,
Omnia quae Pollux mihi cùm narrasset, in aedem
Duxit, & ista sacer paries, ait, omnia monstrat.
Pictus erat paries signis & imagine multa,
Omnia non memini, mens est mihi debilis, ista
Vix tenui dum saepe animo voluo atq; reuoluo,
Saepe recordari medicamine fortius omni est:
Ista potest virgo depellere nubila caelo,
Ista potest siccis fluuios dare frugibus imbres,
Cùm volet, ista nouos duris emittere campis
Cùm volet, emissos poterit restringere fontes
Qui modò sunt steriles & nudi gramine campi,
Si volet, in pingues poterit conuertere glebas.
Frigida Saturni cùm sydera suspicit atro
Scorpius hospitio, non auferet hordea grando,
Nec domus ardebit, nam tunc haec omnia caelum
Dicitur iratis in terram effundere ab astris,
Si volet, haec nobis custodiet omnia virgo,
Si fauet haec nobis, complebunt horrea messes,
Adijcietq; gregi semper foetura gemellos,
Si pecus infoelix erit & sine vellere solo
Ipsa potest nutu dare vellera & agnos,
Et curare greges, omnemq; auertere morbum.
Nil opus est modò Pana sequi, neq; caetera ruris

Numina

Numina, quæ veteres frustrà coluiße feruntur.
Vidi circùm aram Nymphæ pendere capellas,
Plaustra, boues & oues, hic Iani vidimus hircum,
Et memini inscriptam versu hoc legiße tabellam:
Votum pro saluo Ianus breue reddidit hirco.
Dumq; ea perlegerem, Pollux hæc carmina supplex
Ante aram genibus positis in marmore, dixit,
O dea quæ seruas vrbes & rura, precamur
Ne Padus exundet, ne strix nocturna sugendo
Hauriat infantes, nec eant per compita, laruæ.
Diua faue agricolis, talpas occide malignam
Aggeribus pestem, gelidis sata læta pruinis
Quando bruma venit, conspergere diua memento.
Ne tineæ erodant anno frumenta sequenti,
A Boreæ flatu pingues defende mariscas,
A gruis ore fabas, & ab ansere farra palustri,
A serpente boues à vulpe & fure cohortem,
A bruco erucas, à bruma & grandine vites,
A vi & fraude lupi pecus, à rubigine fruges,
A rabie catulos, à flamma & fulmine villas,
A murum insidijs petasonem, à milite pernas,
A campe & pigris, pigris, heu cætera nescit
Mens oblita sequi, numerus me in verba reduxit,
Sæpius in numerum rediens obliuia forsan
Mente abigam retrogradior, numerumq; recurro
A murum insidijs petasonem, à milite pernas,
A campe, & pigris virides limacibus hortos.
Alphe viden' quæ vis numeri? iam cætera cerno,

Ait

A tonitru reboante casas, à frigore fœtas,
A grauibus vitulos œstris, à gutture porcos
Anginoso, operas pubes ne rustica perdat
Adsis ô Dea, nec lædant examina fuci,
Neu miluum ferentur aues, neu vellera sentes
Succida, neu lappas apprendat lana sequentes,
Diua gubernatrix hominum, custodia vatum
Diua laborantum requies medicina dolentum,
Et tutela gregum, nostris precor annue votis.
Talibus orabat Pollux, ego postibus hærens
In baculum pede porrecto recitata notabam
Altius, ac memori condebam singula mente.
AL. Candide Pollux pro sollicitudine tanta
Pro precis officio, pro relligione putasne
Dandum aliquid nobis, pietate peculia crescunt.
CAN. Quidni aliquid dandum est? opus est persoluere crates.
AL. Rusticus es, crates etenim pro gratibus inquis.
CAN. Crates & grates paruo discrimine distant,
Dandum aliquid, neu bis detur sine Pascha reuerti,
Quando sacerdotes commissa piacula soluunt.
AL. Quid dabimus? vituli grauis est iactura, vel agnū
Vel leporem pietas etiam laudabilis anser.
Dona locet tempus, lepores brumalia dona,
Quando niue hyberna currendi erepta facultas.
Anser ad autumni finem, nonasq; Kalendas
Pertinet, æstatis coryli, noua poma, racemi
Munera, lactantes hædi sunt veris & agni
Tunc si discordis aliquem conspexeris agrum,

Ac

Ac tenuem, qui nec vendi nec viuere possit,
(Munus erit solenne satis) donabimus agnum
Ipse mihi, cùm iam regredi post prandia vellem,
Carmina de Nymphæ solennibus eruta fastis
Tradidit, & dixit, si quando grauabere curis
Hæc cane, pro mentis medicamine carmen habeto.
Quando Molorchæo Titan descendit ab astro
Pronus, & Astræ giam limina virginis intrat
Virgine lætetur pubes & cana senectus,
Transijt ad superos, & Olympica regna petiuit
Ogdoas, vt toto iam tertia fluxerit orbe.
Festa dies iterum natalia virginis aras
Ignibus illustrant, offert noua liba sacerdos.
Libra redit, noctes properans æquare diebus,
Exultat Picenus ager, vehit Adria puppes,
Illyricas & Chaonias, cum mercibus adsunt
Thusci, Vmbri, Veneti, Siculi, Lauretica templa
Cum donis turmatim adeunt, votisq; solutis
In sublime iugum læti ad commertia tendunt.
Et cùm Thessalicas cursu breuiore sagittas
Sol subit, & frigent vrentibus arua pruinis
Clausa Gynæcei sacris penetralibus hausit
Corde Deum toto, proprios oblita parentes.
Et cùm semiferi fugiens Chironis ab arcu,
Languet ad hyberni glacialia limina capri;
Induat ornatas & mas & fœmina vestes,
Læticiaq; diem celebrent, quo semine sacro

Coniugis annosæ gauidam pater imbuit aluum.
Illa dies etenim sanctæ primordia Nymphæ
Fecit,& in nostras vetuit descendere sordes.
Cum volat imbriferam lampas Phœbæa sub vrna
Ad vernos reditura dies, iam proxima veri,
Ite nurus omnes, sacros altaribus ignes,
Thura focis, faculas manibus date, ducite pompam.
Attulit in templum noua dona puerpera virgo.
Quando gregis princeps aurato vellere fulgens
Incipiet zephyris aperire tepentibus annum,
Et dare maiores luci quàm noctibus horas,
Aliger occultam redeat Paranymphus in ædem;
Et noua miranti referat mandata puellæ,
Festa dies Thuscis populos de collibus omnes
Cogit & Arnicolas vocat ad florentia templa.
Tum quoq; sub tenui virgo prius interuallo
Nupsit,& hæc teneris lux est celebranda puellis;
Quando sub extrema cancri testudine Phœbus
Voluitur,& reuehit vicina Canicula morbos,
Thure piam celebrate diem, redit hospida mater:
In proprios à matre lares altaria circum
Primitias Cereris geminæ suspendite matri.
Hæc dedit Pollux, vigilans quæ in montibus olim
Fecerat ad pecudum caulas, dum nocte serena
Militiam cœli, sparsosq; examinat ignes,
Hæc quoq; plura dedit, sed carmina plura referri
Non sinit extremum deponens vespera solem.

BAPTI-

BAPTISTAE MAN-TVANI CARMELITAE, THEOLOGI, AEGLOGA IX.

Quæ dicitur Falco. De moribus curiæ Romanæ.

COLLOCVTORES FAVSTVLVS ET CANdidus, post religionis ingressum.

FAVSTVLVS.



Andide quo casu patrijs procul actus ab oris
Hæc in rura venis? hic pascua nulla, nec amnes,
Nec liquidi fontes, nec ouilia rura, nec vmbra,
Et tamen aßiduos gregis hæc pascuntur in vsus.
CAN. Faustule, me noster Corydon (qui plurima quōdam
His armenta locis habuit, magnamq́; peculi
Congeriem fecit) pecori me credere adegit
Esse salutares istis in montibus herbas.
At postquàm segnes agros & inertia saxa
Vidimus, & siccis arentem fontibus vndam,
Pœnituit longæq́; viæ patriæq́; relictæ.
FAV. Postquàm te incolumem saltos intrare Latinos
Contigit, antiqui potes hæc mea tecta subire,

iur-

Iure sodalitij, sunt hic mihi pauperis agri.
Iugera pauca, meæ vix sufficientia vitæ,
Quicquid id est, commune puta, tibi forsitan vlla
Prospera sors aderit, fortuna simillima vento est.
Caricee succede casæ, dum præterit æstus,
Dum grex in gelida procumbens ruminat vmbra.
Pone pedum, discumbe parum, recreabere potu,
Potu opus est, potu iste grauis compescitur æstus,
Pocula prende, fluet melius post pocula sermo.
CAN. Pocula quis tanta demens æstate recuset?
FAV. Vina sitim minuunt, animiq; doloribus obstant,
Vina vt amicitias, vires ita corporis augent.
CAN. Hæc paritora bonos (si patria vina) racemos.
FAV. Funde iterum, potare semel gustare, secundus
Colluit os potus, calefacta refrigerat ora
Tertius, arma siti, bellumq; indicere quartus
Aggreditur, quintus pugnat, victoria sexti est,
Septimus (Oenophili senis hæc doctrina) triumphat.
CAN. Res est consilijs secura fidelibus vti,
Vtile doctrinis præbere senilibus aures.
Victa sitis, mens ægra manet, curæq; supersunt.
FAV. Vt sedata sitis, sic mens sedabitur ægra,
Funde merum, bibe, cardiaco medicina dolori hæc,
Vitur ad curas isto medicamine Roma.
CAN. Omne opus atq; labor vult interualla, quiescat
Obba parum, contra muscas impone tabellam,
Non madet imbre dies, nec habet nox humida rorem,
Crescere nec duris possunt in cotibus herbæ,

Importuna fames, labor improbus, aëris ardor
Confe ère gregem macie, vix debile corpus
Spiritus æger agit, vacua cute porrigit ossa
Clunis, & exilis caua contrahit ilia venter.
Hic aries, qui fronte lupos cornuq; petebat,
Nunc oue debilior, pauidoq; fugacior agno est.
Hæc mihi (sed nimium me ardentia vota ferebant)
Omnia diuino prædixerat omine cornix.
Vix egressus eram limen, cùm tristia portans
Auguria à dextra venit, tectiq; sinistræ
Culmine consedit, pressoq; minaciter ore
Vociferans, iter auspicio prohibebat aperto.
Heu pecus infœlix, quod lacte & prole solebas
Affluere in nostris, licuit dum pascere campis,
Gramina dum quæris, succi plus perdis eundo,
Quàm referas pastu, simul hîc tabescimus ambo,
Tu tenui victu, curis ego victus amaris.
O nostræ regionis opes, ô florida prata,
O campi virides, ô pascua læta, feraxq;
Et nunquam sine fruge solum, currentia passim
Flumina per villas, riui per rura per hortos,
Hinc pecus, hinc agri pingues, sub sydere cancri
Cùm tritura sonat passim, cùm Iulius ardet
Arua virent, texta lento de vimine sæpes
Poma ferunt, redolent ipsis in vepribus herbæ,
O nemorum dulces vmbræ mollesq; susurri
Quos tecum memini gelidis carpsisse sub vmbris
Turturis ad gemitus, ad hirundinis ac philomelæ

Carmina: Cùm primis resonant arbusta cicadis
Aura strepens folijs nemorum veniebat ab Euro,
Et baccata super tendebat brachia cornus.
Ipse solo recubans pecudes gestire videbam,
Atq; alacres teneris luctari cornibus agnos,
Post somnos per gramen humi nunc ore supino
Aut flatu implebam calamos, aut voce canebam,
Pectore nunc prono rutilantia fraga legebam.
FAV. Vivere tum fœlix poteras, diciq; beatus,
Sed bona, q; nondum fueras expertus acerbam,
Vilis erat tibi, teq; ideo fortuna reliquit.
Quando iterum veniet (veniet si forsitan vnquam)
Sicut capreolis sursum nitentibus hærent
Stipitibus vites, stringuntq; tenaciter vlmos,
Sic illam tu prende manu, neu desere prensam,
It, redit, effigiem mutat, nec imagine constat,
Par lamijs, quas nocte ferunt errare per vmbras
Mobilis, vt facies, ita mens deludere gaudens
Quod dederat tollit, pensi nihil, omnia casu
Qui nimium metuunt sapiunt ve, repellit & odit.
CAN. Delitias patrij quotiens reminiscimur agri,
Ferre tot ærumnas animo non possumus æquo.
Sed quò mente feror? casu afflictatus acerbo
Vnde magis crucier? fœlicia tempora voluo:
Maius adest, florent vites, humilesq; genistæ,
Iam spicata seges, malus iam Punica multo
Flore rubet, redolent sæpes albente sabuco
In patria per rura Padi, per pascua Minti.

Hîc verò nec dum incipiunt pubescere montes,
Quòd si vere solum torpet, quid frigora brumæ
Solstitium'q́ feret? gelidis cùm terra pruinis
Albicat, & rapido cùm cœlum incanduit æstu?
Sunt tamen hîc armenta quibus cutis vuida, ceruix
Non signata iugis, gemino frons ardua cornu,
Luxurians'q́ toris pectus, nisi pabula carpant,
Non erit hac tanta humectum pinguedine corpus.
FAV. Hæc armenta quibus caput à tellure leuatur
Altius, & cui sunt longa internodia crurum
Cuncta vorant, herbas primùm, mox ore supino
Arboreas frondes, summaq́ cacumina syluæ.
Hoc imbelle pecus quod humi nascentia tantum
Gramina decerpit, vacuis ieiunat in aruis.
CAN. Quid verbis opus est? cūctis animātibus vna
Conditio, semper maiora minoribus obsunt:
Agna lupo, mites aquilis sunt præda columbæ,
Innocuos delphin venatur in æquore pisces.
Vndè fit hoc? certè res prodigiosa videtur,
Hæc loca si procul hinc videas è rupibus altis,
Pingue solum, & multo vestitum gramine dicas.
Quò magis appropias, tantò magis omnia sordent.
Hoc est Roma viris, auibus quod noctua, trunco
Insidet, & tanquam volucrum regina superbis
Nutibus à longe plebem vocat, inscia fraudis
Turba coit, grandes oculos mirantur & aures,
Turpe caput, rostriq́ minacis acumen aduncum
Dumq́ super virgulta agili leuitate feruntur,

Nunc huc, nunc illuc, alijs vestigia filum
Illaqueat, retinent alias lita vimina visco,
Prædaq; sunt omnes verubus torrenda salignis.
O bellum hoc poterit dici nihil aptius vnquam,
Sed procul en coluber tortos in puluere gressus
Flectit, & exertis sitiens ferit aëra linguis.
Candide quæ moneo memori sub pectore serua,
Quando inter syluas graderis, defende galero
Lumina, nanq; rubi prætendunt spicula longis
Dentibus, & curuus discerpit pallia mucro,
Nec depone pedum, multaq; armare memento
Cotesinum, ne te subitò nouus opprimat hostis.
Et perone pedem tegito, spineta colubris
Plena, hominum vita morsu insidiantur amaro,
Et nunc longa dies æstu facit acre venenum.
Mille lupi, totidem vulpes in vallibus istis
Lustra tenent, & (quod dirum ac mirabile dictum est)
Ipse, homines (huius tanta est violentia cœli)
Sæpè lupi effigiem moresq; assumere, vidi,
Inq; suum sæuire gregem, multaq; madere
Cæde sui pecoris, factum vicinia ridet,
Nec scelus exhorret, nec talibus obuiat ausis.
Sæpè etiam miris apparent monstra figuris,
Quæ tellus affecta malis influxibus ædit,
Sæpè canes tantam in rabiem vertuntur, vt ipsos
Vincant cæde lupos, & qui tutela fuerunt
Hostiles ineunt animos, & ouilia mactant.
Fama est Aegyptum coluisse animalia quædam,

Et pro numinibus multas habuisse ferarum.
Ista superstitio minor est quàm nostra, ferarum
Hic aras habet omne genus, contraria certè
Naturæ res atq; Deo, qui dicitur olim
Præposuisse hominem cunctis animantibus vnum.
Sæpè etiam morbosa æstas, & pestifer annus
Ingruit, & paßim languens pecus omne per arua
Sternitur, extinctæ dum balat ad vbera matris,
Agnus obit, moritur duro sub pondere taurus,
Nec modus est morbo, non est medicina veneno,
Sed vicina domus vicino à limine mortem
H urit, & aßiduè sumunt contagia vires.
Ista feras rarò pestis rapit, vtile semper
Fert pecus, extinctas caulas epulantur atroci
Dente lupi, nostraq; feræ iactura opulescunt.
CAN. Heu heu quā præceps, miserū me, insania trax
Credere fallaci grauis est dementia famæ.
Romuleos colles, Tyberim, Romanaq; tecta
Audieram, & studio mens est accensa videndi,
Ducendiq; bonis in tot præstantibus æuum.
Acceßi cum parte gregis, tentoria demens
Totum penè larem cum pastoralibus armis
Trans iuga summa tuli, mulctralia, cymbia, ahena,
Et cacabos, & quo formatur caseus orbem
Phagineum, impensam atq; operas amisimus omnes.
Quid faciam? quò me vertam? sperata negantur
Pabula, tot casus, tot vbiq; pericula, cogor
In veteres remeare casas, & cœpta fateri

Con-

Consiliis egressa malis, iterumq; per æstus
Et montana pati longos per saxa labores.
Heu pecus infœlix, ô læuo sydere pastor
Hic aucte, fuit multò præstantius istud
Ignorasse solum, patrioq; in limine tutos
Consumsisse dies, gelidis senuisse sub antris
Atq; Padi circùm ripas, Athesisve per agros
Aut vbi per virides campos & pascua nota
Mincius it, vel quà vitreo natat Abdua cursu
Consedisse, gregem pauisse salubribus herbis.
FAV. Te tua credulitas, & me mea fallit in horas,
Vidi ego supremæ qui prosperitatis habebant
Culmina, dum laudata petunt, cecidisse, nec vnquam
Emersisse malis: facit experientia cautos,
Hi prius explorant, & non laudata sequuntur
Omnia, laude carent quæ sunt meliora, fuerunt,
Non nego, quæ famam retinent, ac nomina seruant.
Cuncta suis pollent viribus, Luna, Adria, Troia,
Saluia, quas nobis memorabat sæpius Vmber,
Nomine sunt solo, deleuit cætera tempus.
Si minor est patriæ forsan modò gloria nostræ,
Res tamen est melior, laudatæ gloria Romæ
Quanta sit, in toto non est qui nesciat orbe.
Fama quidem manet, vtilitas antiqua recessit,
Illi prisca quibus maduerunt pascua fontes
Nunc humore carent, venis aqua defuit haustis,
Nulla pluit nubes, Tyberis non irrigat agros.
Tempus aquæ ductus veteres contriuit & arcus,

Et castella ruunt, procul hinc procul ite capellæ,
Hic ieiuna fames, & languida regnat egestas.
Hic tamen vt fama est, & nos quoq; vidimus ipsi,
Pastor adest, quadam ducens ex alite nomen,
Lanigeri pecoris diues, ditißimus agri
Carmine qui priscos vates atq; Orphea vincat,
(Orphea qui traxit syluas & saxa canendo)
Hic alios omni tantum virtute Latinos
Exuperat, quantum Tyberim Padus, Abdua Macram
Lenta salix iuncum, tribulos rosa, populus algam,
Credimus hunc illi similem, cui Tytirus olim
Bissenos fumare dies altaria fecit.
Hic ouium custos, ipso vigilantior Argo,
Daphnide nec solum, sed eo, qui dicitur olim,
Admeti pauisse greges per Thessala rura,
Doctior, omne pecus Solymi curare magistri
Dignus, & antiquo dignus succedere patri,
Qui fuit Assyrij pecoris post retia pastor.
Iste potest seruare gregem, depellere morbos,
Humectare solum, dare pascua, soluere fontes,
Conciliare Iouem, fures arcere, lupósq́;
Si fauet iste, mane, quòd si negat iste fauorem,
Candide coge pecus, melioraq́; pascua quære.





BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, AEGLOGA X. QVAE dicitur Bembus, De fratrum obseruantium & non obseruantium controuersia.

COLLOCVTORES CANDIDVS, Bembus, Batrachus & Myrmix, post religionis ingressum.

CANDIDVS.



AXIMA pastores agitat discordia, Bembe,
Qui Solymos colles, Galilæaq; rura colebant,
Batrachus hinc, Myrmix illinc certare parati
Iudice te paucis, si non audire recusas,
Et nisi te reuocant maiora negocia, dicent.
Tu pater es vatum, tu scis componere lites,
Iurgiaq; & blandis conuicia tollere verbis.
Te quoq; Pierios fama est potasse liquores,
Et vidisse Deas, quibus est custodia sacri
Fontis, & Eurotæ campos ac Phocidis arua,
Ipse, vbi fronde sua tibi tempora cinxit, Apollo
Dona dedit cytharam, neruos & eburnea plectra.

 BEM. Dici-

BEM. Dicite quandoquidē tepidos admouit ad ignes
Nos hyberna dies, dum non finit ire per agros
Bruma gregem, flatu Boreas dum sæuit acuto,
Dum riget omne solum, tectis dum plurima pendet
Stiria, dum torpent sub aquis glacialibus amnes,
Ocia damnantur, quæ nulla negocia tractant.
MYR. Pastores genus infœlix æstate vagamur
Pro grege solliciti, sed nos cùm frigidus imber
Continet in stabulis, lites & iurgia surgunt.
BATR. Qui veteres audent ritus mutare, suoq;
Arbitrio, & nullis ducunt sub legibus æuum,
Hi sunt, ô Myrmix, qui bella domestica gignunt.
BEM. De veteri ritu, de consuetudine patrum
Rixa igitur vobis? leges moresq; parentum,
Batrache dic, dic cur nostrum venistis in orbem
Ex Phœnice solo, nos pascua vidimus illa,
Vidimus herbosos fœlici vligine campos,
Vertice Carmeli vitreis vberrimus vndis
Fons cadit, & rauco densum nemus irrigat amne.
Vidimus & Iordanis aquas, vbi maximus olim
Pastor oues mergens scabiem resecauit auitam.
Amnis hic à Libano veniens Galilæa per arua
Transit, & ampla lacu consurgit in æquora magno.
Vnda coit rursum, rursum mare fundit apertum,
Vrbs vbi Romani de nomine dicta Tyberi,
Vnda coit rursum, tandem, Hiericunte relicta,
Intrat in infames Asphalti gurgitis vndas.
Hinc satis est nos oram omnem vidisse, probatum

Dicite,& hinc tandem vestras demergite lites.
MYR. Batrachus audaci semper sese ingerit ore,
Et mihi se præfert magno temerarius ausu.
BATR. Non ego me ingessi,processi à iudice iussus.
BEM. Pone pedū Myrmix,& tu quoq; Batrache,nō est
Orandum armatis manibus,sed mentibus æquis:
Batrache dic,Myrmix animi compesce furorem
Interea,vt venias magis ad responsa paratus.
Qui furit insanit,qui verò insanit,amaro
Impatiens animo nec corda,nec ora gubernat,
Quicquid ait vanum est,quicquid molitur ineptum.
BATR. Bembe genus nostrum,generisq; exordia dicā:
Venimus Assyriis (vt Candidus inquit)ab oris,
Est pater Helias nobis,qui sustulit armis
Pastorum genus omne malum,qui traxit Olympo
Flamigeros ignes,qui ascendit in æthera curru.
BEM. Nobile & antiquū genus hoc,& clara propago.
BATR. Pastores alij,quotquot per rura vagantur
Omnia,sunt riui nostris à fontibus orti,
Nos dedimus leges,pascendi ostendimus artem
Quo magis hi peccant qui cùm sint ordine primi,
Primatum amittunt studia inconsulta sequendo,
Nos radix,alij rami,sed nos quoq; rami
A veteri radice patrum,iam ætate caduci,
Tradidit Helias certam pastoribus artem,
Quæ curare greges,quæ noxia pabula fas est
Discere,& occultos imbres ventosq; latentes,
Quive salutaris foret,& qui pestifer annus,

Signa dedit,nihil omisit quod ouilia tangat,
Sed fons ille fluens Carmeli è rupibus altis,
Tam nitidus quondam,tam dulci limpidus vnda,
Tramite mutato(patet id)modò currit in Austrum,
Sed prius(extat adhuc vetus alueus) ibat ad Ortum.
Hi cursus fecêre nouos, liquêre priores
Quos dederat riuos veterum prudentia patrum.
MYR. *Quid tibi,siue nouo currat seu tramite prisc*
Dummodò fœcundis humectet pascua lymphis?
Et quid de cœli quereris regione? per Austrum
Solis iter,melior vitis quæ respicit Austrum,
Et melior legitur Libycis de collibus vua.
BATR. *Est melior taxus Boream quæ respicit, ergò*
In Boream melius poterat decurrere riuus,
Pastor es & cura pecoris malesane relicta
Sermonem de vite facis,quasi legibus ijsdem
Grex & vitis eant,nec quod discrimen in vndis
Gramineq; & ventis nosti, & quàm noxius Auster
Sit pecori,disce à Roma si noxius Auster,
Cur Mutinensis agri pecudes sunt vellere fusco?
Cur Clitumnus habet niueas? cur Mantua molli
Lanicio excellit,Veronaq; proxima Manto?
Vndè hæc multiplici rerum variantia forma?
Non aliunde nisi à cœlis,à gramine & vnda.
BEM. *Candide vtrūq; pedū procul hinc(rogo)protin (auf*
Inter eos hodie video bellum acre futurum,
Clam cape, & auferto,subter sarmenta reconde.
BAT. *Bembe,mihi tecum sermo est,dū viximus v*

Dum commune pecus nobis fuit, hei mihi quantum
Dedecus, heu quot sunt pecudes incommoda passæ?
Nec mersare gregem fluuio, nec vellera certis
Temporibus (sicut mos est) tondere licebat,
Nudabant spineta pecus, nudata secabant
Terga rubi, scabie cutis aspera, tabidus humor,
Pestis, & in totum serpebant vlcera corpus.
Multum igitur refert pecudes quæ pabula carpant,
Flumina quæ potent, & qua regione morentur.
Dic mihi, dic, Myrmix, priscum cur lana colorem
Perdidit? hæc gregibus quidnam noua vellera fecit?
Cur pecus est nigrum, quod erat melioribus annis
Clarum? immutarunt mutati vellera mores,
Bembe, ad te redeo, paucis absoluere nitar.
Sed quò digna omni tua sit sententia laude
Vera loquar, tu iura tenes, ego facta docebo,
Iudicium reddit verum enarratio vera.
His animaduersis ægrè tot damna ferentes
Venimus ad fontem, riuumq́ à vertice summo
Scrutari mihi cura fuit, tu prouide Myrmix,
Interea nidos auium, vel dorcada paruam
Venabâre, tuæ quæ dona darentur amatæ.
MYR. Bembe, vides vt aperta in me conuicia torquet?
Auguror, ista manu, lis est, non ore agitanda,
Mos mihi non lingua, maledicta refellere, dextra.
CAN. Batrache, ne verum taceam, linguosior æquo es,
Iurgia bilem acuunt, conuicia pectus acerbant,
Non tibi cum puero res est, nec homuncio Myrmix,

Res

Res malè tuta viros, lingua irritare proterua.
BATR. Da veniam Myrmix, amitam proferre volẽ
Nescio quis mihi misit in os malus error amatam.
MYR. Do veniam, caue ne rursum me voce lacessas.
BATR. Alueus excelsa saliens de rupe lacunam
Fœderat, & clausis ripas æquauerat vndis,
Gurges erat textu syluarum vmbrosus opaco,
Densaq́ sepierant tristem spineta lacunam,
Mille venenorum species in gurgite vidi,
Mille secus ripas in opaco margine, mille
Per nemus ad lymphas sinuoso serpere gressu.
Obstupui, & rapido rediens ad ouilia cursu,
Incipio paleas furca versare tricorni,
Ecce caput tollit coluber, linguaq́ trisulca
Sibilat, inflantur fauces, nepa liuida tendit
Brachia, ventrosus profert vestigia bufo,
Vipera per stipulam gradiens strepit, ô loca dixi
Non pecori tantum, verùm & pastoribus ipsis
Noxia, mox grege diuiso de sedibus illis
Pascua quæsitum tristis meliora recessi
Perq́ iter antiquum fontis noua flumina duxi
In campos, vbi prima suos aurora colores
Explicat, & croceos Phœbi redeuntis ad ortus.
Hic mihi fœcundæ pecudes, hic pascua læta
Et sine labe liquor, dulces sine crimine lymphæ.
Hæc loca primæui sunt quæ coluêre parentes,
Signa casæ superant, puteus, cariosaq́ ligna
Fixa solo, seiuncta pedum discrimine septem

Et focus & lacera quæ cingitur area sepe.
MYR. Cura viris leuibus rerum solet esse nouarum,
Propterea certè noua pascua quæris, & amnes
Fingis inauditos, & vis nouus auctor haberi.
BATR. Cura viris grauibus rerum solet esse suarum,
Propterea, Myrmix, nimis à grauitate recedis:
Hæc nouitas non est nouitas, sed vera vetustas.
Religio & pietas patrum instaurata resurgit,
Quam tua corrupit leuitas, & nota tuorum
Segnicies, igitur si quis labentia tecta
Erigat, & sterilem qui mansuefecerit agrum,
Iudice te, damnandus erit? non ponitur arbor
Altera, sed veteri inseritur bona virgula trunco,
Segne prius lignum nostro fit fertile cultu.
MYR. Quamuis pingue tuo pecori sit gramen & vnda
Defecata, tamen multæ cum matribus agnæ
Interiêre, lupi & pastæ meminêre volucres.
BATR. Hæ fateor quæ dira tuæ contagia pestis
Accepêre, etiam procul aspicientibus obsunt.
Tantum virus inest, vestri vis tanta veneni.
Propterea magis atq; magis discedere semper
Est animus, patitur pecus hæc incommoda nostrum
Sola, quin vastam nondum discessit Eremum,
Nec satis à vobis procul in deserta recessit.
MYR. Batrache, de gregibus mentiris plurima nostris,
Certè alienarum tibi cura superflua rerum,
Et temerè assumis partes censoris iniqui,
Cur mihi qui pasco cuium pecus ista tueri

Non

Si proba vita tibi lasciuaq; pagina, multos
Effi. is incestos, in Veneremq; trahis.
Verba mouent animos, oris lasciuia pectus
Pulsat, & in venas semina mortis agit.
Improbus has sordes in carmina seminat Orcus,
Cui studium mentes commaculare pias.
Non secus ac vitreum si quis vult lædere fontem
Proijcit in dulces putre cadauer aquas.
Hoc animaduertas quicunq; poëmata condis
Est opus, à Stygio fer procul amne pedem.
Pelle pharetrati cum matre Cupidinis arcum
Atq; Dioneo subtrahe colla iugo.
Mater adulterij Venus est stupriq; repertrix
Atq; lupanari fornicibusq; fauet.
Casta Dei genitrix, castus regnator Olympi,
Mens capit Ambrosias, non nisi casta, dapes;
Lex Venerem festis vetat exercere diebus
Sacra ministorum corpora casta volunt:
Pierides castæ, castæ Libethrides vndæ
Tota pudicitiam vera poësis amat.
Est Helicon virgo, virgo Peneia Daphne:
Castalidasq; aiunt virgine matre satas.
Ite procul veneris vates Heliconis ab amne,
Virgineus vestro læditur ore liquor.
Non hederæ vobis Phœbi, non conuenit arbor,
Non amat incestas casta corona comas.
Taxus olens, eruca salax, grauis herba cicutæ
Sordidulos vates talia serta decent.

Non licuit? solis ne domus mea cognita vobis?
BATR. Aethiopes vna quoniam nigredine sorde
Ille color nulli vitio datur, omnibus idem
Vultus, & alterius si quis reprehenderet ora,
Et sua damnaret, pecori pecorisq́ magistris
Fex eadem, scabies eadem, cutis & color idem.
BEM. Parcite, iam satis est lis intellecta, diesq́
Inclinata cadit, iam post iuga summa ruit sol.
Audite ô magni generis longæua propago
Lite super vestra quæ sit sententia nostra.
MYR. Batrache, me audaci totiens sermone lace
BATR. Non ego, sed non æqua magis te causa laces
Iudiciumq́ timet sibi mens malè conscia iustum.
CAN. Quando inimicitias tempus deponere, rurs
Vestra nouas lites vecordia suscitat, ergò
Perpetuis hæc rixa odijs æterna manebit?
Quæ vos debilitas capitis, quæ insania vexat?
Non pudet his vti tanto sub iudice nugis?
Ergò animis audite æquis, odijsq́ sepultis,
Vltima doctiloqui quæ sit sententia Bembi.
BEM. Ferte per antiquos patrum vestigia gressu
Et veteres seruate vias, reuocate vagantes
Per valles & saxa greges, per lustra ferarum.
Figite in antiquis iterum magalia campis.



BAPT

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, CONTRA POETAS IMPUDICÈ LOQUENTES CARMEN.



Vnt quibus eloquij datur Aurea vena Poëtæ,
Sed adit in sordes inficiturq́ luto.
Nam Cypriæ curas & olentia gaudia ponunt,
Claraq́ tam fœdo mergitur vnda lacu.
Hoc decus, hoc animis carmen cœlestibus aptum
Rebus in immundis degenerare nephas.
Dona Dei carmen nitidum facundia præstans,
Mittitur ex astris, à superisq́ datur.
Est tuba Romanæ fidei legumq́ Poësis,
Quæ canat heroo sacra, Deumq́ pede.
Carmina quæ sanctos Deus ipse parauit ad vsus,
Impia mortiferi criminis arma facis.
Quid maculas turpi diuina libidine dona?
Quid teris immundo munera tanta pede?
Non ita Hieremias docuit, non Thracius Orpheus:
Non ita Iessæi regia Musa senis.
Sancta prophanari si clus est delebile multo
Verbere, supplicio culpa pianda graui.
Vita decet sacros & pagina casta Poëtas:
Castus enim vatis spiritus atq́ sacer.

Salmacis est vobis Helicon, date vota Priapo,
Hellespontiacis ponite thura focis.
Sit liquor Asphalti vobis pro Phocidis unda,
Stringit ubi infames sulphuris ardor aquas.
Define, pone lyram, vates insane, nec ultra
Cum Stygijs Dyrces flumina iunge vadis.
Prostituis Musas meretricis imagine facta,
Ante cauernosi fornicis antra locas:
Frangis honestatem frontis, gremiumq; sinumq;
Soluis, & infames mittis in ora modos.
Omnia das turpi Musis loca sacra Dionæ,
Atq; pudicitiæ non finis esse locum,
Propterea meritò pro vate vocabere leno,
Elogio sceleri conueniente tuo.
Si legeret casu spurcum Lucretia carmen,
Contereret presso carmina lecta pede.
Quod prohibet fieri, quod vult natura taceri,
Promis, & vrbanum mellifluumq; putas.
Falleris haud aliter, quàm qui pro piscibus hydros,
Pro violis tribulos, aut aconita legit.
Idcanis, à sola quòd fit meretrice videndum,
Quòd, nisi lasciuo, non queat ore legi.
I procul à grauium cœtu scelerate virorum,
Fer procul à sacra relligione gradum:
Hæc leuitas grauibus fit pernitiosa Poëtis,
Namq; leues studio credimur esse pari.
Non bene de fidei rebus sentire putamur,
Innocui culpæ lædimur ense tuæ.

Hi veriti non sunt sanctas per scorta sorores
Ducere, & ad tantum sollicitare nephas.
Vina Mimallonis vobis dant Cretica bacchæ,
Et vetat infandi sordida Thyas aquam:
Tale docet Semeles puer & lemargia carmen,
Bacchidas & Veneres ista poësis olet.
Castalium veri potant, non vina, poëtæ,
Sobrietas fons est, ebrietasq; merum.
Qui bibit assiduè gelidis de fontibus vndam,
Et vitreo siccam diluit amne sitim,
Carmina casta facit, Veneris commercia vitat,
Nec mouet aduersus ora pudica leues.
Vina iocosq; canunt Veneris Bacchiq; poëtæ,
Quod latet in vapido pectore carmen olet.
Hi sunt, quos statuens sancti consortia cœtus,
Esse procul iusta iussit ab vrbe, Plato.
Fautores scelerum corruptoresq; iuuentæ,
In mala deceptum plurima vulgus agunt:
Dumq; licere volunt suasit quæcunq; voluptas,
In mores acuunt spicula multa pios.
Improba garrulitas verbisq; procacibus ardens
Seminat in sanctam noxia verba fidem.
I miser, & veniam superos pro crimine posce,
Ante flagellati vulnera quinq; Dei,
Voce genuflexo, lachrymis, & pectore tonso,
Fletibus erroris damna repende tui.
Carmine qui celebrat vesana Cupidinis arma
Et Veneri neruos ingeniumq; dicat,

Hic iacit in saniem violas, in stercus amomum,
Atq; sub obscœnos lilia verna sues.
Sulphuream lethes haurit de fontibus undam
Et Stygiam læto gutture potat aquam.
Se fa: it indignum superos qui cernat & astra:
Nam miser solam lumina vertit humum.
Transfugit à Superis ad lumina Ditis, & ardet
Gaudia contempto luxuriosa Deo.
Est opus ardentem frænis arcere iuuentam,
Nec sinere in mores luxuriare malos.
Collige terrenis mixtum de sordibus aurum,
Gemmaq; in illustri splendeat ista loco.
Est Deus, & trinum semper laudabile numen,
Vnde trahunt rerum semina prima genus,
Spirituum soboles cœliq; decemplicis astra,
Astrorumq; vices multiplicesq; viæ.
Sunt animæ diuûm nitido quos æther e virtus
Donat, & hos sanctos indigetesq; vocant.
Et quæ materiam præbent elementa caducis
Rebus, & æternæ dant alimenta neci.
Sunt Erebi manes, sunt Tartara nigra lacusq;
Sulphurei, & nigri regna profunda Iouis.
Sunt loca pœnarum, sunt altæ ergastula mortis,
Sunt quibus æterno lucifer igne calet.
Sunt scelerum pœnæ, tormentaq; debita nostris
Sordibus, & Veneri carminibusq; tuis.
Sunt ea, quæ profert aër, quæ parturit æquor,
Quæ generat pingui Dædala terra sinu.

Multicolor facies agri syluaꝗ comantes,
Multisonæ volucres, multiuagæꝗ feræ.
Sunt Sophiæ partes, est ingeniosa Mathesis,
Verbaꝗ clamosi litigiosa fori.
Sunt hominum vitæ, sunt digna negocia versu
Plurima gesta foris, plurima gesta domi.
Collige diuorum mortes, & fortia facta,
Inclyta martyrij bella rubentis habes.
Iugera multiferæ tibi sint telluris & horti,
Nauigium, merces, veliuolumꝗ mare.
Sunt tibi pampineo vestiti palmite colles,
Sunt iuga, sunt valles, multicomumꝗ nemus.
Arua, lacus, vrbes, castella, suburbia, villæ,
Sunt caua, sunt tenui flumina pressa vado,
Elige de multis aliquid, tibi copia rerum
Maxima, materiam carminis ista feret.
Nata freto Venus est, Veneremꝗ sub æquora mitte,
Infima quà nigris pallet abyssus aquis.
Id cane quod tetrici possint audire Catones,
Quod probet Hippolyti Penelopesꝗ pudor.
Tunc ego te vatis dignum cognomine dicam,
Tunc tua cantari digna Poësis erit.
Tunc Helicona bibes castisꝗ rigabere Lymphis,
Si Venus in versu non erit vlla tuo.





BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE Theologi, carmen:

AD D. FALCONEM PROTONOTARIum, cuius beneficio ex omnibus periculis est liberatus.



Ebeo, sed curæ prohibent, tibi carmina Falco,
Aegraq; mẽs varijs sollicitudinibus.
Dignus es æterni cui decernantur honores,
Sacraq; solenni conficienda die.
Sicut enim domitis proles Tirynthia monstris
Insuperûm sanctas fingitur isse domos.
Sic vbi fatales Lachesis tibi voluerit annos,
In Paradisiacos ibis ab orbe lares.
Et nisi relligio viuis ea dona negaret,
Iam tibi lucentes poneret ara focos.
Nec magis adiuuit fessum labor Herculis orbem
Quàm tua gentiles prouida cura meos.
Te duce, de Scyllæ canibus, de fauce Charybdis
Eruimur, placido perfruimurq; mari.
Te duce, cum paruo nauis mea remige tutum
Fecit Sarenosa per vada Syrtis iter.
Nostra Capbareo duce te, sub vertice puppis
Transiit, & Tyrium quà tulit vnda bouem:

Et quà septenos vomit vnda reciproca fluctus:
Euboicos inter Castaliosq́; sinus.
Nec potuit Nauplus fictis illudere flammis:
Nec pauidam cautes corripuêre ratem.
Te duce, Ciclopes immania monstra subegi,
Est Erymantheus, te duce, victus aper.
Phasidos & Circes Acheloiadumq́; sororum
Carmen & Harpyias Stymphalidasq́; fugas.
Te duce Gerionen & barbara vicimus arma,
Armigeram segetem, flammiuomosq́; boues.
Te duce nigrantes Erebi superauimus vmbras,
Et caua tartarei fugimus ora canis.
Te duce seruatæ leges, & iura parentum,
Nostraq́; res maius publica robur habet.
Te duce, quassatam fulcris melioribus ædem,
Et laceram solido struximus ære domum.
Te duce, pontificis summi mihi limen apertum,
Et sancti patuit regia magna patris.
Sic precor immensi pateat tibi regia cœli,
Teq́; suum Christus collocet ante thronum.
Tot meritis vnum, quo tangere sydera posiis,
Adde: Quirinali limen in vrbe datum.
Cur precor à Latio soli prohibemur, an vnquam
In Capitolinas vertimus arma domos?
Non nos progenies Senonum, non Punica turba,
Non sumus Hyrconum, Sarmaticum ve genus.
Itala gens, linguam & mores edocta Latinos,
Haustaq́; de patrum relligione, sumus.

Cur igitur quoties Romana reuiſere tecta
Cogimur, in propria non licet eſſe domo?
Da Latios, Romane, lares. da cernere Tybrim,
Da patriæ nobis regna beata tuæ.
Auſpice te nobis fas hoc ſperare putatur,
Qui regimen cymbæ pontificalis habes.
Nos quoq; qui cupimus Romanum extollere nomen,
Suſcipiet facili Martia Roma ſinu.
Si fuit Andino mitiſsima Roma Poëtæ,
Nos quoq; quos aluit Mintia terra, feret.
Aeolus es nobis, pelago dominaris & auræ,
Da Zephyros noſtræ remigiumq; rati.
Sic tibi ſyderei dominam p'a ab O'ympi,
Et pluet ætheria iugis ab arce fauor.
Sed propera longo Lachesis iam feſſa labore
Cogitat immiti rumpere fila manu.
Poſt obitum benefacta manent, æternaq; virtus
Non metuit Stygijs ne rapiatur aquis.

In eundem.

SI mea Pierius coëuntibus vndiq; riuis
Aſsiduè currat totus in ora liquor:
Non potero meritas Falco tibi ſoluere grates,
Digna nec officijs fingere verba tuis.
Ille ſatisfaciat, qui ſe contemnere dixit,
Nec calicis vilem frigidioris aquam.
Ne tamen ignores humilis pia vota Poëtæ,
Paupere de loculo vilia dona damus.

Tunc tibi, Romulea cùm nos donaueris vrbe,
De locuplete penu xenia magna dabo.
Hæc sunt quæ veniens minus vt via læderet egi,
Dum studet obsequio nostra Minerua tuo.
Ista leges, quando venient post seria ludi,
Cùm dabit extremas mensa secunda dapes.
Nulla suo res est si sit data tempore vilis,
Apta ferunt magnam tempora rebus opem.
Opportuna tibi poterunt solatia ferre,
Tempore si fuerint carmina lecta suo.

In eundem Hendecasyllabi.

FAlco Romulæi pater senatus
Nemo me, quia sit seuerioris
Vitæ relligio, putet negasse
Fontis Castalij beata rura.
Indoctos homines fatigat ista
Simplex rusticitas, peritiores
Quales Ambrosius, Boetiusq́;
Qui mores tetricos, & altiorem
Fœlici patriam sequuntur aura,
Musas & studium latinitatis
Complexi, fidibus lyraq́ morbos
Tollebant animi grauesq́; curas,
Iucunda modulatione fretum
Pennis ingenium velut quibusdam
Sublatum rapitur, Deumq́ dulci
Illapsu recipit, bibitq́ nectar.

Quo mensæ superûm fruuntur omnes,
Hi verè Lyrici fuêre vates,
Sicut Pindarus, insulæq; virgo
Lesbi gloria, grandiorq; plectro
Alcæus modulans vetustiore,
Et Dauid Tyrio decorus ostro
Percurrit cytharam manu sonantem,
Et sanctos superis canunt honores.
Hinc laudes veniunt piiq; cantus,
Hinc hymni resonant choros per omnes.
Istos, posthabitis minus peritis,
Auctores imitans tuis patentes
Campos auspiciis perambulabo,
Nec vulgi, duce te, proteruientis
Nugas iudiciumve pertimescam.

In eundem.

Dicet adulandi studio mea carmina lector
In laudes nimium luxuriare tuas.
Inuidiæ morbo præsens malè iudicat ætas,
Iudicium melius posteritatis erit.
Credite venturi, mendacia nulla libellus
Ni malus interpres decipiatur, habet.

Cur libellus Falco dicatur.

Quòd mihi curuëtur vel crura, vel vngula, lector,
Tale mihi nemo nomen inesse putet.
Sed quia Falconis versu meliore canendi
Clauditur exiguo gloria magna sinu.

Nec

Nec tamen immensas licuit comprendere laudes,
Nec fragiles chartæ pondera tanta ferunt.
Amphora Tyrrhenæ quantum deglutiet vnda,
Falconis tantum pagina nostra capit.
Hoc fuerit specimen, reliquam qui cernere mercem
Postulat, Aoniæ Phocidis arua petat.

Ad Pomponium Lætum.

SI mea Falconi placuêre poëmata forsan,
Aedere & à populo iam licet illa legi.
Ipse etenim cauta versus appendere lance
Nouit, & ingenij lumen & artis habet.
Tu superes, cuius sententia quæritur, ac si
Sit Clarij dictis anteferenda Dei.
Si placet ædantur, si displicet occule: nam sunt
Omnia iudicio subijcienda tuo.

In Fal. Dist. ad pont.

Ducere sopitis pastor potes ocia curis,
Falco tuas Argi more gubernat oues.

In eundem.

Quod fuit Atridæ Nestor, Centaurus Achilli,
Hoc patriæ Falco Pontificumq́ patri.

In eundem.

Sæcula Falconem si fortunata tulissent
Vel Cato, vel Fabius, Fabricius ve foret.

In eundem.

Sic alios Falco superas in rebus agendis,
Vt Libyæ sterilem fertilitate Samum.

In eundem tetrastichus.

Quanta rosis inter vernos est gloria flores,
Inter aquas Nymphis oceanitidibus,
Inter sydereos Triuiæ splendoribus ignes,
Falco tibi in patrio gloria tanta foro.

In eundem.

Vir bonus est precio sua qui communicat æquo,
Falco mihi gratis res operasq; dedit.

In eundem.

Cur tibi tot bona sunt & tam præstantia, Falco?
Cultus ager quia plus fertilitatis habet.

In eundem.

Insignis virtute Cato, Pompeius honore,
Tullius eloquio, relligione Numa.
Relligio, probitas, honor, & facundia tecum,
Sicq; viros Falco quattuor vnus habes.

In eundem.

Cur male custodit tua ianitor atria, Falco?
Quòd scit in occulta turpe nil esse domo.

In

In eundem.

Cur tibi sunt dociles serui sine crimine, Falco?
A simili mores accipiuntur hero.

In eundem.

Cur sors Falconem nec læta nec aspera mutat?
Mascula quòd virtus pectora firma facit.

In eundem.

Sunt propria, sunt qui niteant virtute parentum;
Falco tuam radiat splendor vterq; domum.
Sed tuus est maior: nam quicquid laudis in omnes
Sparsit auos virtus prodiga, solus habes.

In eundem.

Maxima cum doctis cur habet commercia Falco?
Quòd paritas homines conciliare solet.

In eundem.

Si te tristis adit quisquam cur lætior exit?
Falco tuum Charites concomitantur iter.

In eundem.

Nicomachi nato si fas est credere, Falco;
Non tibi iam laus est, sed referendus honor.
Est honor, in portum cum puppis ab æquore venit;
Laudibus inceptum continuatur iter.

In eundem.

Quid tibi cum Musis qui tanta negocia tractas?
Pinguis ager syluis graminibusq; viret.

In eundem.

Quos aliæ prohibent, recipit tua ianua, Falco,
Non tua, sed populi commoda solus amas.

In eundem.

Publicolæ nomen Paries inscriptus habebat,
Falconis credi debuit esse domus.

In eundē, de Parione quasi sit pater regionis.

Area Falconi Pario coniuncta vocatur,
Falconem regio prædicat illa patrem.
Dat tibi concisum laudis compendia nomen,
Omnis vt eulogio lingua sit apta tuo.

In eundem.

Cur genium fraudas, cur respuis ocia, Falco?
Calcar habet virtus, desidiamq́ domat.

In eundem.

Cur Scytha, cur Græcus, cur te veneratur Iberus,
Vtitur officijs qualibet ora tuis.

In eundem.

Argolicas maior, Tyrias minor vrsa, sed omnes
Aurea Falconis stella gubernat aquas.

In eundem.

Cur tua distinctis fulgent serpentibus arma?
Philtra minus si sint dissociata nocent.

Hæc

De Sali Isaria de S[illegible] Berto

Hæc hominem signant, qui bella domestica sedat,
Et quæ ciuilis suscitat arma furor.

In eundem.

Vndè fit vt doctos vocet ad conuiuia Falco?
Ne pars officio temporis vlla vacet.

In eundem.

Cognita cur tibi sunt idiomata barbara Falco?
Ex toto virtus orbe petita tua est.
Pullytropum vates dixit Smyrneus Olyssem,
Ast ego te sanctum pullytropumq; voco.

In eundem.

Cur nunquam alternis cedunt tua seria ludis?
Nempè quòd abstrusum mens tua numen habet.

In eundem.

Ora tuas Falco resonant cur omnia laudes?
Est laus, & non est dicere vera labor.

In eundem.

Cur tibi tam leuis est, cur tam iucunda senectus?
Libera quòd vitijs tota iuuenta fuit.

In eundem.

Cur tua tam grauibus virtus non frangitur annis?
Nec patitur vitæ deficientis onus?
Corpora mens, mentem virtus, Deus omnia seruat:
Cur minuet vires longa senecta tuas?

In eundem.

Quid valeat virtus ad acerbæ ferrea sortis
Spicula, Falconis testificatur honor.

In eundem.

Cur aliquando fuit tibi sors inimica nocensq́?
Quod virtus fuerit semper amica tibi.
Aemula virtuti sors est, quos eleuat illa
Ista premit crispo torua supercilio.

In eundem

Cur te dissimulas? cur non in honore superbis?
Falco supercilio gloria vera caret.
Sors facit elatos, & rusticitate tumentes,
Et generant mores corda superba feros.
Exhilarans frontem virtus augusta serenam,
Cor placidum, clemens, mite piumq́ parit.

In Falconem Elegia.

Dicite, Falcones habeat cur Martia paucos
Curia, quæ colitis Phocidis arua Deæ?
Dicite, dũ tenui strepit Allia murmure, dũ sol
Vrget ab excelso pectus & ora polo.
Dum semusta sonant querulis arbusta cicadis,
Dum madet, & muscis sollicitatur equus:
Dicite, sed neruis non est opus, ore canendum
Aridulo, media carmen equestre die.
Cum dabitur secura quies, meliora canemus,
Nunc satis est celeri ducta figura manu

Finieram, vocem mox exulit vna sororum,
Paucaq́ disparibus rettulit ista modis:
Est domus in summo saxosi vertice montis,
Ardua quae durum semita tollit iter.
Auratus paries gemmis vestitur vbiq́,
Artis Apelleae nobile fulget opus.
Hic sunt qui Sophia, qui relligione vel armis
Aut aliter summum promeruêre decus:
Hic retinet bello praestans & pace Robertus
Inter Martigenas regia sceptra duces.
Ipse Seuerini generis nitor, ipse Latinam
Militiam, pacem, iustitiamq́ regit.
Hic est Carraphiam qui tollit ad aethera gentem,
Cui placidum mitis nomen oliua dedit.
Hic est Romuleae prisco de sanguine gentis,
Qui veteres Falco laudibus aequat auos.
Vidimus hos virides lauri gestare coronas,
Et loca, quenq́ suo prima tenere choro.
Tota cohors tribus assurgit, nec vidimus horum
Quis prior, & cuius palma secunda foret.
Atria prima labor, tecti penetralia virtus
Seruat, in extrema parte locatur honor.
Horriferum labor est & inexorabile monstrum.
Quale quod infernas excubat ante fores.
Pectora lata tument, collum breue, brachia setis
Hispida, neruosae marmoreaeq́ manus.
Hic Cadmi superanda seges, mactanda Chimaera,
Atq́ Medusae colla secanda ferae.

Hic vigil Hesperidum custos fallendus, Iason
Hic domat iratos, flammea monstra, boues.
Hic fuit Hippolytus cursu laceratus equorum,
Et citò virtutis viuificatus ope.
Nam labor in varias solet imigrare figuras,
Nunc leo, nunc aper est, nunc bouis ora gerit.
Sicut Acarnano est de flumine fama Deoq́,
Qui vada Carpathiæ lata tenebat aquæ.
Plurima barba, micant oculi, stant cornua fronte,
Esurit, & sicco semper in ore sitis:
Sudat, & in rorem facies & pectora currunt,
Nulla quies, nulla est desidiosa dies.
Ilia magna, femur validum, sine pondere venter,
Desinit in latos tibia longa pedes.
Et tumet, furit, intrantes clamoribus arcet,
Vociferat toruum, multiplicatq́ minus.
Vt reor, hoc prisci vates dixêre Mineruam,
Nam minuit vires debilitatq́ labor.
Qui cupiunt igitur sanctos intrare recessus
Longa prius duro prælia Marte ferunt.
Dicitur Alcides Ericem qui vicit, ab isto
Victus in herboso procubuisse solo.
Et nisi certantem virtus miserata fuisset,
Semper erant sacræ limina clausa domus.
Ipsa fores reserans fessum totoq́ labantem
Corpore, porrecta traxit ab hoste manu.
Huc veniunt homines virtutis imagine ducti,
Sed refugit verso territa turba pede.

Hic opus est animis, & firmi pectoris ausu,
Vincit quem longa non domuêre mora,
Degeneres animi primo in certamine cedunt.
Nec pudet expelli, nec dare terga fugæ,
Limen ad hoc Falco pugnare viriliter ausus
Obtinuit fractis regia tecta seris.
Hicq́ diu doctus delubra subiuit honoris
Victor, & immensas inde recepit opes.
Sicut Aristeus post victi prælia monstri
Repperit occiso dulcia mella boue.
Et quoniam pauci superant hæc atria, paucos,
Falconi reperit curia sancta pares.

In Falconem.

Vnde magistratus, Falco, tibi gloria tanti?
Quos aluit virtus, magnificauit honor.

In eundem.

Pulsa redi virtus, reuocat te libera Roma,
Nam patriæ Falco regnat in vrbe pater.

In eundem.

Est aliâs falco superat qui cæde volucres,
Hic alios meritis & pietate viros.

In eundem.

Praxiteles sculptor, vates Maro, pictor Apelles,
Herbipotens Chiron, belliger Hector erat,
Musicus Amphion, Tiphys nauarchus: Apollo
Fatidicus, Mars vi, maximus arte Sinon.
Gnosiacis Alcon iaculis clarebat & arcu,
Mercurius linguæ munere, Castor equis.

Automedon currus moderatur, Aranea telam,
Artifices Pallas, Luna bicornis aquam.
At commune bonum Christiq; negocia Falco
Curat, & hac illi culmen in arte datur.

In eundem.

Desipiunt Romam qui degenerasse fatentur,
Romuleos Falco laudibus æquat auos.

In eundem.

Iam Romana satis tuto ratis æquore fertur,
Nam pelagus Falco remigiumq; tenet.

In eundem.

Cur est pulsa fames, Romæ cur bella quiêrunt?
Quòd Cererem Falco, temperat atq; Iouem

In eundem.

Arma placent aquilæ. parit aurea secula Falco
Ciuibus, hic Christo militat, illa Ioui.

In eundem.

Omne Quirinali scelus eijcietur ab aula:
Limen enim Falco pontificale tenet.

In eundem.

Quid gemis amissas aquilas, priscumq; decorē
Roma? tuus Falco te reparare potest.
Roma, meos, inquit, vexat discordia ciues,
Nec ratio sediam uiuit in vrbe furor.
Iste meus nulla dolor est sanabilis arte,
Deridet medicas ista podagra manus.

Non si præteritos reuocet noua purpura reges,
Non si Cæsaribus, Consulibusué daret.
Falconem fateor si spes foret vlla salutis,
Forsitan ærumnas posse fugare meas.

In eundem.

Quid tibi Mecœnas quòd sis sub cæsare Falco
Proderit, exclusus si sit ab vrbe Maro?

In eundem.

Quosdam Thraicios audiuit Roma loquentes,
Palluit, vltores credidit esse Gothos.
Tunc ego dum Falco dum regnat Acacius inquam
Roma sede, & nullo sollicitere metu.

In eundem.

Auget opes alius Romæ, studet alter honori,
At studium Falco relligionis habet.

In eundem.

Cur populo semper domus est Falconis aperta?
Quòd sit honestatis iustitiæq; domus.

In eundem.

Sceptra tenet Falco, Romana Catonibus aula
Paret, in Assyrios Sardana palus eat.

In eundem.

Aurea Falconis virtus est sydere maior,
Non metuam rutilæ flammea monstra comæ.

In eundem.

Vidimus assueto priuatum lumine solem,
Pallida turbato vidimus astra die.
Vidimus horrendos criniti syderis ignes,
Et grauis attonito regnat in orbe pauor.
Non ego defectum Phœbi, te sospite Falco,
Non metuam fulmen terribilesve comas.
Non metuam terræ motus, non æquoris æstum,
Non canis æstiuo cùm furit igne sitim.
Scimus enim, quoniam Deus est pietatis amator,
Ventura auspicio prospera cuncta tuo.

In eundem.

Innumeros Phœnix, & Phœbi nuncius annos,
Viuit, Hamadryades tempora longa Deę.
Sæcula tot ceruus, tot viuit sæcula cornix.
Ast hominum paucis vita diebus abit.
Rectè igitur, Falco, maior tibi cura dierum,
Quàm sit opum, redit æs, non redit vlla dies?

In eundem.

Est tibi diuitijs virtus & honoribus impar,
Cur dat inæquali præmia lance Deus?
Præmia virtutum non sunt mortalia, tanti
Nemo voluptates diuitiasve putet.
Ast tibi supremo melior thesaurus Olympo,
Vndè tui merces tota laboris erit.

In eundem.

Diues es, at Craſo longè locupletior eſſes,
Si meritis hominum diuiderentur opes,

AD EVNDEM DE VIRTV-
te Sapphicum carmen.

Cùm Deus magnũ fabricaret orbem,
Et polos altos ſinuaret arcu,
Iuſsit æterna rutilare pulchrum
Lampade ſolem.
Iuſsit & lunam dubia micantem
Luce ſublimes agitare currus,
Et per obſcuras aliena ferre
Lumina noctes.
Aureis cœlum variauit aſtris
Quæ per ingentes reuoluta gyros
Fata diſpenſant, humiliſq́ terræ
Regna gubernant.
Aëris tractus auium canoris
Cantibus, terras nemorum virenti
Fronde, diuerſis decorauit altum
Piſcibus æquor,
Tunc ad argutos Philomena cãtus
Guttur aptauit, didicitq́ voces
Pſithacus noſtras, nituit ſuperbo
Tergore pauo.
Barbaram citrũ precioſus Athlas,

Ida funebrem peperit Cypressum,
Pelion Quercus, Solymæ tulerunt
Balsama sylue.
Et Tagus fuluo nociturus auro
Fluxit, & Crœsi viridem per oram,
Lydius cursu properauit Hermus
Inuidioso.
Tunc per humentes pelagi meatus
Squammea cinctus populi caterua
Post suum fluctus equitauit altos
Protea delphin.
Sic Deus cœli maris atq; terræ
Fecit ornatum, tamen ad decorem
Mentis humanæ magis applicauit
Artis acumen.
Mens enim summo nimium parenti
Chara pro vitæ sapienter actæ
Præmio, mundi fuit in beatum
Limen itura.
Dumq; ei culturæ dare singularem
Cogitat, pulchris Areten capillis
Fortè prospexit spaciosa solam
Ire per arua,
Namq; flãmantis meditans Olympi
Lumen, & cursus Arete volantes,
Nomen aptabat numerumq; claris
Addidit astris.
Iam maris fluxum tumidosq; fluctus

Norat, & quare tremebunda tellus
Fluctuet, quare iaculetur aër
Nubibus ignes.

Norat & linguas, hominūq; mores,
Et quibus falli solet & refelli
Veritas tecto malè nota vultu
Norat elenchos.

Fecerat nostræ documenta vitæ,
Et quibus cœli peteremus arcem,
Sortis humanæ miserata casum,
Fecerat artes.

Hanc Deus menti comitem ducemq;
Fecit, vt casus patienter omnes
Ferret, & nullo scelerum tumultu,
Deijceretur.

Ipsa nos duros vocat in labores
Nec dies nobis sinit ociosos
Hoc, ait, nostros petijsse cœlum
Calle parentes.

Ipsa Falconis comitata gressum
Fecit vt, duros tolerans labores,
Iret ad summum decus atq; vitam
Labe carentem.

Ipsa Falconis vigilanter aurem
Vellat, & nostri memorem negoci
Reddat, vt portum breuiore cursu
Cymba subintret.

In eundem de virtute.

Mens virtutis inops, mare piscibus, alite cœlum,
Syderibus mundus, grammine terra carens.

In eundem de virtute.

Pyramides Nili, Pharos insula, Iuppiter Ammon
Mausoli & Triuiæ marmora celsa Deæ.
Regna Semiramidis, Romana palatia iunge,
Si placet, & Solymi templa superba Dei.
Talia simplicitas hominum miracula dixit,
Quæ nisi terrenas nil speculatur opes.
Hæc lapidum moles cœlataq; saxa fuêre,
Quæ grauis eximia fecerat arte labor.
Longa dies marmor solidum contriuit & æra,
Tempus enim dura singula fauce terit.
Maius opus virtus, quam nec dissoluere possunt
Tempora, nec rauco fulmina pulsa sono.

In eundem de virtute.

Plurima virtuti laus hic, at præmia nulla,
Nam Deus illius præmia solus habet.

In eundem de virtute.

Eximiæ claros cur ad virtutis honores
Ex humili plures vidimus ire loco?
Pauperibus virtus quia sit sine dote maritis
Nubit, habet grandes sors opulenta viros.

In eundem de formoso & studioso.

Iuncta venustati probitas iuuenilis, in auro
Candida purpureis lilia mixta rosis,

Additus

Additus in calatho violis amaranthus eburno,
Et cum purpureo Medica mala croco.

De deformi studioso.

Abdita deformi virtus sub corporis antro,
Tecta cauernosis Attica mella fauis.
Rex in veste rudi, lutea thesaurus in vrna,
Phagina gemmato dactylo theca sinu.

De pulchro & vitioso.

Forma Mephitifero polluta libidinis vsu,
Picta cadaueribus plena sepulcra nouis,
Fœta venenosis argentea vasa colubris,
Oblita tartareo lactea gemma luto.

De deformi vicioso.

Improbitas animi deformibus addita membris
Virus in obscœno triste nocensque cado.
Frigida limosis inclusa paludibus hydra,
Turpibus in lustris dente superbus aper.

In eundem de virtute.

Alcides Lapythas, Indos deuicit Iacchus,
Isthmiaco iuueni præda Chimæra fuit.
Pelleus Babylona labor tristemque Darium
Vicit, & Iliacas Mennoniasque domos.
Aesonides fuluum vellus Danaëa propago
Gorgoneos angues æquoreamque feram.

Cæsaris occiduo veniunt ex orbe triumphi,
Scypiadæ Libycos perdomuêre lares.
His æterna dedit laudum præconia virtus
Maior, & immensum fortia facta decus.
Ardua res vicisse alios, victoria maior
Est animi fluctus composuisse sui.
Subiecisse metus, & debellasse timores,
Gaudia spemq́; graui supposuisse iugo.
Propterea longè maior tua gloria, Falco,
Surgit, & armatos vincis honore duces.

Cur boni viri post habeantur.

Spontè malos homines, & noxia gramina nutrit,
At melius semen ferre recusat, humus.
Mitior est proprijs, alienaq́; pignora semper
Tractat inhumana dura nouerca manu.
Vir bonus est cœli, malus est telluris alumnus,
Quos igitur cœlum diligit, odit humus.

De cõmuni lætitia in magistratu Falconis

Fusca prius quare fulgent candore niuali
Atria, & albentes explicat aula sinus?
Cur domus exultat? moles cur læta coronas
Induit? & multa ianua fronde viret?
Barbara cur nitidos velant aulea penates?
Aurea cur pictum signa lacunar habet?
Roma senex alacri cui nam venit obuia pompa?
Quo properat celeri tota iuuenta pede?

Tybris ouans gestit, sicut gestiuit Olympus,
Cùm rediit victo Iuppiter, Encelado.
Hæc ego dum meditans tacito sub pectore voluo
Concita vox aures impulit ista meas.
Fortunam superat virtus, prudentia fatum,
Curat honestatem iustitiamq; Deus.
Ista viris grauibus fecit populoq; Quirini
Falco magistratu gaudia tanta suo.

Ad Philippum Baueriam.

Turbida nunc vrsos clamat nunc Roma columnam,
Esse quid attonita pacis in vrbe potest?
Et nisi Falconis scirem me numine tutum,
Iam mea populifer cerneret ora Padus.
Propterea diui repetes cùm limina Petri,
Nefluat in longos fas mea causa dies.

Ad Falconem.

Cùm Deus extracto terras inuiseret orbe,
Cunctaq; de veteri cerneret orta chao.
Natura ex vtero traxit duo pignora, quorum
Nutibus humanæ diuiderentur opes.
Virtutem Sortemq; vocant, temeraria Sorti
Frons fuit, at Virtus casta, modesta, proba.
Mentis inops orbamq; ferens Sors lumina frontem,
Iustitiam nescit, consilioq; caret.
At Virtus grauis, æqua, sagax, innoxia, verax.
Pondera mensuras corrigit & numeros.

Quod iubet vtilitas Virtus, quod poſcit honeſtas
Praſtat, inaudita nil ratione facit.
Sors autem quicquid præceps ſine lege libido
Suggerit, inſtabili datq; adimitq; manu.
Ipſa ſibi ſatis eſt, ipſa ſibi præmia virtus,
Sors eſt præter opes & ſine honore nihil.
Has ſibi, quod nemo potuit ſine numine, tandem
Eualuit Falco conſiliare duas.
Nec mirum, quoniam quiſquis veneratur Olympum
Ipſe ſibi cœlos ſubijcit atq; Deum.

Colloquium inopum de Falcone.

Dixit inops inopi ſacram Laurentis ad ædem,
Quid facis ad Floræ triſtis inerſq; forum?
Dum mea, reſpondit, tractare negocia tento
Ham ior aßiduis quotidie aucupijs.
Aes perijt, nec habet finem rerum vlla mearum,
Quid faciam infœlix? vndè precabor opem?
Obtinet expulſa probitate pecunia Romam
Nec Deus in tota poßidet vrbe locum.
Quot ſunt Romæ homines tot eunt per compita fures
Quoſve canes ſperas, experiere lupos.
Ii Lacedæmonij, Scythiam petiêre Quirites,
Nam Lacedæmonij furta licere putant.
At Scythiæ populi damnant grauiterq; minantur,
Vt mos conſulibus Cæſaribuſq; fuit.
Omnibus eſſe lupos licet in regione luporum,
Inter Pigmeos non pudet eſſe breuem.

Deſipis

Desipis alter ait, fugat hæc opprobria Falco.
Nec sua sub tali sæcula labe sinit.
Sta pede Falconem, sine re sine munere vinces,
Omnis ab hoc saltem fraus aliena viro est.

In Falconem

Nuper ab Exquilijs quosdam descendere lætis
Frontibus, & lento vidimus ire pede.
Dumq; meos eadem fero per vestigia gressus,
Et sequor æquali præuia terga gradu.
Audio miscentes concordibus ista loquelis
Verba, decem breuibus subijcienda modis.
Vidimus antiquæ specimen virtutis in vno,
Et Fabium, Curium, Fabriciumq; viro.
Cæsareos animos, cum relligione Catonis,
Attilijq; fidem, cum pietate Numæ.
Vidimus ardentem Christi pro nomine Petrum,
Et celebrem Pauli vociferare tubam,
Eloquium Marti, Demosthenis atq; Salusti,
Et Brutos, Magni cum probitate, duos.
Continet hos omnes sancto sub pectore Falco
Idq; quod est Falco plus habet omnibus his.




AD D. FALCONEM DE MORte Philippi Bauerię Querimonia.

Maxime vir patrię pater & mea gloria Falco,
Impulit in luctus me noua causa nouos.
Tristor, & in tenebras lucem vertere dolores,
Nec mihi nocte datur, nec mihi luce quies.
Baueriam rapuit pestis Romana Philippum,
Perdere tam sanctum mors fuit ausa caput.
Inuida mors siquid miseris videt vtile terris,
Insidiatrices mittit ad arma manus.
Cur veneranda mori permisit pectora virtus?
Cur homini non est auxiliata suo?
Et Deus, æterno probitas cui fœdere iuncta est,
In cineres talem cur sinit ire virum?
Quot mala, quot clades hæc tanta licentia mortis
Attulit indigno quot premit ora situ?
Conquerimur, nec fert aliquem querimonia fructum,
Quottidie querimur, quottidie rapimur.
Si perimat sæuos hominumq́ cruore madentes,
Iustius & longè mitius esset opus.
Si cadat Euristheus aliquis si infidus Olysses
Non est qui facinus non putet esse pium.
Iste nec immiti tractabat spicula dextra,
Nec sæuum rigidi Martis amabat opus.
Arte regens acres sicut Theodosius iras,
Mitis, & in nullos ore molestus erat.

Omnibus innocuus, casu tranquillus in omni,
Nec tamen ignauo segnis inersq́ metu.
Iste Dioneam Venerem, Bromiumq́ subegit,
Votaq́ lasciuæ somniculosa gulæ.
Fecerat hospitium casto pia membra pudori
Sicut Iosephus, sicut & Hippolytus.
Non erat elatus, nec inani deditus auræ,
Qualis Tarquinius, qualis & Ancus erat.
Ipse suas cunctis operas donabat amicis,
Officio tota sedulitate vacans.
Si quando vacuum tempus superesset, habebat
Siue Deus totos siue Minerua dies.
Languida nec fecit tardos ignauia sensus,
Nec vitam coluit Sardanapaliacam.
Præuigil ad mores animum reuocabat honestos,
Mensq́ erat ad curas ingeniosa pias.
Inuidiæ nunquam potuit tabescere morbo,
Nec dedit atroci corda cremanda foco.
Totus erat pietas, totus clementia, totus
Et sine fraude fides, & sine labe pudor.
Non erat argenti cupidus, non ebrius auro,
Solum animi veras accumulauit opes.
Fortis, & à recto nulla reuocabilis arte,
Quale Numæ pectus, quale Catonis erat.
Non labor à rebus iuuenem reuocabat agendis,
Gaudia sudor erat, cura leuamen erat,
Ipse erat irato communis ab æquore portus,
Ipse erat in placido remus & aura mari.

Nec dum bis denes æui transegerat annos,
Et tam diuitibus mens erat aucta bonis.
Quod longis aliqui vix eualuêre diebus,
Iste breui prudens tempore factus erat.
Non expectauit canos matura senectus,
Ante senem senuit, vir fuit ante virum.
Quis lepor, & Latiæ fuerit quæ gratia linguæ,
Quæ docuit tellus Romula testis erit.
Testis erit locuples nostri Pomponius æui
Gloria de cuius plurima fronte bibit.
Hic si continuo rerum senuisset in vsu,
Isset ad heroum semideumq; decus.
Notus erat Dirceus ager potauerat vndam,
Quæ subitò vates hausta deosq; facit.
In viridi grauitas lætoq; modestia vultu
Grata verecundi signa pudoris erant.
Cur fuerit virtus tenero tam clara sub æuo,
Causa, velut passim dicitur, ista fuit.
Nam per Oliuerij vestigia sancta Carafæ
Assiduus cœptum continuauit iter.
Adde quod hærebat lateri Falconis, & ista
Integritas ex his tracta duobus erat.
Nam iuuenis mores à conuiuentibus haurit,
Et calet admoto frigidus igne liquor.
Hi sunt Romulei duo sydera magna senatus
Vnde bonis lumen præsidiumq; datur.
Ite igitur fratres fratrem defletis ademptum,
Tuq; parens ventris pignora sancta tui.

Heu periit generis proles clarissima vestri,
Heu cecidit vestræ gloria tanta domus.
Sed memores estote pias in sydera mentes
Ire, nec infernos posse subire lacus.
Viuit in æthereo, quem nos hîc flemus, Olympo,
Et gaudet luteas deseruisse domos.
Deseruisse graues resoluti corporis artus
Gaudet, & in superûm transiliisse choros:
Horriferam mortem, viuis quæ maxima pœna est,
Transiit, elysiis perfruiturq́ locis.
Nos quoq; lugubri flemus tua fata, Philippe,
Carmine, decessus ingemimusq́ tuos.
Tu mihi tractanti Romana negocia semper
Assiduas operas, auxiliumq́ dabas.
Tu mihi solamen, miseris tu in rebus asylum,
Tu vada, tu venti, tu mihi portus eras.
Tu mihi fecisti, mea dum præconia narras,
Egregios inter nomina clara viros.
Propterea quotiens sacras accendimus aras,
Suppliciter pro te mystica dona damus.
Tu quoq; spiritibus, quorum tibi copia, sanctis
Mutua pro nobis vota precesq́ dato.



SEQVENS ELEGIA EST DE pugna Virtutis & Fortunæ ad Falconem ſcripta.

EBRia Virtutem Fortuna laceſſere nuper
Cœpit,& hoc bellum dicitur orſa modo.
Cur latitas? vanaq; tegis grauitate timorem?
Si ſapis vt iactas,& potes,arma cape,
Teiuuat obſcuris nugas excudere tectis,
Semiuiros inter,fœmineoſq; choros.
Tu tibi ſola places,ſine te nihil vtile dicis,
Et populum ficto decipis ore rudem.
Vis Phœbæa tuis oracula cedere dictis,
Et ſomnos hebetes,deſidiamq; doces.
At ego ſublimes animos ad ſydera mitto,
Et decoro gentem nobilitate meam.
Regna mihi ſubſunt & opes & purpura regum,
Et patitur leges terra,fretumq; meas.
Tu me ſtultitiæ,tu me leuitatis vbiq;
Arguis,& nomen polluis ore meum.
Efficiam ne te defendat inertia poſthac,
Si ſapis vt iactas,& potes,arma cape.
Nec lateo dixit Virtus,nec prælia quæro,
Nec fugio,leges conſiliumq; ſequor.
Gratia poſcit pugnas,interrita pugno,
Si pacem præfert,ocia pacis amo.

De pietate loqui, de relligione, Deoq;
Ad genus omne iuuat: nam genus omne rego.
Recta placent nobis, ratione carentia nunquam,
Et populum tali fallimus arte rudem.
Non Phœbæa meis, verùm tua cedere dictis
Plena volo obscœnis dicta libidinibus.
Ipsa leues animos in Tartara mittis, & omni
Dedecoras gentes impietate tuas.
Præficis indignos, & regna latronibus imples,
Subq; tuo luget terra fretumq; iugo.
Nec te stultitiæ, nec te leuitatis vbiq;
Arguo, tale tuum dat tibi nomen opus.
Efficiam certè ne me experiaris inertem,
Efficiam gladio confodiare tuo.
Desine deceptrix hominum Fortuna minari,
Nouimus & mores ingeniumq; tuum.
Fas & iura times pro legibus vteris armis:
Nec pudet insontes præcipitare viros.
Te Duce Romani maduerunt sanguine reges,
Et pleriq; sua procubuêre manu.
Bella moues, nec scis motos sedare tumultus,
Sæpius accenso territa Marte fugis.
Nouimus ad Trebiam, Cannas, Transimenaq; arua,
Stulticiæ vires consiliumq; tuæ.
Te rupes Tarpeia canit, canit Allia laudes,
Et Gothus & fusco Vandalus ore tuas.
Æstiferum æquiparas nimbum, qui murmure ma
Surgit, & excussa languet inanis aqua.

Falconem quoties fortemq; insana Robertum
In sordes ausa es pauperiemq; dare?
Cerne locis vt nunc niteant sublimibus inter
Purpureos patres, armigerosq; Duces.
Hi sunt quos vesana fugas, cogisq; subire,
Et terra & vasto longa pericla mari.
Alter ad Oceanum, finesq; recurrit Iberos,
Dum fidei debet præmia ferre suæ:
Alter in Alpinis niuibus, Ligurumq; per agros
Viuit, & ad Celtas, ad Senonesq; fugit:
Et quia militiæ titulis excellit, & omni
Laude nitet, duplicem fœdifragumq; vocas.
Quis sit, & eximiæ quæ sit prudentia frontis
Constat, & hoc victi non tacuêre Duces.
Hos experta potes quæ nostra potentia nosse,
Et qua conatus frangimus arte tuos.
Disce viros fortes & pectora sancta vereri,
Atq; meum cessa dilacerare genus.
Verùm adeò leuis es, tantisq; furoribus ardens,
Vt nequeas iræ vim cohibere tuæ.
Qui pinxit Lycium voluit te pingere montem,
Dum variam fingit multiplicemq; feram.
Ora leonis habes, quia primum pectora fastu
Tollis, & audaces mittis in ora sonos.
Hircus olens venter, quia quos extollis, in amnem
Desidiam proni, luxuriamq; ruunt.
Non opus exemplis, quorum mihi copia maior,
In Libyca quàm sit copia farris humo.

Vltima pars serpens, quoniam de crimine virus
Nascitur, & vitium dira venena parit.
Conscia mens culpæ Taxos, aconitaq; mandit,
Semper & in tenebras, suppliciumq; cadit.
His accensa grauem rapuit Fortuna pharetram
Et celeri torsit spicula multa manu.
Voce, manu, gladio, iaculis, cursuq; fatigat,
Et circunducto strenua pugnat equo.
Fixa manens eadem insistit vestigia Virtus,
Nec timet insanam, præcipitemq; feram.
Aegida nam rapidis Chalybum fornacibus vstam,
Et solido Clypes ex adamante gerit.
Frustra igitur Fortuna truci superintonat ore,
Atq; leues circùm fertq; refertq; gradus.
Sæuit inutiliter ceu cùm graue sibilat æstrum
Obuolutans taurum, cornupetamve bouem.
Dum videt incassum se mittere tela per auras
Infremit, & crebro verbere pulsat equum.
Dum furit incautè, missisq; vagatur habenis,
Decidit, & fracto gutturis osse perit.
Marmoreo comites mœstæ imposuêre sepulcro,
Et super hoc quidam carmen inesse ferunt:
Hic iacet insani numen mutabile vulgi,
Lege carens, sola mobilitate potens.
Arma capit Iani, variasq; ferentia fruges
Cornua, cum clauo quo vada nauis arat.
Tunc ait ex media quidam sine nomine turba,
Qui varias sortis nouerat antè vices.

Fidite Virtuti, Fortuna fugacior vndis
Non manet, & certam nescit habere domum.
Gaudia dum simulat, subuertere cogitat orbem,
Insidias ridens exitiumq; parat.
Propterea vasis Agathoclea legimus vsum
Fictilibus, verso dum timet orbe premi.
Discite quos sursum voluit rota ponere fastus,
Trudet ab excelso vos mora parua loco.

Ad eundem Falconem quod heroico carmine dicendus sit.

Falco Quirinalis decus immortale senatus
Quo duce restitui possent labentia Romæ
Mœnia, & illustres iterum sperare triumphos,
Dum modò nostra tuas elegia reponere laudes
Pergit, & exilem disperdit arundine cantum,
Ecce cothurnato gradiens heroica passu
Musa meum derisit opus, quid talibus, inquit,
Ieiunis remis audes tranare profundum?
Hic mihi non Sulmo, nec inerti nauita versu
Claudicet, huc opus est adsit vel Smyrna vel Andes.
Nam neq; Penelopes curæ, non Hippodamiæ,
Non Danaës plorandus amor, non vulnus Elissæ,
Parua decent humiles, paruo breuis hydria fonte
Conuenit, & paruis satis est breuis vtribus aura.
Vel pedes incedit media de plebe viator,

Vel querulo vehitur plaustro, vel paupere cymba.
Magnanimis rex magnus equis curruq́ superbo
Fertur, & audaces sulcat ratis ardua fluctus.
Magna decent magnos, magno Latonius arcu
Vtitur, ingenti Mauors accingitur ense,
Immenso tonat igne pater, maiora putatur
Gurgite sub vitreo gestare tridentifer arma.
Huc igitur Phœbæa cohors Phœbæa supellex
Plectra, lyræq́ volent, & sacri gloria fontis.
Huc pluat Eurotas, huc omnia Phocidis arua
Certatim gelidos latices & lactea mittant
Flumina, Lauretis, variaq́ virentia fronde.
Non sit in Aoniis regio sine vocibus oris,
Non sine laude nemus, nulli sine carmine fontes.
Illustres Falconis auos cantate, piamq́
Primæuigeneris prolem clarosq́ nepotes,
Ipse quoque altisono tollatur ad æthera cantu:
Cuncta sonent heroa nouum, quem Rector Olympi
Diuorum ascripsit numero, qui carcere liber
Corporeo implebit de sedibus ætheris vnam:
Dicite, & illustrem trans æquora mittite famam
Audiat hæc Tanais, mirentur Iberica regna,
Et Pelusiacas carmen referatur ad aures.
Et Didonis ager Romanis æmulus aruis
Audiat hæc, trepidetq́ iterum Romana reuerti
Claßica, & Ausoniis iterum dare mœnia flammis.
Scipiades iterum metuat, dum talibus audit
Nunc quoq́ Romuleas habitari ciuibus arces.

Transeat hæc Arabes nigros ea fama per Indos,
Et repetat Scythicos per Serica regna colonos.
Palladias artes rimatus in omnia venit
Phœbæq; secreta domus, primordia nostri
Fontis, & ætheream penetrauit lumine molem.
Sæpè Meduseis facunda liquoribus arua
Abluit, & nostris diues remeauit ab oris.
Ipse iubet paßim sanctos adolescere mores,
Priscaq; cœlestis renouat vestigia vitæ.
Nec peßum sinit ire pios in egena patentes
Compita fert loculos, & in agmina seminat aurum.
Ferreus ad Romæ populiq; negotia nunquam
Flectitur, & palmæ similis, quæ pondere pressa
Altius extollit ramos, oneriq; resistit,
Strenuus & solers & frangi nescius ira,
Propositi fideiq; tenax, sine munere nullos
Pro virtute fugit, pro relligione labores.
Quod nisi Falconis quicquam de laudibus aufert
Liuor, ad excelsos veterum se attollet honores,
Nec sinet extingui gentis monumenta Latinæ,
Et sua viuaci decorabit secula laude,
Inq; dies vestros rediisse videbitur ætas
Aurea, & antiquæ surget Virtutis imago.
Perpetuis igitur circumdate tempora sertis,
Et lauros, hederasq; ferat frondemq; Minerua,
Hæc ait, & ridens elegos humilemq; poësim + quae
Et caput auertens indignabunda receßit.

BAPTI-

BAPTISTAE MAN- TVANI CARMELITAE, THEOLOGI, DE CONTEMnenda morte Carmen elegiacum, sexcentis locis ab auctore suo castigatum; In quo mentem suam alloquitur Poëta.



Vid mœres? fatumq; times oblita mens?
Stulta quid hoc tantum debile corpus amas?
Dum trepidas, tuus iste metus viscera torquet
Ex animo in corpus labitur iste timor.
Aegra tuum pallet facies confessa dolorem,
Et confecta premit pectora frigus iners.
Desine tristari, non posidet omnia fatum:
Maxima pars rerum nil timet arma necis.
Nam Deus imperium vitæ præstantius esse,
Atq; breues mortem iussit habere manus.
Vnda, solum, subeunt mortem, subit ignis & aër,
Quæ suo coitu quattuor ista ferunt.
At quia longè alio sunt ædita semine, semper
Frons eadem cœlo, syderibusq; manet.

Ipſe tamen rerum pater omnia vertere poſſet
 In chaos antiquum, materiamq́ rudem,
Sed diuina ſuis bonitas non inuida rebus,
 Omnia quæ fecit viuere & eſſe ſinit.
Viuere & eſſe ſinit, proprijs quoq́ viribus vti,
 Naturæq́ datum robur in eſſe facit.
Quæ fecit manſura, manent, & robore nullo
 Confecta æternos ſunt habitura dies.
Quæ manſura minus, morituraq́ condidit, æui
 Dentibus & morbo conficiente cadunt.
Quæ ſuperant ignes iuſsit conſiſtere ſemper,
 Orbe ſub extremo debile clauſit opus.
Sunt igitur vitæ latiſsima regna, ſub aſtris
 Imperat anguſtis mors inimica locis.
Omnia nec ſubter Lunam ſunt debita morti,
 Vita aliquid mortis de ditione rapit.
Nanq́ hominum cùm ſint mortalia corpora, mentes
 Semina diuinæ ſimplicitatis habent.
Simplicitas mortem prohibet, quia neſcia ſcindi
 Nequit in partes diſſociare ſuas,
Principijs etiam non ſunt ex quattuor ortæ,
 Hoc Deus ex nullo ſemine finxit opus.
Quid mœres? fatumq́ times oblita tui mens?
 Stulta quid hoc tantùm debile corpus amas?
Debile corpus amas, cuius ſub pondere preſſa
 Volueris in turpi vilificata luto.
Nec potes ad patrios tua tollere lumina cœlos,
 Neſciaq́ æterni cogeris eſſe boni.

Debile

Debile corpus amas, cuius consortia in omne
Dedecus, in sordes in scelus, omne trahunt.
Mille per affectus ignominiosa malignos
Duceris, vt duro pressa iuuenca iugo.
Hac sub mole iaces, sicut dixêre Gigantem
Strata sub Aethneo tendere membra solo.
Corporis illecebræ, sed non intelligis, hostes
Sunt tibi, quæ incautam præcipitare solent.
Sic periit primus primi pater accola mundi,
Et factus gustu est insidiante miser.
Aspice quot curas, & quot reminiscere morbos
Ingerat hæc nobis vilis & ægra caro.
Quam facile in saniem fluat, & dapis indiga semp[er]
Vrgeat ad dandum te sibi semper opem:
Languida, segnis, iners, & semper proxima morti,
Quod doleas semper quodve queraris habet.
Quid mœres? fatumq́ue times oblita tui mens?
Stulta quid hoc tantum debile corpus amas?
Te dominam fecit Deus, & seruire parata es
Putribus his membris, tabificoq́ue oneri?
Excutere, atque tuas paulisper collige vires,
Iuraq́ue naturæ cerne superba tuæ.
Quis regit hos orbes? quis lucida sydera torquet?
Dic age quæ vires corpora tanta mouent?
Ver, autumnus, hyems, & torrida solibus æstas,
Curredit? has verso quis facit orbe vices?
Corpora spiritibus sunt subdita, corpora vitæ
Ipse agitant, cœlos mens regit atque rotat.

Mens sedet in nitido sublimis vertice mundi,
 Atq; suum vegetat, cingit & implet opus.
Hæc ea quæ senis res est operata diebus,
 Sola inter mentes ocia semper agens.
Ipsa suos alias mentes facit esse ministros,
 Atq; opus imperio temperat omne suo.
Orbibus adiunxit mentes, animasq; minores,
 Et docuit tanti iura ministerij.
Hæc facient inquit nebulas, hæc sydera ventos,
 Hic coitus fruges afferet, ille famem.
Hæc, quæ bella mouent, hæc astra ferentia pacem:
 Illud egestatem seminat, illud opes.
Hæc sunt quæ curas, hæc sunt quæ gaudia mittunt,
 Ista leuant homines altius, illa premunt
Semina virtutum radijs oriuntur ab istis,
 Turpis ab his vitæ nequitiosus amor.
Hæc est stella nocens, dubijs hæc prospera regnis,
 Hæc hominum vitas auferet, illa dabit.
Omnia mortalem variant quæ sydera mundum
 Aethereis fecit cognita spiritibus.
Sic dedit has animus leges, artemq; mouendæ
 Molis, & his mundum legibus astra regunt.
Corpus in hoc animus missus quasi consul in vrbem
 Intrat, & hæc animæ machina parua subest.
Mentibus exilium dedit hoc Deus, vt iuga mundi
 Iusticiæ officijs & pietatis emant.
Vita hæc Hippodromus, vita hæc est grande Theatrum,
 In quo cuiq; suus dat sua iura labor.

Quisq;

Quisq; sibi sudat, sunt qui se in sydera tollant,
Sunt qui ad Plutonem præcipitanter eant.
Spiritibus maior datus vt maioribus orbis,
Sic animus seruat membra minora minor.
Ipse potest iras, Ganeam, Veneremq; domare,
Et calcare suo turpia vota iugo.
Te Deus his igitur membris præfecit, vt omni
Quod prohibent leges sedulitate domes,
Tu vires ne absconde tuas, neu cede labori,
Ista est arbitrio cura relicta tuo.
Vt Deus & cœli moles, elementaq; maior,
Sic quoq; nos mundus dicimur esse minor.
Nos inquam: nam plura sumus, quæ copula in vnum
Cogit, & hic mundus dicitur esse minor.
Omnia quæ in mundo fieri maiore videmus,
In nobis simili cernimus esse modo.
Cor, iecur, atq; caput, cœli, sunt sydera sensus,
Est animus nobis cum ratione Deus.
Cætera si vigili studio quæsiueris, intra
Corporis humani membra videbis agi.
Quattuor humores tibi siue elementa, quod exit
Quattuor ex istis corpora mixta voces.
In genera & species redigas, sunt plurima vitę
Indiga, & in nobis est animæ omne genus.
Sylua pili, genitale pecus sunt aëris imbres
Pituitæ summa quas pluit arce caput.
Fulmen erit resonans ardor qui naribus exit:
Et ventos stomachi venter, & aluus habet.

Vtq; Deo in mundo superi maiore ministrant
 Hic tibi spirituum copia semper adest.
Sunt & quos genuit iecur, & qui corde creantur,
 Quiq; in sublimi verticis arce sati.
Hæc tibi virtutum sunt instrumenta tuarum,
 Et celeri quouis mobilitate volant.
Tu Deus ergò tui tu prima potentia mundi.
 Atq; ita tu mundi lora minoris habes.
Sis vigil, atq; datis tibi legibus vtere cœlos,
 Suspice, vt immotis legibus astra meant.
Quid mœres? fatumq; times oblita tui mens?
 Stulta quid hoc tantum debile corpus amas?
Collige dispersos bona per mortalia sensus,
 Et noli in falsis degenerare bonis.
Ad bona vera redi, quæ sunt cœlestia, nec te
 Terreat intrandus propietate labor.
Certandum est, nulli veniunt sine Marte triumphi,
 Et nisi certanti nulla corona datur.
Est Deus, est æther, pretium certaminis huius
 Hæc faciant pugnam præmia tanta leuem.
Vadis in æthereos alacris post funera campos,
 Conuenit æternis mentibus ille locus.
Cælestes animæ sociam te in lucida tollent
 Atria, fœlices es habitura domos.
A grauibus curis, à sollicitudine longa
 In requiem venies, pacificosq; lares.
Elysijs inter superos versabere campis
 Subiectusq; tibi totus Olympus erit.

Inter abundantes epulas & prandia lauta,
Nectareos latices ambrosiamq; bibes.
Talia cœlestis sonat ad conuiuia cantus,
Et quod mota ferunt sydera dulce melos.
Cum superis viues & contegnabis Olympo,
Tanta futura tua est gloria, tantus honor.
Hic æterna quies, hic est æterna voluptas,
Vitaq; perpetuis accumulata bonis.
Quid mœres? fatumq; times? oblita tui mens?
Stulta quid hoc tantum debile corpus amas?
Corporis interitum metuis, labor vltimus ægram
Sollicitat, mortis nomen inane times.
Certum est in cineres corpus mortale reuerti,
Sed tamen æternus non erit ille sopor.
Sunt iterum nostræ redituræ in corpora vitæ,
Membraq; iuncturis restituenda suis.
Et quid inepta times? non sunt in morte dolores,
Si dolor in morte est, est timor ille dolor.
Fac timor absit, erit fatum sopor, atq; sepultis
Corporis inualidi sensibus alta quies.
Terrificam mortem facit ignorantia rerum.
Quid timeat nescit, qui sua fata timet.
Languida namq; potens vbi vincere pectora languor
Incipit, in toto corpore sensus hebet.
Pugnaq; iam cessat, postquam natura veneno
Cessit & hostilis abstulit arma manus.
Victa iacet Virtus, sine vi subit atria languor
Frigidus, & vitæ depopulatur opes.

Mors vbi iam sua signa videt procul arce leuari,
Ingreditur placido membra subacta pede.
Languor enim cautus necis armiger impia furtim
Castra mouens, hostes obsidione premit.
Non tuba, non litui, non aerea cornua clamant,
Nec faciunt vllos ora nec arma sonos.
Miles vt ad muros queat improuisus adesse,
Ipse Deus plantas iussit habere leues.
Castra necis sunt haec, hoc milite bellat acerbus
Languor, & obscuram mittitur ante necem.
De fragili velox animae fuga corpore, mors est
Expectanda magis, quàm metuenda viro.
Quid moeres fatumq́; times oblita tui mens?
Stulta quid hoc tantum debile corpus amas?
Scaeuola contemsit mortem, contemsit Achilles,
Et clari ac fortes magnanimiq́; duces.
Illi etiam quibus est vitae spes nulla futurae,
Qui fidei nostrae relligione carent.
At tu cui sacro caput est in flumine lotum,
Et quae clara nouae lumina legis habes,
Funera formidas, & scis de funere nasci
Vitae aliud praestans eximiumq́; genus.
Si tamen in fato dicas signa esse doloris,
Quae moueant fortes magnanimosq́; viros.
Namq; oculos atq; ora modis se inflectere miris
Mortis in horrendo vidimus introitu.
Accipe rem veram, falsis nec frangere formis,
Nec paueas instar desipientis anus.

Si qua ferunt ægri vicinæ in limine mortis
Non facit immanis talia signa dolor.
Occurrunt variæ quasi somnia vana figuræ,
Perturbantque animos, incutiuntque metum.
Propterea multo speculis audiuimus altis
Sæpius & summo desiluisse loco.
Hoc facit illudens fallacis imaginis error,
Non veniens morbi de grauitate dolor.
Et stipulas quando subeunt incendia torto
Stipite tristitiam significare putes.
Quid mœres fatumque times ob'ita tui mens?
Stulta quid hoc tantum debile corpus amas?
Quare ita degeneras vt ames mortalia tantum?
Nec videas ortus principiumque tuum?
Ignea cùm tibi sit vis & cœlestis origo
Quid cupis hac lutea degere clausa domo?
Quid tibi cum saxis, quid cum tellure lutoque?
Ipsa Dei vultus effigiemque geris.
Ista relinque feris, tua sunt cœlestia tecta,
Non patria est nobis terra, sed exilium.
Quid precor exilium patriæ præponere mauis?
Cæcaque terreni carceris antra pati?
Dulce est ad veterum cœtus migrare parentum,
Tam celebri insignes cernere laude viros.
Quæ iucunda magis cerni spectacula fas est
Quam spectare vno sæcula cuncta loco?
Quòd si fortè cauæ metuis tormenta Gehennæ,
Et Stygis ardentes ne patiare lacus,

Scire Deum debes nobis mortalibus hostem
Non fore, inhumanum non decet esse patrem.
Vt decet esse pium sic est pius esse putandus,
Qui putat immitem, non putat esse patrem.
Non putat esse Deum, quis enim consenserit illum
Esse Deum demens, quem neget esse pium?
Est Deus omne bonum, Deus est quæcunque putantur
Optima, sed melius quid pietate dabis?
Quid mœres? fatumque times oblita tui mens?
Stulta quid hoc tantum debile corpus amas?
Expectat te summus apex, te regia cœli
Clamat, & æterni curia sancta patris.
Dic age, iacturam quid amas? tua damna quid optas?
Nonne putas summo damna carere bono?
Dic age quid trepidas, mea mens, in amica venire
Atria? quid pœnam suppliciumque times?
Quantumcunque grauis furis tibi conscia culpæ
Corde dole, crimen diluit omne dolor.
Scimus enim quæ sit nostri clementia patris.
Quàm facili nostras audiat aure preces.
Corda Deo dabimus, lachrymisque litabimus illi,
Nulla accepta magis sunt holocausta Deo.
Si luges, pater indulgens tua debita soluit,
Vult humiles animos, vult pia vota Deus.
Grata Deo non sunt fumantia thura, nec aræ,
Nec sacra, si cordis relligione vacent.
Virga recens Zephyris, neruo curuabitur arcus,
Igne chalybs, Adamas sanguine, corde Deus.

Cedite terrenæ, turpißima vincula, curæ,
Cedite, nec mentes sollicitate pias.
Fama, voluptates, honor, atq; potentia, & omnes
Fortunæ & fato subijciuntur opes.
Hæc sunt quæ incautas rapiunt in Tartara mentes,
Ista solent nostros illaqueare pedes.
Hæc pereunt, tu sola manes, tu nata Tonantis
Mens mea fronte hilari regna paterna pete.
In gremium patris atq; sinus & in oscula curre,
Surgit in amplexus regia tota tuos.
Serta parant capiti, radijs illustris & auro
Ibit ad extremos candida læna pedes.
Omnia in aduentu miraberis agmina diuûm
Conuersa in plausum lætitiamq; tuo.
Talis enim sanctos pax & concordia ciues
Iungit, vt in pelagus grande redundet amor.
Propria virtutum variant insignia quosdam,
Sed proprium charitas nil tamen esse sinit.
Vt communis amor, sic & communia cunctis
Omnia perfecto nil in amore suum.
Quid mœres? fatumq; times oblita tui mens?
Stulta quid hoc tantum vile cadauer amas?
Ergò libens & sponte pedem trans limina mortis
Porrige, nec fati nomen inane time.



BAPTISTAE MAN-TVANI CARMELITAE, THEOLOGI, CONSOLATIO in mortæ Collæ Asculani.

AD IOANNEM BAPTISTAM Refrigerium.



VLCE Refrigeri Vatum decus Aoniorum
Qui veteres riuos bibis & noua flumina Phœbi,
Dulciloquus lauræ vates vbi proluit ora,
Extinctum nostra dici testudine collam
Poscis, & antiquæ me regna reuisere Dirces
Oblitum per iter, lucosq; subire silentes
Rupit vbi sanctos monstri grauis vngula fontes.
Cogit amor parere, tamen graue pondus abhorret,
Debilis, & tardi sensus sibi conscia virtus.
Ingrediar quasi nauta fretum cui nulla secundat
Aura, legam remis, donec ferat Aeolus austros.
Rore Meduseo quisquis perfusus & arte
Fretus Apollinea vult digno extollere cantu
Ex oculis raptum præsenti funere Collam,
Diffusum lateq; patens se mittit in æquor
Nonnisi consumptis subiturus littora remis.

Hic vir erat, quem dum terras pietate carentes
Flaminiamq; premi bellis ciuilibus oram
Vidissent superi, quorum ossa Bononia sacris
Aedibus obseruat, fractis misère daturum
Rebus opem, superis etenim tutela piorum est.
Hic vir erat similem rarò cui nostra tulerunt
Tempora, cordato seruans in pectore mentem
Innocuam, longo rerum prudentior vsu,
Consilio bonus, ore potens, pietatis & aequi
Publicus assertor, doctrinarum atq; leporum
Hospitium, redimendum hederis & virgine Phœbi.
Eximius foris atq; domi, bellumq; togamq;
Antè alios doctus, doctus componere pacis
Ocia, ciuiles iras compescere doctus,
Praecipitesq; leuis vulgi sedare tumultus.
Illaesum seruare inopem, succurrere egeno.
O quoties rixas, quoties surgentia pugnae
Germina succidit, primoq; repreßit in ortu.
Saepè recrudescens odium fracturus in arma
Prosilyt, clausitq; suo fera bella periclo,
Neve forent orbi, seruata prole, parentes
Fecit, & obscuro mortis de limine rapta
Duxit ad afflictas sua dulcia pignora matres.
O quoties vetuit tristes incedere pompas
Funeris & ferri teretes per compita taedas.
Si modò lex esset qualis fuit antè Latinis,
Cingere frondenti victricia tempora quercu
Belligero ciuem si quis seruasset ab hoste,

O quoties decus hoc, quoties hæc gloria Collam
I[illegible] [illegible]isset, honor nulli datus iste fuisset
S[illegible]us, à teneris ita se assuefecerat annis.
O dignum Pylios hominem qui vinceret annos,
Et qui Chalcidicæ vatis transcenderet æuum.
Omne bonum paucis properans elabitur horis,
Inuisasq; domos hominum pollutaq; linquens
Limina, syncerum petit vndè recesserat orbem,
Non secus ac varijs emißi fontibus amnes
In magnum refluo voluuntur Nerea cursu.
Nam quod amant superi procul à tellure lutoq;
Ad sese in sublime leuant, terrenaq; regna
Egregijs spoliant animis, Dictæa corona,
Iulia flamma, puer Phrygius, Iouis hispida nutrix
Et fera quæ circà Ripheum voluitur axem
Hoc docuit, testantur idem noua funera Collæ.
Et quicquid placuit superis rapit arduus æther.
Et licet Asculiæ veniens à mœnibus vrbis
Fregit vbi Aeacidem Romana potentia Pyrrhum
Aduena Flaminijs foret & nouus incola campis,
Felsinea tamen vrbe senex donatus adibat
Concilium patrum, & consulta arcana senatus
Sexdeni, quæ Felsineis est summa potestas.
Hic plebem, populum ac patres gentemq; sequutus
Bentiuolam genus excellens & amabile nomen,
Magna quidem, meritis tamen & virtute minora
Dona tulit, patriaq; suæ decus attulit ingens.
Venit ad exequias & lamentabile funus

Turba frequens animi lachrymis testata dolorem.
Vix alium tantis fleuit singultibus vnquam
Felsina, vix tanto fuit vnquam naufraga luctu.
Germanum fleuêre patres, fleuêre minores
Patronum, miseri atq; inopes fleuêre parentem.
Qualis enim ardenti quum Delius ignea curru
Herculeæ premit ora feræ morientibus herbis
Riuus, & altiuolis cribrati nubibus imbres,
Hic vir erat talis miseris & egentibus, antè
Quàm foret illius facies tua funere tristis.
Affuit Hannibalis proles pulcherrimus Heros
Et patriæ princeps & libertatis amator,
Ignea dentatæ cui sunt insignia serræ
Et veteris mœsto lachrymas in funere amici
Fudit, & inferias tristi decorauit honore.
Sic nostras fugit ille domos, fruiturq; cœlo
Mens abit in terris spolium mortale relinquens.
Tu Collam Baptista graui mœrore sepultum
Prosequeris, lachrymisq; modum non ponis, amati
Fata senis plorans longo sine fine dolore.
Hactenus est fleuisse satis, decet ocia fessis
Reddere luminibus, longum suspiria tempus
Increpat, hoc animo fortine gat esse decorum.
Hoc potius muliebre opus est, & molle, quod omnes
Magnanimi fortesq; viri damnabile dicant.
Hoc est more feræ sensum sine lege vagantem
Post habita ratione sequi. Si tristia ferre
Non potes, humanis opus est discedere rebus.

E vita migrare opus est, quia vita dolorum
Est pelagus, fons curarum, sententia laborum,
Quid te inconsultè pergis macerare? quid omnes
Perdis in hoc casu lachrymas, quasi nulla supersint
Tempora, quæ poscant lachrymas, fœcunda malorum
Sors tibi multa parat luctu non flenda minori.
Paulatim lamenta moue, nec libera curis
Lora dato, totosq; sinus ne pende querelis.
Vna dies homini non est ploranda, sed ætas.
Mœrori gemitus aliquot seruare futuro
Ne pigeat, lugubre aliquid lux altera portat.
Quod doleas aurora dabit tibi crastina semper.
Colla tibi lachrymis volat in sublime relictis,
Atq; leues hominum curas vanosq; timores
Mortis & insanum vitæ inconstantis amorem
Mirantem pudet his tantum latuisse sub vmbris,
Stulticiæ pudet humanæ, mens ebria quando
In membris habitat mortalibus, omnia visu
Prospicit obliquo, nec cœlum agnoscere, nec se
Scire potest, moles terreni corporis aufert
Iudicium, plorat quæ sunt ridenda, pauetq;
Profutura, cupit nocitura, ignara futuri,
Interitus studiosa sui, labat, ambigit, errat.
Vilibus exemplis res insinuare latentes
Cogimur, ex minimis deprendere maxima fas est.
Si qua ouis in tenebris & opaco semper ouili
Vixerit, ignoransq; diem sub nocte senescat,
Nec riguos vnquam fontes nec amœna virentis

Rura

Rura soli, neq; florentes cognouerit agros.
Non volet obscuri trans pallida limina tecti
Ferre pedes assueta fimo breuibusq; latebris.
At quae graminei cognouit pascua campi
Quae potauit aquas riui salientis & amnes,
Quaeq; solet molli recubans in gramine natos
Mirari inter se teneros colludere in herba,
Et nondum natis praetendere cornibus iram,
Manè memor ruris balatibus ostia crebris
Pulsat, & ad campos rogat importuna reduci.
Sic quid mente polum fuerit transgressus, & altos
Viderit aeterno fulgentes lumine campos
Non metuit tua ligna Charon, non flumina Lethes.
Nec pauet ad triplicis latrantia guttura monstri.
Haec trepidant, quibus ignauos inscitia sensus
Lethaeis hebetat nebulis, quae in tartara prona
Ora gerunt, nullumq; tenent in pectore numen.
Aspice sydereum Paulus qui viderat axem
Quàm magno terrena animo contemnat, & ipsam
Qua nihil est homini grauius quo pectore mortem
Intentatam adeat, rigidos vt rideat enses.
Heu demens, heu mentis inops, heu luminis expers
Qui solas miratur opes telluris & vndae.
Nec videt aethereus cur tot splendoribus orbis
Luceat, & tantum cur sol ferat ore decorem.
Scilicet arrident nobis coelestia, nosq;
Laeta vocant, vultuq; inuitant astra sereno.
Nos bona sola rati nostros quae proxima sensus

Dulcibus illecebris palpant, curare solutos
Credimus hæc eadem (tanta eſt dementia) manes.
Quæ peiora colunt animæ loca tartareumq;
Sub Phlegethonte chaos, vitales forſitan auras
Vt fugiant tormenta volunt, iterumq; ſubire
Corpora, & ægra pati rurſum moribundaq; membra.
Sed quæ fœlices habitant immobile cœlum
Quaſq; ſub obſcuris cruciat breuis ignibus ardor
Vt ſuperos ſine ſorde petant, & in æthera functæ
Fecibus aſcendant, remeandi in corpora nulla
Cura mouet, nullo viuendi ardore feruntur.
Illectæ campis illæ melioribus, iſtæ
Tempora ne perdant, & quò cœleſtis Olympi
Inueniant breuiora viæ compendia ad arcem
Accipe, & antiquos paulùm reminiſcere caſus,
Quos legiſſe etiam primo te credimus æuo.
Nauibus inſtructis Euxina per æquora Colchi
Et Aſia Europam curſu petiêre citato,
Cum Medæa patrem fugiens tulit aurea ſecum
Vellera, & occiſi diſcerpſit viſcera nati.
Curua diu poſtquàm legerunt littora circùm
Remigio abſumpto feſſis iam puppibus iſti
Grandia conuerſis ſubierunt oſtia proris.
Fluminis hoſpitibus ripæ arriſêre virentes,
Et longè herboſo veſtiti gramine campi.
Pannonijs tandem regnis ratibuſq; relictis
In loca venerunt agris contermina noſtris,
Illyricum iuxta pelagus, ripamq; Timaui.

Miratiq;

Miratiq́; solum fœlix fœcundaq́; rura,
Et noua regna magis Phœbo vicina calenti,
Dedidicêre lares patrios & frigida Ponti
Rura, suasq́; alio sedes sub sole locarunt.
Et fluuio per quem fluctus liquêre marinos
Traxerunt quod adhuc retinent cognomen ab Istro.
Quòd si terra ferax & agri melioris imago
Vsq; adeò Scythicæ durißima pectora gentis
Flexit, vt & dulcem patriam charosq́; penates
Sponte sua linquens Italis consederit oris,
Cur animas quæ iam pedibus sublimia calcant
Sydera, quasq́; breui pœna afflictura dolore
Mittet in æthereos paruo post tempore ciues
Miramur natale solum contemnere, & omnem
Progeniem post se terrena in luce relictam?
Est etiam quare remeandi nulla libido est
Manibus hæc ratio, quod scilicet omnia norunt
Sæcla illuc pronis vt lubrica flumina lymphis
In mare deferri, quod proxima fata suorum
Esse vident, sperantq́; breui se cernere functos
Corpore, quos ardenter amant, ac cernere curant.
Adde quod aßiduè properantibus vndiq; ad Orcum
Ex tellure animis quos carcere fata relaxant,
Quicquid agunt viui in terris & in æquore discunt.
Dic age, cùm luteo fractis è corpore vinclis
Euoluat in tenues liberiam spiritus auras,
Vtq; aiunt morimur gelidosq́; relinquimus artus,
Quæ bona vel potius quæ non mala perdimus? erit

Quisquis in hoc aliquid terreni fornice mundi
Syncerum putat esse bonum. Chaos omnia in vnum
Hæc humana Deus grandi confudit aceruo,
Tristia cum lætis glomerans simul omnia miscens,
Ne pax hoste carens transiret in ocia somno
Dedita, ne nostros sopiter inertia sensus.
Vt cecinit solers rerum speculator Homerus,
Iuppiter ante suum statuit duo dolia limen.
Læuum felle viret, dextrum capit aurea mella.
Quando leues animæ celeri per sydera lapsu
Ingrediuntur iter, veniuntq́ in noxia membra,
Sunt quæ cærulei cratera & pocula fellis
Sunt quæ mixta bibant cum glauco mella veneno.
Mel nulli sine felle datur, quia pura voluptas
Mortales pertæsa domos & perfida regna
Postquam cesserunt Ioue principe sæcula patris
Fugit in æthereos naturæ simplicis ignes.
Fugit, & hæc dixit nunquam sine matre redibo.
Mater ei fuit Erigone, quæ innoxia rexit
Secula, quæ fugit scelus indignata nefandum.
Sunt quoq́ qui memorent animas, cùm sydera lapsu
Prætereunt volucri, moribundaq́ membra subintrant,
A stellis trahere affectus habitusq́ malignos.
Et dare Saturnum lachrymas, mendacia fraudes
Mercurium, coitus Venerem Mars dicitur iram,
Sol risum, somnos nocturna infundere Luna.
Hæc figmenta volunt hominem dum vescitur aura
Aetherea non posse malis se absoluere, quando

Ipse

Tum didicit Calaber sonipes Cataphractus in hostem
Currere, & armatos equites in prælia ferre.
Oppida tum foßis circumdata, mœnibus vrbes
Et procul aduectæ peregrino à littore merces.
Tunc abies montana fretum sulcauit, & alnus
Incrementa mali tepefactis sanguine terris.
Tunc etiam nostra rubuerunt æquora cæde.
Tum procerum delecta manus, tum Typhis & Arg
Inclyta Phryxææ petierunt præmia lanæ.
Iam nullus sine cæde locus, pax nulla per æquor,
Nulla quies terris, totum scelus occupat orbem.
Tristia quid memorem Thesææ carbasa proræ?
Quid patris interitum Thesei? quid Cnosia virgo
Te referam, quam durus amans pro munere vitæ
Liquid in ignotis morituram atrociter oris?
Quid iuuenem lacerũ? matrem quid Amazonar
Confusamq; domum Priami, Troiamq; ruentem?
Quid genus Aeneadum? quid nigri regna Darij
Lapsa canam? Quid rapta Ducis tentoria Pori?
Quid siculum Libyco spumantem sanguine Pontu
Prætereo Gallorum ausus, Italosq; tumultus,
Arma Tagi taceo, profugum paruoq; latentem
Nauigio Xerxem, totum qui absconderat æquor
Puppibus, & latos armato milite campos.
Te quoq; prætereo tua quem pulcherrima proles
Misit in arma senem luctuq; affecit amaro
Rex Solymi venerande soli, tua gloria tantis
Obscurata malis, nisi te miserata fuissent

Ipse etiam nocet aduersis influctibus æther.
Doctiloqui Vates animas obliuia Lethes
Cur potare canunt, quando in mortalia rursum
Corpora coguntur tristi descendere fato?
Nempe quòd istius non posse incommoda vitæ
Ferre putent illas, si cœli gaudia & illud
Dulce recordentur vitæ genus, vnde coactæ
Sunt labi ad miseræ vana hæc ludibria terræ.
Prosequar ærumnas veterumq́; antiqua maioru
Principia, ex ipso sic sacra volumina cogunt
Credere, ad humanas mentes labentia cœlo.
Prima Deum priscis legitur discordia chartis
Cœlituumq́; graui motas in bella ruisse
Seditione domos, aciesq́; in tartara victas
Se turpi vertisse fuga, non nouerat ante
Bella recẽs mundus, prima hinc exordia pugnæ.
Paruus adhuc & adhuc infans cunabula mundu
Dum tenet, ex vtero matris vix edita proles,
Nondum nata rudes animos acuebat ad arma.
Ista mali labes morbi hæc contagia cœlo
Orta graui terras diuorum exempla sequentes
Incendêre igni ac magnis voluêre ruinis.
Nec dilata lues in sæcula plurima, bellum
Gessit prima domus, fraternaq́; pectora primũ
Funestis accensa odijs docuêre nepotes
Hostiles armare manus, & stringere tela.
Mors modò nata suas tum primum exercuit ir
Atq; suis niti cœpit crudeliter armis.

Pugna fuit mortis genitrix, mors prima cruenta
Ac violenta fuit, vitam natura sinebat
Longius ire, odium impatiens cohibere furorem
Non potuit, liuor Stygia face concitus arsit.
Ipse etenim fratrem offendens se offendit, & ipsum
Se premit fratrem perimens, quia corpora fratrum
Corpus idem patris eiusdem sata semine eodem.
Non erat ensis adhuc, nec duri lamina ferri,
Nullaq; pinnatos feriebat machina muros.
Bella geri pugnis primo cœpêre sub æuo.
Hinc oritur pugnæ nomen, mox aspera cornus,
Fraxineæq; sudes, aliaq; ex arbore trunci
Et rigidi silices atq; vsu prælia docta,
Arma fuêre feræ. Vastus canis ibat in hostes.
Assuetus certare leo, depressa ferebant
Cornua facturi semper duo vulnera tauri,
Dente sues curuis pugnabant, vnguibus vrsi.
Inuentus mox vsus, qui frænata capistris
Ora manu regere incœpit spumantia sessor:
Et longè conspectus eques non terga sedendo
Ipsius equi premere, ast vnum duo corpora corpus
Reddita, Centauros dici noua fecit imago.
Non faber adductis accendere follibus ignes
Cœpit, & in gladios candens extendere ferrum,
Artificiq; aciem chalybis præfigere ligno,
Et telis armare manus ac tela veneno.
Hinc clypei, parmæq; breues, lituiq;, tubæq;
Aere, & rauco stridentia cornua cantu,

Rrr Tum

Numina, in æternam visa est descendere noctem:
Dicite Agenorides infœlicißima Thebæ
Claßica, & accensos in mutua vulnera fratres.
Quid sibi vult Progne pectus signata cruentum?
Quid Cyris turrita caput? Sua qualibet ætas
Qualibet orbis habet regio monumenta malorum.
Neve putes solos includi hoc turbine reges,
Fœlicemq́ dari tecto sub paupere vitam,
Nusquam tuta quies, regum sublimia tecta
Pastorumq́ casas humiles malefida ruit sors.
Eschilus euadens hominum consortia solis
Errabat campis, non illi regna, nec vrbes,
Nil à sorte datum quod perdere posset, habebat.
Carmen opes, & poma cibus, tectum fuit æther.
Ocia securo inuidit tam dulcia vati,
Et tandem incautum meditans qua falleret arte
Inuenit fortuna viam. Testudine lata.
Quam modò piscosa raptam de valle ferebat
Aëra per vacuum clauso Iouis armiger vngue,
Percussum caput in patres, heu, quattuor actum est:
Et sàtrum in gelida sparsum est tellure cerebrum.
Reddere fœlices fertur voluisse Metellos,
Sed vetuit rapidis ex ignibus eruta Pallas,
Atq́ repentino mors intentata tumultu.
Incœpit prodesse homini, cœptiq́ repente
Pœnituit, sic inconstans, sic perfida semper.
Quibus indulget multum, seruatq́ tenorem
Prosperitas, & blanda diu fortuna secundat,

Non reuocant surdos hominum suspiria manes,
Nostra nec extinctis possunt lamenta mederi.
Qui semel occiderit dulcesq; reliquerit auras,
Non illum nostri gemitus, non humida fletu
Lumina, non pullati humeri, non plurima mento
Cęsaries, non ora situ squallentia turpi,
Sed neq; dona Deûm templis oblata iuuabunt.
Hanc si fortè duæ legem fregêre sorores
Quæ fratris potuêre animam reuocare sepulti,
Non tamen hæc nobis sunt expectanda, Deûm rex
Hæc facit, & raros miracula seruat in vsus.
Ponite mortales curas, qui condidit orbem
Ipse regat, sua ne pereant custodiat ipse.
Ipse gubernator sapiens, & amore paterno
Res hominum curat quicquid descendat ab illo
Ferre decet, nec enim quicquam dat inutile nobis.
Quare illum toties precibus pulsamus ineptis?
Arbitrioq; regi petimus cœlestia nostro?
Num cœli turbanda via est ne funera fratrum,
Ne morbi eueniant, ne grandine vapulet hortus?
Aspice quo cursu cœlum, qua mole feratur.
Et cupis illa tuo tam ingentia corpora nutu
Frænari, legemq; pati? Tu portio rerum
Tam breuis & vilis, cui formidabilis vna
Est apis, insomnem pulices animalia rostri
Tam tenuis, dictu indignum, quem reddere possunt,
Flectere vis superos, & vincere fata precando?
Ac reuocare pios in olentia corpora manes?

Formidanda magis, nam contrahit omnia in vnum
Aspera, vt incautos vno magis obruat ictu.
Fata probant istud Samij metuenda tyranni
Cui datus ex imis iterum fuit annulus vndis.
Nam cùm triste nihil sors semper amica tulisset,
Experiar certè quæ sit sors aspera dixit.
Et ridens percußit aquas adamante marinas.
Nec mora, Rhombus adest, escam ratus esse lapillu
Prosequitur rictu, & gemmam vorat ore natant
Fortè superueniens piscator in æquora fundam
Iactat, & inclusum piscem dat dona tyranno.
Ille auro simul & rhombo gemmaq; potitus
Credidit in se aditum sorti non esse sinistræ.
Insidijs tandem captum crudelis Orœtes
Iußit in excelso lapidosi vertice montis
Affigi, prædamq; feris auibusq; relinqui.
Quid breuia incertæ fugitiuaq; tempora vitæ
Stringimus? ætatem properantia sydera nostram
Diripiunt, meliorq; prius pars occidit æui.
Est tamen indoctum vulgus quæ fallere poßit
Falsa boni species, quam qui comprendere frustra
Nititur imprudens & spe se ludit inani,
Hic est fallidicis sua qui quæsiuit in vndis
Ora puer, modò flos, retinens cum nomine forma
Apenninigenæ propè saxea flumina Rheni,
Sylua per vmbrosas vbi surgit plurima valles,
Vidimus humanæ speciem vitæq; necisq;
Hic quercus iacet annoso quæ elanguit æuo,

Sic procera abies, crebris quam lata securis
Ictibus excudit, dum vox à rupibus altis
Pulsa redit, resonatq́ asperis in cautibus Echo.
Esculi, tiliaq́ leues, & fraxinus ingens,
Præcipites iuxta ripas quæ creuerat alto
Radicata solo, cùm grandibus eruta saxis
Procumbit glareæ, atq́ comis cubat arida lapsis.
Glandiferas illic austri violentia phagos
Strauit, arenoso implumis iacet æquore truncus.
Solivagis vmbrosa feris habitacula quondam,
Garrula frondoso dulces quę in culmine nidos
Fouerat, ablatum nemus admiratur, & vmbras
Et quæsitum alias, aliisq́ cubilia ramis
Fabricat, inq́ noua suspendit pignora fronde.
Sic homines in fata vocat non exitus idem.
Hic ruit ex alto præceps, animamq́ gementem
Exhalat collisus humi, subit ille ruinam
Mole sub ingenti fractus, iacet obrutus vndis
Alter, equo labens alius perit, ilia contus
Huic penetrat, tepidoq́ cadens rigat arma cruore.
Et tandem variis mors omnia casibus aufert,
Quicquid alit tellus auida vorat improba fauce:
Magna Deûm mater grandi turrita corona
Quæ ligat Idæo Libycos temone leones
Quicquid inest nobis fluxum & mortale capaci
Colligit in gremio, vitæ nuda ossa futuræ
Seruat, & implendos auris melioribus artus.
Quid iuuat assiduis curas augere querelis?

Corretine, & toto noli insanire cerebro,
Non puer Astyanax matri, non chara Creusa
Redditur Aeneæ, frustra sua pignora plorat
Ausa nimis Niobe, frustra vocat Hectora mater:
Quid teris argutæ neruos testudinis Orpheu?
Quid canis ad surdos rapta pro coniuge manes?
Fata redire vetant, & lex immobilis Orci.
Quid frustra Alcides puerum per littora & agros
Quæris Hylam? Dum te insano clamore fatigas,
Ille inter dulces vitreo subgurgite Nymphas
Dormit, & affectus ridet mens libera nostros,
Non secus ac prouecti annis ridere solemus
Infantes cùm nocte pauent tenebrasq; horrescunt.
Tu quoq; quid surdum quondam florentis amici
Quottidie irroras lachrymis Baptista sepulcrum?
Crebra quid infestant ægrum suspiria pectus?
Hos tantos animæ luctus, suspiria nostra hæc,
Hæc grauiter lamenta ferunt, nàm mutuus illis
Est amor, est pietas, tolerantq; incommoda tristi
Nostra animo, cur ergò animas vexamus amicas?
Forte times diras leges Acherontis auari
Insignes pietate animas post fata subire,
Exiliumq; pati æternum, & sine fine dolorem:
Ne tibi ita illudas, neu rem turpem atq; nefandam
Hanc ascribe Deo, nihil hæc nisi credere iniquum
Crudelemq; Deum, quo nil absurdius vnquam
Audiri dicive potest, natura Tonantis
Quæ summa est bonitas tantum scelus istud abhorret.

Si nescis, vitio sua sunt, & sunt sua laudi
Præmia, nec tectis coëunt post fata sub hisdem
Candidior Virtus, nitidoq; simillima Phœbo,
Et miserum scelus obscura fuligine tinctum.
Illa volans pulchrum tremulis caput inserit astris,
Hoc pressum grauitate sua se in tartara condit.
Ista duas fecêre domos, amplissima tecta,
Orbe alio distincta animis habitacula nostris.
Viuimus hoc mixti, mixtiq; recedimus æuo.
Sed post fata Deus meritis loca debita fixit.
Cæli orbem centrumq; soli distantia magnis
Regna interstitijs, quorum confinia longè
Ne coëant elementa suis quater orbibus arcent.
Sunt quos à vitio fœdaq; libidine ventris
Blanditiæ nullæ, nullus diuellere possit
Laudis amor, nullus larium timor infernorum.
Et veluti sua lustra sues & olentia tecta
Præponunt regum laribus, quos nobile circùm
Vestit ebur, Pario tellus vbi marmore fulget,
Sic hominum genus istud iners & inutile prorsus
Ocia, delicias, Veneres, conuiuia & omne
Quod sensum delectat opus præponit Olympo.
Hos procul à superis cæliq; decemplicis axe,
Pellit ad æterno Deus antra sonantia luctu.
Huc omnes quibus est nimium dominata voluptas
Et diuina quibus visa est nimis aspera virtus
Degeneres animæ quasi purgamenta feruntur.
Sunt quibus aspectu superi meliore dederunt

Mitius ingenium, minus implicitumq́ tenebris,
Corporeaq́ minus pressos caligine sensus.
Hi quanquam maiore animo nitantur ad astra
Non tamen omne nefas possunt auertere, contra
Conspirante orco, sensuq́ in bella vocante
Sæpe animum, sæpe amissa rationis habena,
Sæpe velut ventis nauem rapientibus extra
Rectum iter infestis rationem affectibus ægram.
Propterea functos vita contagia terræ
Imbibitasq́ abolere opus est post funera sordes.
Hi subeunt Stygios amnes, errantq́ per vmbras,
Donec pestiferos mores & noxia vota
Exuerint. Auro tandem quod in igne recoctum est
Persimiles, lucem subeunt, & in æthera migrant.
Sunt quæ cœlesti perfusæ nectare mentes
In purgata magis labuntur corpora, quando
Fortunata iuuant clementi sydera vultu.
His oritur coniunctus amor virtutis, & omnes
Aduersos superant inuicto pectore casus,
Et quia deberi norunt virtutibus astra,
Lubrica derident mortalis tempora vitæ.
Hos multis fortuna modis contraria iactat
Non superat, Scopulorum instar fremitum maris omnē
Immota qui mole ferunt, sub pondere nullo
Deficiunt, etenim nullo sub pondere Virtus
Consummata labat, moribunda & tabida membra
Esse sciunt animi æterni tectoria quædam
Non victura diu, ruituraq́ tempore paruo.

His cœlum se sponte aperit, redeuntibus omnis
Cœlituum chorus assurgens occurrit, & altam
More triumphali gaudens assumit in arcem.
His pater extremi qui summa cacumina mundi
In stellante throno residens te annuit alta
Fronte suam vultu sobolem confessus amico.
Aliger insignis gladio atq; micantibus armis
Atria qui seruat, primoq; in limine semper
Excubat, & merita ingenti probat omnia lance,
His quibus ad magni sublimia tecta Tonantis
Panditur introitus, lætis ita vocibus inquit.
Viuite securi iam nunc, veterumq; laborum
Præmia percipite, & sedes implete beatas.
Discite quid pietas, & quid reuerentia legum,
Quid seruasse fidem, quid flumina sancta subisse,
Quid castæ mundæq; manus à sanguine & auro,
Quid cælo delatus honor, quid thura, quid ignes
Profuerint, grateq; pio persoluite regi.
Talibus ingreßi cœlestia limina dictis
Immortale bibunt diuorum pocula nectar
Quantum quisq; sitit, paßim conuiuia, paßim
Quæ nunquam pariunt alacres fastidia mensæ.
Omnibus vna fames, eadem sitis omnibus vnæ
Sunt epulæ cunctis, sed pars non omnibus æqua.
Transit in has igitur partes genus omne animarum.
Nam vel regna tenent quæ purgatoria dicunt,
Vel damnata malis nunquam cessantibus, æther
Restat apex mundi, diuûm domus atq; Tonantis.

Non habet in Collam ius tartarus. Illa repellunt
Antra pias animas, fugit impia tartara Virtus,
Et Phlegethontæis nunquam fuit incola campis.
Vel superos adijt, vel certo temporis orbe
Exulat, vt maculas lustralibus abluat vndis.
Mox iter ingrediens quà primo lucifer ortu
Nunciat Indorum populis ascendere solem,
Ibit ad æthereos orbes & in ardua templa,
Quà duodena micant obliquo limite signa.
Transgressusq; iugum cœli glacialis in altos
Scandet, vbi loca lata carent vertigine, campos.
Quare age deposito luctu & mœrore iacentem
Tolle animum, pelle hanc Stygiam de pectore noctem,
Regna nec inuideas patriæ melioris amico.
Nos quoq; mortales cùm vita exegerit annos,
Ibimus in cœtus illos, vbi gaudia plenis
Euomit æquoribus nunquam moritura voluptas.
Thraicios imitare Getas, qui extrema suorum
Lætitia celebrant & dulci funera cantu.



BAPTI-

BAPTISTAE MAN-
TVANI CARMELITAE, THEOLOGI, IN OBITV PEtri Nebularij declamatoris eximij Threnos.



OR miserum curis non deficientibus vnquam
Expositum, cor deuotum sine fine dolori
Tabifico, in tenuem donec redigare fauillam,
Damnati ad lachrymas oculi, ad suspiria pectus,
Guttura ad æternos gemitus, lamentaq́ nunquam
Compescenda, dies donec vos vltima soluat
In cineres, Anima infœlix quæ gaudia posthac
Nulla potes sperare, quid hoc vltra orbe moramur?
Quid patimur vitæ genus hoc crudele & acerbum?
Omnia in hoc duro vitæ solatia casu
Sunt deleta, obiens secum tulit omnia Petrus.
Et secum hoc sepelit nostrum decus omne sepulcro:
Hic honor, hîc nostræ prostrata est gloria gentis,
O amor, ô pietas multos mihi visa per annos
Blanda, quid hoc fraudis? dum te sequor, & tibi totum
Pando animum, dum accensa tuis affectibus ardent
Pectora, dum requiem duce te spero, Ecce veneno

Me petis,& Stygia spargis præcordia lympha.
O humus,ô longè fœlix tali hospite marmor,
O lapis obrizo longè preciosior auro,
Nobilior gemmis,melior Cytherei de concha,
Fortunate lapis, sub quo iacet illa, per omnem
Italiam resonans doctæ facundia linguę.
O caua Corycio spelunca beatior antro,
Quæ multò(tibi sunt ità mitia numina)dignum
Corpus odoratu tegis,atq; amplecteris, ora
Illa foues,ora illa quibus diuina sonabant
Per populos factura homines oracula sanctos,
Corda Dei toties illapsu afflata recondis,
Et caput id,tanta quod maiestate solebat
Nescio quid cœleste graui prætendere vultu,
Lætare,exulta,tibi enim, tibi numina & astra
Dulcius aspirant,Nobis ablata voluptas,
In noctem conuersa dies,& operta tenebris,
Heu,heu perpetuis,olim tam splendida casu
Stella repentino nobis lucem abstulit almam.
Si foret aduersus cœlum excandescere tutum
Si fas accusare Deum, superosq; leuarem
Stentoream vocem,& cœlum crudele vocarem,
Impia,& ad nostras nunquam inclinata querelas
Numina vociferans,quæ tot suspiria nocte
Tot lamenta die non audiuêre precantum.
O sparsi incassum gemitus, ô pectora frustra
Tot lachrymis perfusa,genæ tanto imbre madentes.
Quid prece,quid votis, quid relligione peractum est?

Thura

Thura focis arsêre, faces luxêre per aras,
Sacra litata, animi sese afflixêre dolendo,
Genua humi submissa, nihil profecimus, ipsum
Suspicor his potuisse modis Phlegethonta moueri,
Num fuit Eurydice multum plorata marito
Reddita? Minoi & Diti clementia maior.
Et tamen ex alto (sic nos sentire necesse est)
Contrahe lora dolor: nil non aequabile, nil non
Dignum laude potest in nos descendere cœlo.
Est igitur mors haec, mors immatura putanda
Aequa? salutaris? pia? non crudelis & atrox?
Aequa, salutaris, pia, non crudelis & atrox,
Illi fortè fuit, cui viuere triste, & amarum
Semper in aerumnis, cui sic ad Olympica apertum
Regna iter est, nobis certè crudelis & atrox
Cocyto absorptis, atque in Phlegethonte sepultis.
Florebam viuente illo, paßisque ferebar
In nebulas alis Praeco fuit ille meorum
Quotquot erant operum stimulos dabat ille canenti
Et mihi calcar erat, quondam vocalia nostrae
Fila lyrae, modò muta silent resoluta fatiscit
Barbitos, & laxeta aperit testudine rimas,
Sicut humus Phoebo geminos ineunte superbit
Floribus apricis & multicoloribus herbis.
At cùm bruma riget, gelidoque aquilone December
Sibilat, omne decus glacialibus vsta pruinis
Exuit, & patitur duros ingloria menses.
Sic ego dum vixit mea maxima gloria Petrus,

Lætus eram, facundus eram, cùm raptus acerbo
Funere in æternam Eclypsim stellantia clausit
Lumina, diriguit fracto mea robore virtus.
Langueo, vt amißis quondam frondosa capillis
Laurus, vt excußis violata monilia gemmis.
Sicut in igne virens truncus lachrymatur & ardet,
Sic mihi flent oculi, simul & præcordia flagrant.
Fac contusa suo faciant absynthia succo
Grãde fretum, quale est Troiam quod ab Aulide partit,
Aequoris istius quantum dulcescet amaror,
Si minimum mellis super instillaueris imbrem,
Tantum verba meos poßunt lenire dolores.
Nondum canus erat, longo neq; frigidus æuo,
Vixq; quater denos viuendo excesserat annos.
Ast ego bissenis, cui caligantia lustris
Lumina, debueram maturo occumbere fato,
Debuit ille meo tales in funere planctus
Spargere, & his nostros lachrymis profundere manes.
Impia mutato voluerunt ordine fata
Officijs me fungi istis, & soluere in imbrem
Hoc caput, atq; orbam fieri sine lumine frontem.
Audebam dominari animo, cohibere querelas,
Tantaq; frænato moderari incendia corde.
Promittebat opem virtus, prudentia primum
Visa est hos fluctus, atq; hac, contemnere Syrtes.
At postquam subita se in tempestate dolorum
Vidit, & in rapido curarum vortice, clauum
Perdit, & mœrore animus quasi turbine quodam

Horri-

Horrisono victus, de maiestate virili
Decidit in planctus, & fœmineos vlulatus.
Scilicet affectu minor est constantia, quicquid
Vel Stoa, vel Senecæ tradent, rigidiq; Catones
Præcipiant, minor est hominum prudentia sensu.
Qui negat insanit, natura potentior arte est.
Ite oculi in lachrymas, neq; parcite fletibus, isti
Debeo vos tumulo. Spectare quid amplius vnquam
Fas vobis, nisi funestum, crudele & acerbum?
Ipsum ego (sic etenim superi voluistis) alendum
Suscepi, & docilis, Duce me, puer atq; magistro
Primitias habuit linguæq; elementa Latinæ.
Me duce quicquid habet noua disciplina vetusq;
Hausit, & Aonij fundo tenus intima fontis
In vada descendens sese immortalibus vndis
Lauit, & extemplò in diuum se euadere sensit.
At meus iste labor, quem post mea fata putabam
Stare diu, & populis longum illucescere in æuum,
Fluxit, & in morem fugitiuæ euanuit vmbræ.
Forte lacessitum si me reminiscerer vnquam,
Vel semel in multis vitæ inculpabilis annis,
Delicto possem ardorem hunc extinguere in illo
Forsitan. Ast in me semper pius, omnia patri
Debita persoluit, quæ sors me cunq; secuta est,
Officia, & casus mecum se ingessit in omnes.
Ille meo iunctus lateri per bella, per enses,
Per iuga, cum stridens Boreas niue candidat Alpes,
Arua per, Icario cùm sydere Iulius ardet,

Et noctu cùm rura silent, quando ignea flagrant
Sydera, per syluas, & per spelæa ferarum,
Emerat officijs totum me talibus. Ergò
Debeo meme illi totum, vitamq́, animamq́.
Quicquid de Pylade, quicquid cantatur Oreste
Et reliquis, quorum toto est amor inclytus orbe,
Est minus, ista fides prisca omnia sæcula vincit.
Aeternum lugete oculi, suspiria cœlum
Audiat, & diuûm veniat querimonia ad aures.
Vade anima in tenues auras, dissoluere ab isto
Carcere, & illius vestigia quære per orcum,
Quære per elysium, cœlos & sydera lustra.
Vade per ambages, per quas Proserpina matrem
Egit, & inuenta nunquam disiungere ab vmbra.
O pia mens, quidnam tot custodita per annos
Membra fugis? membra officijs exercita sanctis?
In quibus ipsa, velut quidam Deus, illa solebas
Per populorum animos tam grande sonantia verba
Aedere, non poterat non immortalis haberi
Vis ea, quæ illapsu tam dulci in corda fluebat.
Nempè quod Amphion fidibus, quod præstitit Orpheus,
Tu poteras verbis linguæq́ volubilis arte.
O pia mens vbi nunc habitas? qua vesceris aura?
Qua mundi regione erras? puto sydera supra
Insistens nostra ista vides mortalia regna,
Et grauibus curis ac sollicitudine functus
Ocia cum diuis agis, & spaciaris Olympo.
Quæ te cunq́ tenent mundi loca, respice nostras

Has lachrymas, huc verte acies, desiste parumper
Cum superis fari, miseram neu neglige turbam.
Quid surda es? quid muta siles? quid nostra videris
Nil penitus curare, tibi tam dulcia quondam,
Colloquia? & nihil ad nostras te inflectere voces?
Quo pacto tua tecta, tuos nescire penates
Te simulas? ita omninò es spoliata tuorum
Cura ita mox? nec te pietas antiqua remordet?
Heu quã tanta tuos cæpêre obliuia sensus?
Dic mihi, nonne tui miseret te corporis? artus
Cur ita collapsos sine sensu & voce relinquis?
Cur tam mœsta tuis de te spectacula prabes?
Mors nostris inimica bonis, contraria amori,
Inuida naturæ, mors detestabile monstrum
De Stygis, & Lethes, de Cocyti ac Phlegethontis
Orta luto, procul à cœlo depulsa quid ausa es
Hoc tam immane nefas? si quid minus vtile, si quid
Incultum, rude, neglectum, vulgare fuisset,
Seruasses, caput eximium, sublime, beatum,
Dimidium vitæ vix ægrè attingere passa es.
Si sua signa Myron longo emaculata labore,
Et summa limata manu confracta repentè
Vi subita offendat, non ferre (quis ambigat?) ægrè
Non poterit, neq; mœstitiam non prodere vultu
Voceq́. Nos igitur cur non extendere luctum
Ad tumuli licet vsq; diem? quibus occidit instar
Solis opus, diuis opus immortalibus æquum?
Longa, sed affectu breuior querimonia, nunquam

Desinet affectus, faciet querimonia finem.
O pia mens non est magnum quod poscimus, audi,
Sume tuos iterum vultus, sub imagine nota
Te saltem te ostende semel, potes ore dolorem
Hunc placare tuo, tristesq; resoluere curas.
Forte times ne sit mihi formidabile manes
Cernere, & exclusas membris mortalibus vmbras:
Quod timeas nihil est, omni formidine maior
Est amor, horrificum nihil esse videtur amanti.
Transformare, veni, veteremq; ostende figuram.
Terrificum nihil esse potest in imagine prima,
Quæ mitis, quæ blanda fuit, quali Iouis astrum
Effigie, quali rutilat Venus aurea forma,
Forsitan ipsa vides, quamuis amor audeat, artus
Mortales non posse pati immortalia diuûm
Ora, memor Semeles quæ suffocata tuendo
Diuina (vt perhibent) in maiestate Tonantem.
Triste quid in tali, quid lamentabile casu
Esse potest? fracta si mens compage teneri
Desinet his vinclis, te te per inane sequetur.
Tecum erit, & voti compos in gaudia luctum
Transferet, hoc illud quod mens exposcit & ardet.
Dulce fuit Semele (si fabula vera) Tonantem
Posse sequi, & membris se non potuisse teneri.
Si quis iter carpens deserta per inuia fidum
Siue feræ incursu, seu vi latronis, opaco
In nemore amittat comitem, fert saucia casu
Corda graui, secum solus tabescit eundo.

Sic ego qui solus fessa iam ætate relinquor,
Conficior curis, atq; in mœrore fatisco.
Duximus in stimulis & in anxietatibus annos
Hactenus, & nullum non execrabile tempus
Vidimus elabi, nunc respirare sinebar,
Et mea vela dabam paulò melioribus auris.
Sed ne pars vitæ vlla foret syncera tumultus,
Ecce nouus fractis in me ruit axibus æther.
O Carmele domus veterum sanctißima patrum
Vndè genus nobis, fuit hic velut ardua in alto
Vertice palma tuo, qua nec procerior vlla,
Nec fruge vtilior, viridi nec amœnior vmbra,
Aeternum lugere potes, tibi nulla redibit
Par fortuna, dies tantæ probitatis alumnum
Nulla feret, caput ille tuum tollebat in axes
Aethereos, & maior eras Athlante, & Olympo.
Nunc humilem cadis in tumulum spoliatus honore
Frondis & herbarum, squallens, incultus & asper.
O busta, ô sancti cineres requiescite, donec
Vos redigat suprema dies in corpora rursum.
Fœlix illa dies cùm viuificata resurget.
Illa iterum facies, eademq; redibit imago
Quæ prius & melior, cùm mens post longa reuertens
Exilia, accipiet rursum sua membra, suumq;
Hospitium vetus agnoscet. Cœlum ocyus orbes
Circumuolue tuos, properantia currite sæcla,
Festinate dies, horæ ite volucribus alis.
Interea nostris defuncta laboribus vmbras

Et diuûm donata choris, quando tua tantum
Consummata valet virtus, si crimine nostro
Videris offensum, studeas placare Tonantem.

EIVSDEM DE MORTE FEDERICI SPAGNOLI FRATRIS SVI, carmen, ad Ptolomęum fratrem.

MANT.



NATVRA, quid est vt (Si fas dicere) tantum
In crimen labare? facis pulcherrima quædam
Sæpè opera, æterna quæ sint dignißima vita.
Mox velut inuidiæ tabo vitiata (dolori
Da veniam, sine me hunc æstum exhalare querendo)
Destruis, & tibi non, quasi lunæ obnoxia, costas.
NATVR. Disce loqui in matrē reuerētius, ô mea proles,
Dementire putas & delirare magistram
Metantorum operū? cunctis quæ prædicor & sum
Insita vis rebus, diffusa per omnia virtus
Corpora, & ex primis reparans genus omne elemētis?

Inferior solo qui condidit omnia fabro?
Fare. Quid est quod me accusas? & differe mecum,
Do veniam. facile est nato indulgere parentem.
MANT. Ira & amor duo sunt, vt tu quæ semina rerum
Concilias, nosti, quibus impatientius vror
Semper, at in casu multò magis ac magis isto.
Indignatur amor spolium graue, & incitat iram
Huius in authorem violentiæ. Acerbius ergò
Ira ardet sæuire, ideóq; in iurgia rumpit,
Quando vlciscendi facto via nulla relicta est,
Nec potis est ratio sensum infrænare furentem.
Vt neq; nauta potest instantem arcere procellam
Tam subito, preceps totam impetus obruit artem,
Tum reget, in mitem cùm ventus abiuerit auram,
Et ratio tepefacta animum moderabitur ira.
NATVR. Fare, Quid est quòd me accusas? & differe mecum,
Do veniam, facile est proli indulgere parentem.
Fare igitur fando ira cadet, viresq; resumet
Languida & hoc tanto mens conculcata tumultu.
MANT. Alma parens taceo reliqua infortunia quæ
Sollicitant, referam quod me modò macerat, vnum.
Impia mors (nequeo lachrymas cohibere loquendo,
Et grauitas sene digna labat. Constantia vires
Hic oblita cadit, sensuq; oppressa ruit mens)
Impia mors clari de tot mihi fratribus vnum
Impia mors modò surripuit, mors inuida nostris
Mors infesta bonis, mors quæ commune animantum
Supplicium, quæ iuge malum, longinqua timetur,

Iam vicina fodit mortalia pectora, præsens
Infernas aperit fauces, & pandit Auernum.
Digrediens post se lamenta æterna relinquit.
Mors quæ sola potest miseros nos reddere, mors quæ
Perpetuo infestat terram & maria omnia luctu.
Aspera mors claris de tot mihi fratribus vnum
Qui decorare potis fuerat sua sæcula solus,
Abstulit, vt de lanigero grege Pardus adultum
Agnum auferre solet, vel fauce Leæna rapaci.
Et florebat adhuc, & adhuc erat integer æui.
Roma vetus quando consultatura sedebat,
Maiestate virum tanta si forte repente
Vidisset superingressum, mirata fuisset,
Et rata Cecropium coram se astare Solonem,
Siue Numam veterem, Lacedæmonium ve Lycurgum
Assurgens meritos homini exhibuisset honores.
Attica dicentem si gens audisset, ab eius
Ore pependisset, sicut Demosthene quondam
Ante Macedoniæ imperium dicente pependit.
Ipse magistratu non vno insignis honores
Eximios foris atq; domi subeunte iuuenta
Pubere vix maior (præcox sapientia tempus
Venerat ante suum) meruit. Tyrrhenia nouit,
Luca sedin primis veteri contermina Lunæ.
Flaminiumq; solum, præsertim Felsina priscum
Nomen, & Vluipare tellus vicina Padusæ,
Patriaq; Argiua veniens ab origine Manto.
Transeo vt externas legatus adiuerit vrbes,

Et quali ad reges populosq; orauerit ore.
Nam neq; sola virum insignem facundia fecit,
Fecit & excellens legum prudentia quondam
De tabulis egressa decem, quas Græcia misit,
De geminis, quas Roma tulit, consulta senatus
Omnia, prætorum quoq; ius ab honore vocatum,
Et quod Semestres tulerant cum plebe Tribuni,
Et quod Cæsarij proceres, vt Roma potita est
Imperio, prudentum etiam responsa tenebat,
Non secus ac manuum digitos & nomina fratrum.
Nec verò minus historias & grandia regum
Facta, quot à prima memorantur origine rerum,
Terrarum cœliq; locos, quot regna, quot vrbes
Orbis habet, quot sunt montes quod flumina ab ortu
Solis ad occasum, quot in æthere sydera, quot sunt
Insulæ in Oceano, vires & nomina rerum
Nouerat, ingenio diuis aut altior, aut par.
Nulla habet Euterpe quæ non reserauerit illi
Scrinia. Terpsichore non dedignata vocare
In thalamos, illiq; ostendere seq; suasq;
Delitias, arcana viro communia fecit
Omnia, cum nondum teneros excesserat annos.
Concinnata nouis quæ non cognouit Olympus,
Non Thamyras, non Amphion, non Thracius Orp
Non Linus, & magno veniens Museus ab Orpheo,
Instrumenta modis illi monstrauit Apollo,
Pythagoras longa quæ non præceperat arte.
Et noua partitus vocem in discrimina fecit

Arti

Artifices alio Cytharam percurrere plectro.
Pegaseas intrauit aquas, & in intima fontis
Castalij secreta iuit, quà prima sororum
Calliope, digitis chordas exercet eburnis,
Quà canit ad cytharam tollens in sydera vocem
Mellifluam Clio, quotquot Polihymnia condit
Carmina, de magnis antiqui heroibus æui,
Quæ Vranie, quæ Melpomene, quæcunque Thalia,
Atque Erato, nostri de rebus & ordine mundi,
De mundo archetypo longum meditata reponunt.
His studijs captus vulgi consortia dudum
Reppulerat, reuocans sese in penetralia tecta.
Lucra nihil curans, nihil emolumenta, sedebar
Inter mille libros velut in cœtu atque corona
Mille senatorum consul, quid sentiat vnus
Quisque super rerum causis & origine tota
Luce rogans & nocte domi, quam plurima chartis
Lucubrata diu mandans, studioque reponens
Multa graui, quæ forte sequens mirabitur ætas.
Talis hic ac tantus mecum diuerterat extra
Mœnia, declinans ad ripas Eridanenses,
In fundo Phregosine tuo laribusque superbis,
Tale decus Phregosine tuis quale Hesperus astris,
Lugubrem patriæ ærumnam, cùm tabida pestis
Grassaretur agens mortem cum milite & armis
Omnibus in plebem & patres, sacra atque prophana
Limina, cùm subiens totam igni incenderet vrbem,
Dumque fugit mortem, mortem incidit impia passus


Sydera,& atrocem fati implacabilis iram.
Heu heu quam nihil est nostrum vigilare, supersunt
Cladibus his soli quos cœli & numina seruant.
Sic ornata bonis tot præcellentibus vmbra
Mortali hospitio & nostris est functa tenebris.
Meq; inter lachrimas inter suspiria, & inter
Quod longè est grauius, duræ necis arma relinquit.
Diua parens natura præcor succurre iacenti,
Et mox si quid habes opis impertire sepulto.
NATVR. O mea progenies, quæ sic in funere fratris
Te crucias, quid mœrorum tantum atq; dolorum
Concipis? & frustra præ meris luctu Halcyonæo?
Non fuit hoc maior Niobem qui in dura redegit
Saxa dolor, qui populeos (si fabula vera est)
Transtulit in ramos merso Phaëtonte sorores,
In canis effigiem matrem Hectoris. Ille cicadam
Qui genuit mœror, fuit imbecillior isto,
Quando vir Auroræ nati super ora dolorem
Euomuit toto in lachrymas abeunte cerebro.
Quo fit vt ipse egeas ope, quem Symplegades ista
Comprendere vias huius maris ignorantem,
Non germanus, ab his liber qui nauigat vndis.
Vt sedare igitur valeas flagrantia corda
Et melius post hac de me sentire, docebo
Quædam pauca tuæ cursum rectura Carinæ.
Accipe, & hæc imo memor esto recondere sensu.
Ex animo constant homines & corpore, corpus
Membratim formare meum est, in semine rerum

Clausa operor, miris&modis vitalia fingens
Organa, distendo ventis & sanguine venas.
Hs etenim sicut moles terrena vapore
Ingenito ac fluuijs, corpus percurritur omne.
Immortalem animum membris infundere, nostra
Non opis est, pluit ex astris, descendit Olympo,
Et subit hos artus moribundaq; corpora tanquam
Aere grauem thoraca pugil, procedit in orbem
Terrarum, velut in quandam gladiator arenam
Pugnaturus, habet laruas Phlegethontidas extra
Corpus, & affectus in corpore semper, & istis
Hostibus est opus aßiduo certare duello.
Præmia victori cœlum est, & tartara victo.
Tunc finem certamen habet, cùm vita recedit
In tenues auras, cùm vult qui sydera torquet
Arbiter, ille animos vt solus ab æthere mittit,
Sic agit hinc solus, iustoq; examine librat.
Nemo igitur nascens venit huc, mansurus, in orbem,
Sed semper carpturus iter tela inter & hostes.
Ergò quid accusas matrem mea chara propago?
Quæ potui bona cuncta dedi, si sydera possent
Permutare vias, longè meliora dedissem.
Nam quamuis habitem cœlos quoq;, & omnia versem
Sydera, non tamen est mihi fas deflectere cursum
Tramite ab antiquo, Sed iter seruamus ad vnguem
Quod primum instituit cùm res distingueret Autor.
Illi ego (nam mundi non sum Regina) ministro.
Ipse dat ætates, ipse est qui diuidit annos,

Fortunas

Fortunas ac fata, nihil sine legibus eius
Fas fieri. Qui me dicunt regnare, nec vllum
Esse Deum, peccant, non sum regina, ministro.
Ergò quid accusas matrem mea chara propago?
Hoc quoq; quod fratris luges in funere, vanum est.
Talis enim nil triste tulit, nil flebile casus.
Si verum inspicias, solus tibi noxius error,
Error apud superos risus, velut error apud vos,
Qui vacuam pueros facit exhorrescere noctem.
O mortale genus, si fas cognoscere vobis
(Sed Deus id prohibet, dedit hæc spectacula solis
Dulcia Cælitibus) quid agant post funera manes,
Qui bene de cælo meriti, lamenta silerent
Omnia, & exequiæ fierent conuiuia, luctus
Vaderet in choreas, Hymenæa in carmina planctus.
Quem tuus extinctum gemit ac desiderat error,
Aethereo frater gaudens successit Olympo.
Et cum patre bonis fruitur cælestibus, inter
Cæligenas diuos fato defunctus, & vmbris,
Nil mihi nil cælo debens, mihi corpora soluit
Quæ dederam, cursu reditura in prima peracto
Corpora, quæ vestri dicunt elementa Sophistæ,
Cælo autem cælestem animum, qui venerat astris,
Qui propriè dicendus homo est, licet hæc & ad ipsum
Noster Aristoteles extendat nomina corpus.
Est homo non oculis forma hæc subiecta, sed ipsa
Mens interna regens corpus, vt Nauita puppim,
A solo conflata Deo non ex elementis

Hausta, nec ex cœlo, simplex, quo semine nata
Nescio, sed certè superis res proxima diuis,
Quos opifex primo mecum produxit ab ortu.
Ad quod anhelauit pubentis ab vsq; iuuentæ
Tempore ad extremum vitæ, quod cernere visu
Quod tractare manu tanto sitibundus amore
Quod quærebat habet, sine sollicitudine in æuum
Possessurus apud superos, vbi viuere verum est.
Vmbra leuis vento volucriq; simillima flammæ
Est ingressa locos, melos immortale, sonantes.
Et spacias latis campis per amœna vireta
Pascitur Ambrosiam, diuinaq; pocula nectar
Quo fontes amnesq; illa regione redundant,
Potat, & affectus hominum deridet inanes.
Parce superuacuis igitur te incendere curis,
Et bona multiuagam coge ad cœlestia mentem,
Quòd si fortè doles, quòd abest, quòd cernere vultus,
Quòd conferre gradus, & quòd congreßibus vti
Non liceat solitis, ac viuo murmure verba
Reddere, quæ humanæ pars est non vltima vitæ,
Talia fraterno solari incommoda lucro
Fas tibi, prosperitas eius, tam læta voluptas
Sit tibi, germano in cœlum lætare recepto.



EIVS-

EIVSDEM DE MORTE IOANNIS SORETI Galli Carmelitarum Prioris generalis.



ENS *mihi sæpè fuit pro te quoq; sumere plectrum,*
Atq; tuas nostro complecti carmine laudes,
O niuei quondam pastor gregis, ò pater altæ
Rupis, & irrigui fontis, montisq; beati,
Cuius inaccessis Vates habitasse sub antris
Fertur, & euentus rerum cecinisse futuros.
Sed mea sopito stupuerunt sanguine corda,
Vt solet hiberno tellus cùm frigore torpet,
Postquam fama tui mœstißima nuntia fati
Tristibus auspicijs Italas peruenit ad oras.
Omnia tunc gelido riguerunt membra timore,
Tunc lyra lapsa manu, digitis tum plectra remisit
Sunt collisa solo, tremulo vox defuit ori.
Languida mœrentes hebetauit inertia sensus,
Et dolor ingenium viuax sopiuit & artes.
Tunc mihi cùm ægrotos vis morbi vinceret artus
Raraq; vis traheret fessum suspiria pectus,
Consilium fuit inuisa decedere vita,

Et tecum limen patriæ melloris adire,
Pascit vbi tutas dulcis concordia mentes.
Fecissemq; vtinam, nam post tua funera nunquam
Vidimus optatos portus, nos spumeus Euris
Flantibus vndarum tulit in contraria feruor.
Littora Carmeli Solymosq; apprendere campos
Dum cupimus, dum quisq; suis annitimur armis,
Pellimur in Syrtes, nauemq; ferentibus vndis
Incertum per iter nulla succurritur arte.
Typhis abes, Palinure iaces, iterata minantur
Fulmina, in interitus conspirant sydera nostros.
Nunc ruit in præceps, summas modò surgit in vndas
Auulso temone ratis, fracti sumus vt si
Dum procul à stabulis errat pecus omne per agros,
Nil hostile timens, casu percussus iniquo
Occidat extemplò pastor, saltusq; patentes
Ora lupus ieiuna gerens intrarit, ouesq;
Incustoditas passim lanietq; fugetq;.
Sic tua progenies quæ, te Duce, nullius arma,
Nullius insidias timuit, sed tuta per omnes
Ibat ouans casus, postquam tua lumina pressit
Improba conturbans tristi mors omnia luctu,
Languit amisso generosæ frontis honore.
Palluit omne decus nostrum, languentia cœpit
Pectora segnicies, & amor virtutis obiuit.
Frigemus velut extincto focus igne, recessit
Tecum noster honor, Carmeli gloria tecum
Occidit heu funesta dies, neq; digna diei

Nomine

Nomine censeri, Stygijs pallentior vmbris,
Quae tantum iubar extinxit, tot lumina misit
In lachrymas, in tot suspiria pectora soluit.
O nunquam laudande satis, licet omnia laudes
Ora tuas resonent. Senior discrimina nostri
Quot subijt grex iste tuus, quot bella, quot hostes
Venere, & sortem populi miseratus iniquam
Mouisti assiduis precibus tristem Iouis iram.
Qui nisi forte tui curam gessisset ouilis
Ventus & vnda ruens stabula & pecus omne tulisset,
Supplice te nobis fauit pater, ipse pauentem
Attonitumque gregem blande collegit in vnum,
Vt mater cristata solet, quo tempore miluus
Instruit insidias, flectitque per aëra gyrum.
Illa dolum timet, & crocitans sua pignora cogit,
Collectumque gregem suspensis protegit alis.
Hactenus hoc noster vexatus turbine bembus
Tardatusque vadis circum tua littora duci
Non potuit, sed iam coeli frons laeta sereni
Panditur, vndosumque minus iam murmurat aequor.
Humidus Auster abit, silet aether, & atra recedunt
Nubila, purpureo sol nascitur aureus ortu.
Graminis aura tepens florumque cacumina leni
Incuruans flexu gratos diffundit odores.
Atque leui strepitu fugiens se frondibus altis
Inserit, & somnos molli blandita susurro
Concitat, & virides ludens circumuolat agros.
Iamque procul nobis pulsa caligine tandem

Carmeli se monstrat apex, vitreiq; redundant
Fontis aquæ suaues, quæ summo vertice lapsæ
Subiectos rimantur agros, & florida circum
Rura soporifero labuntur murmure, seq;
In vicina breui deoluunt æquora cursu.
Iam me sollicitæ parcunt incendere curæ,
Improba nec miserum pectus depascitur ales,
Restituorq; mihi, iuuat ire, meamq; sonoris
Instaurare lyram neruis sacrumq; vocare
Ex Helicone chorum, atq; argutos ædere cantus.
Verum bella canant alij, populosq; paternis
Sedibus, & patrio pulsos de littore Graios.
Et veteres odij causas, belloq; subactas
Constantine tuas arces, cælumq; Latinis
Infestum rebus, fideiq; pericula nostræ,
Et purgata nouis Troiana incendia bellis.
Semper ego effugi studium Mauortis, & arma
Nec pectus thorace graui, nec tempora cinxi
Casside cristata, fuit & mea dextra meumq;
Semper inerme latus, mores ego pacis amaui.
Cedimus arma alijs, nobis tua maxima Virtus
Carmen erit, satis est isto si puluere noster
Sudet equus, metam hancq; meus circumuolet axis.
Ingrediar fragili spatiosa per æquora ligno,
Atq; tuas læti circumuectabimur oras.
Cuncta Palæstini montis spelæa reuisam
Singula perlustrans, aciem per singula vertens
Ne quid neglectum fluat, intactum ve relinquam

Vnde tuæ in lucem poßint emergere laudes.
Conaborq́; tua dignum virtute trophæum
Erigere, & circum redolentes addere lauros
Atq; hederas, & Palladia de fronde corollas,
Palmarumq́; minus metuentes pondera ramos.
Grande opus, & sub quo sudaret Olympifer Athlas,
Magna quidem fuit, atq; meis conatibus impar
Copia virtutum pastor venerande tuarum.
Nec tibi Carmelus debet minus, ac Remoaldo
Tusca Camaldulij pineta in vertice montis,
Lignipediq́; Lauerna viro, Carthusia Vgoni,
Gallica Bernardo Cistercia. Nursica Mauro
Relligio, sed plus longè, nec enim tibi sancta
Rusticitas, sed sancta magis doctrina superbam
Perfidiam se attollentem mysteria contra
Sacrosancta potens conuellere fulmine linguæ.
Vnde fit vt dubitem rerum ne pondere pressus
Turpiter in medio cogar desistere cursu,
Mensq; magis refugit, quando Icarium reminiscor
Interitum, puer ille leuis, temerarius, audax,
Dum per inane audet cœlum, mendacibus alis,
Tendere iter vetitum, & vacuas se attollere in auras
Decidit, & fecit Myconæo nomina Ponto,
Me mouet & sacros ignes furarier ausus
Atq; putres audens glebas animare Prometheus.
Et Phaëton cupiens Solis frænare quadrigam.
Cuius adhuc longæ lachrymant electra sorores
Succinaq́; ad fluuij ripas quem Celtica rupes

Mittit, & Adriacis tandem absorbetur ab vndis.
Occurrunt animo veteris certamina pugnæ,
Cum furor inuoluit super altum Pelion Ossam,
Aoniasq́ ausæ cantum superare sorores,
Et quæ textilibus docta cum Pallade formis
Dum certat veterem mutauit Aranea formam.
Thrax Thamyras quem cæcum olim fecêre puellæ
Thespiades, dum se nimis, & sua carmina iactat.
Et tumentis inops, nimiumq́ improuide, quondam
Marsya, qui Musas Phœbumq́ lacessere cantu
Dum properas, fluis in latices, & porrigis amnem,
Quem vêhit Aegæas Phrygius Mæander in vndas.
Et qui labentem dextra temerarius arcam
Dum leuat à magni rectore necatur Olympi.
Hæc mecum tacitus memori sub pectore voluens
Extimeo ne cæca meas audacia vires
Fallat, & assumptum nequeant perferre laborem.
Supponam tamen hos humeros, molemq́ subibo.
Debilis immensam, dabitur fauor æthere ab alto,
Occultumq́ meus diuini nectaris imbrem
Accipiet genius, tardosq́ ad carmina sensus
Calliope melior, maiorq́ mouebit Apollo.
Aureus vt quondam fului sub imagine roris
Iuppiter in gremium Danaës descendit amatæ:
Sic noua de summis magnæ penetralibus aulæ
In mea labetur furtim præcordia virtus,
Atq́ ope cœlesti fretus certaminis huius
Sit modò vita comes, referam victricia signa.

Efficiam ne liuor edax, ne longa vetustas
Neu sors vlla tuæ pariant obliuia laudis,
Sed ventura tuum nomen mirabitur ætas.
Et quæ te tulerint fœlicia sæcula dicet
Posteritas, debentq; tibi tua tempora multum.
Nanq; tui tecum durabit gloria sæcli.
Tu modò magne pater faueas, quem certa fatentur
Aethereos inter positum miracula ciues.
Muneris incerti quadam me pendula tardat
Spes opere à tanto, promissaq; carmina differt,
Et prohibet nostræ votis parere Camœnæ,
Mox tamen absoluar, nec in his mea Syrtibus vltra
Cymba leget. steriles frustra versamus arenas.
Quid miser in cassum do semen inertibus agris?
Qui pictam propero Thamyræ monstrare tabellam?
Quid mutum responsa peto? Quid deniq; frustra
Non audituro modulor noua carmina surdo?
In nemus vmbrosum, & conclusas vndiq; valles
Rupibus, & multa vestitos arbore colles
Imus, vbi secura quies, vbi dulcia vitæ
Tempora decurrant, vbi nulla negocia nobis
Detineant animum, ferri ad meliora volentem.
Ista mihi, si te pater adiutore, dabuntur
Ocia, scribendis & amica silentia rebus,
Mox ego purpureo texam de flore coronam,
Quam neq; bruma rigens albis vestita pruinis
Nec borealis hyems vincat, quæ flumina ventis
Stringit. & aërias gelida niue conspuit Alpes,

Quum neq; deficcet sol, quum vicina pererrat
Nostro signa polo, circùm tua tempora ponam.
Tu meus Aeneas, tu Pergama, tu mihi Thebæ,
Tu labor & cursus sero redeuntis Olyßi,
Et mora Penelopes votis inimica pudicæ.
Tu mihi Cæsar eris, studium tibi tradimus omne.
Tu tamen interea nostro qui liber ab orbe
Viuis, & ingentes meritis facientibus alas
In regnum sublime volas ardentis Olympi,
Quem Deus æternis diuorum accumbere mensis
Iussit, & immenso cœli dignatur honore,
Funde preces, pia verba moue, feruentius ora
Magna Dei nostris faueant vt Numina rebus.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, QVAERIMONIA de morte Alexandri Cortesij ad Hermolaum Barbarum.

ROMA quid excellens dabit & sublime suorum,
Barbare nunc operum, quod vulnera mentis & altum
Pellat ab afflicto iam dudum corde dolorem?

Fortè triumphales arcus, signataq́ regum
Marmora, nominibus claris monumenta laborum
Militiæ, & stantes antiquo ex ære columnas
Ostentabit, opem vanam & solamen inane.
Rupis Auentinæ tumulum, Tarpeiaq́ saxa,
Tot fora, tot circos, & longis eruta sæclis
Mœnia Carmentæ, gentisq́ Erimithandos arcem:
Iamq; senem multaq́ cauam testudine molem
Amphitheatralis tecti. Vestigia celsus
Instar montis apex caput vsq; ad nubila tollens
Seruat adhuc Thermas veteres, delubra deorum
Semisepulta solo, & simulacra iacentia passim.
Adde peregrinos latices in mœnia ductos
Atq; superfusos Campano flumine pontes,
Et gelido Castella sinu præbentia latum
Fontibus hospitium clausisq́ natantia nymphis.
Adde patrem Tyberim, cursu qui dura superbo
Inter saxa fremit regum propè busta suorum.
Adde nouem iuga turritis crescentia muris,
Et diuûm tot templa super fundata cruorem
Innocuum, tot sarcophagos, tot sacra, tot aras.
Magna quidem & nulli post hac imitabilis æuo
Roma fuit, Quæcunq́ prior miracula mundus
Terrarum magnis diuiserat interuallis,
Ipsa suo prædata orbem concluserat orbe.
Nil tamen inter tot veterum decora alta laborum
Lumina delectat, nihil est quod leniat ægrum.
Nec secus accensis ardent corda ignea flammis,

Ac specus, æterno candens vbi Mulciber æstu
Sudat, & æthereo cudit noua tela Tonanti.
Iteioci procul, ite sales, trahit omnia secum
Gaudia Alexander, subitò, mediaq́ repentè
Tam clarus sol luce obijt, Sententia certè
Vera nimis, Mors ingenijs est inuida semper
Præcocibus, Sic Lucanum, sic dura Tibullum
Sic alios tulit innumeros, impunè per orbem
Falcem agit omnisecam, & meliora seuerius aufert.
Singultire iuuat, iuuat exhalare dolorem
Fletibus, & lachrimis aperire cadentibus ora.
Sit facies confecta situ, sit plurima mento
Cæsaries, animum cultus decet iste dolentem.
Impetus in saltus agit, in spelæa ferarum,
Vt solus sine teste gemam, & suspiria ducam
Libera, vt ex imis resonent pulmonibus hausta.
Singultus Niobes, Hecubæ lamenta mouebo,
Flere iuuat, nec me quisquam lugere volentem
Increpet, hoc casu lachrymas impendere sanctum est.
Res Elegis maior, Tragico querimonia cantu
Digna. Quid ætati potuit contingere nostræ
Tristius? ablata est Romanæ gloria linguæ,
Occubuit Vates, qui nos æquabat Olympo.
Nam neq; Musæus melior, neq; Thracius Orpheus;
Seu faciles Elegos, seu regum bella cothurno
Diceret Heroo, laudata reuixerat ætas
Hoc Duce, & æthereos flammis melioribus ignes
Aspirare sibi tellus gauisa Poëtam

Fuderat insignem, Sed mors infesta tetendit
Insidias, breuis est semper fortuna secunda.
O immites Erebi furias, ô immania fata,
Quæ nostrum rapuêre decus, crudeliaq; astra,
Quæ oppressêre caput sacrum, circumdata lauro
Tempora, quæ neq; cùm fulmen iacit æthere ab alto
Iuppiter ausus erat rapidis contingere flammis,
Non sunt mortifero verita incestare veneno.
Synceras sine labe manus, sine crimine pectus
Innocuum, dulces annos, alacremq; iuuentam
Dum fruticatur adhuc, dum flore ac fruge superbit,
Contriuêre, velut crepitans terit hordea grando.
Hei mihi, doctiloquis si sunt mala vatibus astra,
Quis cœli superabit opem? Quis fidet Olympo?
Arida & infœlix quæ nunquam parturit arbor
Cæditur, & steriles sua damnat inertia ramos,
Parcitur vtilibus, lex est contraria cœlo.
Seruat enim segnes animos, ignauaq; corda,
Egregios forteisq; necat. Cortesia certè
Vicerat ætatem virtus, Iuuenilibus annis
Miscuerat senium grauitas, sub fronte Catonis
Fabriciumq; mores, pietas generosa Camilli,
Attiliiq; fides, & nostri feruida Pauli
Relligio. Quo nos etiam nunc vertice cano
Imus adhuc, tener in viridi potauerat æuo
Mnemosidum cuius fecit vada Pegasus amnem.
Nec fuit Ascræis fidibus vel Apolline tantum
Inclytus, ad numeros etiam Demosthenis omnes,

Et Pherecydiacam venit Ciceronis ad artem.
Et geminas nunquam solitas concurrere laudes
Quæsierat matura annis iuuenilibus ætas.
Quid referam genus antiquum, repetitaq; rursum
Nomina maiorum generosa in stirpe nepotem?
Quid tabulas, quid signa canam, quid tecta superbis
Alta superciliis, quid, vasa argentea & aurum,
Vasa quibus regum accipiunt conuiuia mensæ?
Quid ve lares memorem antiquos, & cætera prisca
Ornamenta domus? quæ mors deridet, & ipsi
Despiciunt superi, quæ nil fata impia curant?
Hæc in vate nihil laudo, quibus Attalus olim
Claruit, & Lydi famosa opulentia Crœsi,
Quæ ludens fortuna regit, mihi sola videtur
Extollenda animi virtus quæ ciuibus æquat
Aethereis: tamen hæc sanctum seruare Poëtam
Non valuit, Quid iam superest cui fidere fas sit?
Sed neq; Pierides & opacæ sola Mineruæ
Ocia sectatus, cùm iam foret orba parente
Et sine matre domus, curas vtriusq; gerebat,
Rexit & auxit opes, rebusq; intenta gerendis
Prouida sedulitas iuuenis patrimonia honestis
Artibus euexit. Quid publica munera dicam?
Quid ve clientelas? populus, cum patribus vrbis
Vatis in immensum nostri certabat amorem.
Pontifices ipsi quorum tribus alta coronis
Scintillant capita, atq; ipsi qui fortia tractant
Bella Duces, ipsi reges qui murice & auro

 Exultant,

Exultant,& sceptra gerunt,coluêre Poëtam.
Tanta animo probitas,tantus lepor affuit ori
Suauiloquo,in vultu reuerentia tanta venusto.
Suspicor & mortem nisi lumine capta fuisset,
Non potuisse manus in sanctam extendere frontem.
Quæ pietas,quæ relligio,quæ cura Tonantis
Non possunt nescire aræ,quas fundere circum
Manè preces,vbi corda pijs accendere votis
Aßiduè reparans ignes & sacra solebat.
Interijt tamen,& fato consumptus iniquo
In gelidam descendit humum vertendus in atram
Pulueris exigui paruo post tempore massam.
Heu crudele nefas,tanquam vitalibus auris
Indignus,terræq; grauis,cœloq; perosus,
Truditur ex hominum cœtu,datur esca Trifauci
Dilaceranda cani,atq; horrentes fertur in vmbras.
Heccine virtuti merces? hæc dona parantur
Iustitiæ?insontes talis manet exitus vmbras?
Siste tuos Helicon cursus,arescite lauri.
Vel iurate alios nunquam præcingere crines.
Pirene siccare precor,conuertere Dirce,
Quære nouos cursus,& more Arethusidos vnda
Labere subter aquas pelagi,fuge sydera,postquam
Aoniæ non est maior reuerentia genti.
Pierides plorate nouem,Tuq; vna sororum
Maxima Calliope,quæ grandi heroica versu
Facta canis,nec non tu diua Polymnia cultu
Splendida rhetorico.Tuq; ô quæ suspicis astra,

Astra viasq́ poli, nitidosq́ intelligis ignes
Aetheris Vranie, castris nam qualis Achilles
Dux erat Argolicis, qualis fuit Hector in armis
Dardanijs, Agamennonia vel quantus in vrbe
Tideus, hic vestros inter, dum vita manebat,
Talis erat tantusq́ viros, pars magna sepulta est
Castalij cum vate chori, præcisa canoræ
Fila Lyræ, cecidêre manus, quibus ille solebat
Digna Sophoclæo modulari carmina plectro.
Ahiuuenis miserande, tibi quod sydus iniquum
Tam celerem dedit occasum? Te forsitan arcu
Perculit Aemonio Chiron, vel Syrius ore
Noxius ardenti, vel acuto mortifer vngue
Scorpius? aut longo feriens mucrone Sagitta?
Quem superûm accusem, quis tanti criminis anthor
Nescio, terribilem præ se multa astra figuram
Nocte ferunt, cæsæ Perseus tenet ora Medusæ,
Cepheus accinctus gladio, prætenta leonis
Terga ferunt, premit Hesperidum Tirinthius anguem.
Nescio quis tam grande scelus, tam immane sit ausus
Et tam infame nefas, radios non proferat vnquam
Astrorum quodcunq́ fuit, pellatur ab axe,
In chaos antiquum redeat, neq́ prodeat vnquam.
Nescio quo natura sibi contraria pacto,
Mox vt opus præclarum aliquod partu ædidit, odit,
Et vorat, Ingluuies illa hæc Saturnia prolem
Consumptura suam, vitæq́ inimica suorum.
Hinc meus in rabiem transit dolor, omnia quando

Seu

Seu Deus id faciat, seu sors, seu sydera, nostri
Non habita ratione vnco secat Atropos vngue.
Quantum erat vt iustos vatem concederet annos
Degere, & ætatis saltem ad solatia nostræ
(Quæ mora parua fuit) nostris superesse diebus?
Hoc est quod mecum luctu contristat amaro
Et Latium & Tuscos, & tota Neapolis arua.
Mintius audito soluit sua lumina fato,
Et noster Mantous ager, Quæriturq; Maronem
In vate hoc cæcidisse iterum, sublimis Olympus
Luce caret, nebulisq; tegit caput ante serenum.
Et veluti quando Phœbe venit obuia fratri
Vitalesq; premit radios, elementa mouentur,
Terra dolet, turbantur aquæ, subit aëra pallor
Plumbeus, horrescunt syluæ, mœrentq; per agros
Gramina, iacturam patitur genus omne animantum,
Sic omnes vici atq; vrbes vbi cognita virtus
Vatis erat, tristi ore ferunt lugubria signa.
Sed quid nostra iuuat manes querimonia? functi
Corpore iam loca tuta tenent, gaudentq; peracto
Curriculo aduersæ fugisse pericula vitæ,
Non secus ac fluctus nauis perpessa marinos
Gaudet in optato merces exponere portu.
Nos pecori similes quod pinguia pascua tondet.
In lanienam imus, trahimurq; in fata vicißim.
Hoc superest vnum vatis solamen adempti.
Vos gemini fratres, & tu quæ pignore tanto
Patria te iactas, & tu Romana iuuentus

Ponite

Ponite defuncto tumulum, quem vestia omnem
Lunensis Pariusve lapsis, viridisq; Donysæ
Marmor, & Aegypti, nineis vbi purpura nubit
Stigmatibus, riguum sub Apollinis arbore fontem
Sculpite, & ipse cubans in margine fontis ad vndam
Expectet cum pace diem, quo sæcula flammis
Instauranda tubam sunt auditura sonantem.
Interea lentus iaceat, somnoq; solutum
(Somnus enim potius mors est dicenda piorum)
Purpurei flores obeant rosa, lilia, serpant
Circum humeros hederæ, circum caua tempora lauri.
Hæc animam curis functam mortalibus astra
Isse super, placidamq; polo captare quietem
Significent, vbi nec Phlegethon, nec dira Celeno,
Nec Tytij volucres, nec sæui Ixionis angues,
Tantaleæ ve dapes, vbi non secat Atropos æuum.
Tum signate notis & tali carmine marmor.
Hic sua Alexander Cortesius ossa reliquit
Cùm petijt cælos, & duxit in astra Poësim:
Tu verò Artidocæ cultor venerande Mineruæ
Barbare relliquias cui fas inuisere, nostro
Nomine dic pacem tumulo requiemq; sepulto.



BAPTISTAE MAN-TVANI CARMELITAE THEOLOGI, AD IOAN-nem Sabadinum Argenteum pro filij morte Paramythia.



VAE vos innocui vexat fortuna parentes?
Tristia cur tantis fletibus ora madent?
Mitius Andromache tulit Astyanacta peremptum
Mitius errantem Penelopea virum.
Mitius Halcione crudelia fata mariti,
Hippolytum Phœbe, garrula mater Itym.
Fleuit Hylam minus Alcides, minus Isis Osyrim,
Et Niobe natos, & Phaëtonta soror.
Quid tibi vult tanto resonans querimonia luctu?
Et gemitu longo sollicitata domus?
Cur setosa genis facies squallentibus horret?
Cur macies turpi deijcit ora situ?
Quò fugêre sales? cur læta gratia frontis
Decidit? obscurum quæ tegit vmbra caput?
Cur tua compresso facundia mutuit ore?
Nec fluit in dulces lingua diserta sonos?

Dic age lugubri deformis imagine vultus
In mea secretum pectora vulnus agit.
Aspera sors veros & prospera tangit amicos,
Corporibus quia mens vna duobus inest.
Hei mihi, nescio quod radijs graue sydus iniquis
Misit in infaustos fulmina tanta lares.
Et mihi perpetuus, chara cum coniuge mœror
Attulit à Stygio longa venena lacu.
Carolus eximiæ fulgens puer indole formæ
Occubuit, casti vota secunda thori.
Et iam morigera superos pietate colebat,
Et docili supplex numina sancta fide.
Iam matura nouis ætas lucebat in annis:
In tenero grauitas ore senilis erat.
Talis erat nobis qualis rosa prima rosetis,
Et qualis riguo Liliá prima solo.
Læta verecundos decorabat gratia vultus,
Et grauis ornabat dulcia verba lepor.
Ille meo tristes tollebat pectore curas,
Gaudia patris erat, gaudia matris erat.
Hunc igitur rapiens lex ferrea mortis auara
Sub gelidam tristi funere mersit humum.
Luget mœsta domus, vidui sine prole parentes
Ingemitu noctes ducimus atq; dies.
Sicut vbi implumes inuasit vipera nidos,
Ingemit, & querulo carmine plangit auis.
Soluitur in lachrymas gemituſq; miserrima coniunx,
Et requiem nunquam debile pectus habet.

Cùm

Cùm gemit illa, mihi lachrymas ciet, ignea rorant
Lumina, singultu guttura rauca sonant.
Est mihi pro nato simul & pro coniuge mœror,
Et duplex agitat saucia corda dolor.
Pœnitet ingratæ producere tempora vitæ,
Et toties mortis vulnera acerba pati.
Emorimur toties obeunt quot pignora nobis,
Et toties ferrum corda paterna secat.
Pelle graues animo curas argentea proles.
Neu cruciet tantus pectora mœsta dolor.
Terra domus non est animis accommoda nostris,
Altius it nostræ conditionis honor.
Qui nimium terras amat, & mortalia tecta,
Fallitur, est alio patria nostra loco.
Hic sumus extorres, alienaq; regna tenemus
Sub grauis exilij seruitijq; iugo.
Nunc animus curis coquitur, nunc corpora morbo,
Et stimulos affert quælibet hora nouos.
Nunc fratrum subeunt obitus, modò fata nepotum
Tempus in obsequijs tristibus omne fluit.
Crebrius auditur per templa, per atria, planctus,
Quam faciles inter vox Hymenæa choros.
Et modò nostra vocant, modò nos aliena sepulcra,
Funera sunt nostri continuata dies.
O fœlix quem res non implicuêre caducæ,
Quem nullus retinet posteritatis amor.
Quem nec cura domus nec deficientis in horas
Corporis aut vitæ prætereuntis agit.

Postquam diuitijs fuerint & honore potiti,
Mors hominum triplici corpora fauce vorat,
Fœlices frustra nobis promittimus annos,
Semper enim curæ tristitiæq; premunt.
Fluctus vt insequitur fluctum, sic tempora voluit
Nostra catenatis sors inimica malis.
Mittimur æthereos per limina mortis in axes,
Hæc patet in nostros ianua sola lares.
Est illic natale solum, nostriq; penates,
Regnat vbi in decimo maximus orbe pater.
Nos Deus ex alto, nos magni gloria mundi,
Omnia nos pronis vultibus astra vocant.
Cum nitet, & pictæ noctis fulgoribus ardet
Ostendit nostras pulcher Olympus opes.
Noster enim polus est, sunt sydera nostra, sereno
Ciuibus arridet lucifer orbe suis.
Est requies illic, illic æterna voluptas,
Perpetuus splendor, gaudia, risus, amor.
Carolus est illic, & candida lilia circum
Tempora, virginei signa pudoris, habet.
Nos quoq; cùm Lachesis nostros euoluerit annos,
In loca fatalis transferet illa dies.
Quotquot erunt animas, & quot nos antè fuêre
Accipient lato magna theatra sinu.
Fas erit hîc nostræ vultus agnoscere gentis,
Atq; dare alternis mutua verba sonis.
Hîc cum fratre soror, nati cum patribus ibunt,
Vespera nec festos finiet vlla dies.

Quos modò miramur, regione videbimus illa,
Et veteres inter suspiciemur auos.
Hic sunt qui patrum vestigia sancta sequuti
Stigmata seruatæ relligionis habent.
Tunc tuus ille nepos iuuenem quem fata tulerunt,
Cognatam nitido porriget ore manum.
Tunc tuus occurret tibi natus, & obuia circum
Brachia cum lachrymis colla paterna dabit.
Coge vagos animi fluctus argentea proles,
Cordaq́; conceptus deserat ægra dolor.
Comprime bacchantes ventos, & nubila pelle,
Cymbaq́; tranquillo currat, vt antè, mari.
Ad noua cœpta redi, laudemq́; laboribus auge
Et breuis immensa floreat arte liber.
Scribe quod æterno dignentur honore nepotes,
Et quod non valeat perdere longa dies.
Vtq; minus rodant vigiles præcordia curæ,
Fertilis ingenij pinguia rura cole.
Interea celeri labentia tempora cursu
Exilij finem seruitijq́; dabunt.



BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, OBIVRGATIO cum exhortatione, ad capienda arma contra infideles.

AD REGES ET PRINCIPES Christianos.



O MALè consultæ gentes cognomine tantum
Christigenæ, scelerum altrices fraudumq; magistræ.
Oblitæ commune bonum, fremit vndiq; Mauors,
Et coniurati reges Orientis & Austri
Ac Boreæ contra vestrum regemq; Deumq;,
Et vos arma magis tentare domestica vultis,
Bacchariq; intra vestros sine fine penates.
O Christi conuulsa domus, iam plurima in isto
Secula agis barathro, taliq; absorpta cloaca
Frontetenus, traxisti istis in sordibus annos,
Quod meminisse pudor, fato vicina senecta est
In foribus, quando, sanctè nisi viuitur ætas
Vltima, quando iter in melius vestigia vertes?
Iam tibi radicem subitò incisura securis

Imminet,& quasi sis nunquam peritura volutas
In sceleris te sorde tui, securo pericli.
Prima ætas aliis solet immaturior esse
Circumspecta graues sequitur prudentia canos.
At te cui sapiens fuit & cordata iuuentus,
Nunc tenet improbitas alieno immanior æuo.
Ergo tibi est potior priuata iniuria quàm res
Publica? Romani qui nesciuêre Tonantem,
Fabricij, Curijq́ senes, Fabij atq; Catones,
Sanctius antiquis vitam instituêre diebus.
Plus nimirum illis animi scintilla reluxit,
Quàm tibi ab æterno radians Hyperione fulgor.
Peege, subi tenebras semper magis, irreuerenti
Infrunito animo, semper magis indue noctem
Tartaream. Tibi sit priuata iniuria maior
Quàm Deus, & pietas, & defendenda cruore
Relligio. Demens priuata iniuria, si qua est
Dißimulanda magis fuerat, Christiq́ fugandum
Dedecus, & fidei arcendum commune periclum.
Quiq; sacras habuit sedes Deus. Antiochenam,
Cui primum insedit, fuerat qui nauita pastor.
Thraiciam, & Solymam, Nili super ostia quantam.
Ad Tyberim, patris Iani sub vertice quintam.
Quattuor oppressæ dudum cecidêre tumultu
Barbarico. Tyberina manet, sed tabida multis
Vlceribus, sanie ex imis fusa vsq; medullis.
Imperium triplex habuit, trans Bosphoron vnum,
Versus Hyperboreum frigus, contra Arctophilac

Per Thraces aliud, per Cycladas & per Achæos,
Ac Romæ, vnde alijs genus est. Duo prima ruinam
Passa iacent. Quod adhuc superest sine viribus ægrum
Vix gressum proferre potest, Vix sustinet artus.
Lora tamen nunc Cæsar habet dignißimus orbis
Imperio, vt fama est, & priscam ingentibus implet
Maiestatem animis. Incuria temporis acti
Quæ decoxit, opes hausit quæ funditus, obstat
Ne decus antiquum Romanaq; regna reformet.
Si tamen ex alto Deus vt speramus Olympo
Aspirarit, vti Vates cecinêre, futurum est
Vt maturet opus quod nomina Cæsaris æquet,
Quod faciat tinnire aures orientis, & Austri,
Ac Boreæ, quod Mæotis tremat atq; Propontis.
Diui omnes Diuæq; Deum pulsate precando
Adsit, & auxilium tam grandibus influat ausis
Ac nostris faciat regnis mentem omnibus vnam.
O immemores cœli Reges, populiq;, patresq;,
Queis sua commisit cœlestis ouilia pastor.
Sic sinitis Christo illudi? toleratis equorum
In stabulum delubra dari? violata potestis
Templa pati seruire Syro? seruire Sabæo?
Cappadoci? Armenio? Cilici? Phrygioq; colono?
Regna tot excidium passa, & tot cæsa virorum
Millia, tot canibus proiecta cadauera fertis?
Segni animo imbelles, & multa relinquitis? O me
O me infœlicem, cui cernere fata dederunt
Hoc scelus vsq; adeo indignum, quod nulla piabunt

 Tempo-

Tempora, quod nulli poterunt extinguere luctus.
Flent thalami dehonestati, flet nubilis ætas
Incestata palàm, flet dedecorata per aras
Virginitas sacrata Deo, flent damna pudoris
Et viduæ. Natura mares muliebria passos
Conqueritur, nihil illæsum scelerata relinquit
Barbaries, & nemo istos vlciscitur ausus?
Quid pater omnipotens istis mihi contigit annis
Prodire in lucem, & tam horrendos cernere casus?
Sub Decio cadi melius fuit, atque cruorem
Fundere, quàm scelerum scoria sordescere tanta,
Quàm vereor ne vera canant, qui sydera & ignes
Aethereos memorant hac tempestate minaci
Finibus excidium nostris, fremitumque per omnem
Europam, & multo stagnantia sanguine bella.
Si scelus hæc nostrum non posceret, irrita Vatum
Auguria, & vanas ausim promittere sortes.
Improbitas morum & peccandi extrema libido
Me afficiunt maiore metu quàm Iuppiter & Mars
Saturnusque grauem meditans mortalibus iram.
Grande nefas, quo templa etiam atque altaria sordent,
Supplicium triste, insolitum, importabile nobis
Parturit, inferni feriunt noua fœdera manes.
Sydera coniurant, totusque armatur Olympus.
Est tamen ad veniam semper via. Numina mutant
In pacem (quoties culpæ nos pænitet) iram.
Influxus tunc astra malos, tunc tartara frenant
Quanquam inuita, odium graue, cæruleumque venenum.

Flectite Mortales retrò vestigia, dum lis
Pendet, & excußit nondum sententia fulmen.
Neve erumpentem cœlo expectate procellam.
O Christi regale genus cui debita regna
Aequoris & terræ, viden' vt sine vindice causa
In defensa Dei dudum tua postulat arma?

Ad Pontificem Maximum.

SVrge age, tu inprimis, animum, Romane Sacerdos
Pontificum princeps, Christi omnipotentis imago
Viua, Dei sortita vices, terra, æquore, & Orco,
Huc appelle tuum, populos in bella ciere.
Quicquid habet armorum & opum nostra omnia regna
In fidei communem hostem te cogere oportet.
Incipe, & exemplo veniant in fœdera Reges
Sancta tuo. Tu namq; pater, tu prima potestas.
Tu magneta tenes, Tu clauum in puppe gubernas.
Intestina odia, atq; imis impacta medullis
Dissidia extirpare doce, & compescere fluctus
Irarum, dominari animis, cœlumq; vereri.
Te quasi Titanem stellis infundere lumen,
Terrarum radijs lustrare tepentibus orbem,
Et dare vim plantis, sopitaq; semina rerum
Irritare, nouas animando excudere fruges
Te decet, & Regum tepefacta accendere corda.

Ad Regem Romanum.

ET tu bellipotens Romani Cæsaris hæres
Quē sequitur magnis dominās Alemannia cāp
Ah miseris fer opem rebus, tibi supplicat orbis
Totus, & oppressæ gentes, reminiscere quanto
Maiores splendore tui tenuêre Latinum
Imperium, quanta cum Maiestate sedebant
Illo in sublimi solio, cui purpura Regum
Subdita. Contemplare quibus successeris, orbem
Terrarum ditione tui tenuêre parentes.
Tu super arma sedes, Mars & Bellona ministri
Sunt tibi. Tu debes gentes frenare superbas.
Exi in bella igitur, neu cede laboribus vllis.
Est merito tuus hic sudor. Tu luna sub alto
Sole means, Solem acceptum per nubila noctis
Telluri rursum infundens, regnare tenebras
Obscurumq́; chaos prohibens. Duo maxima mundi
Lumina terreni duo vos. Sunt sydera Reges
Atq; potentatus, quorum vigilantia rerum
Influit in partes, Vobis cura omnia circum.
Te Cæsar meminisse decet quæ mystica dudum
Te regnante Deus tua per Germanica regna
Signa dedit. Vidêre vrbes descendere cœlo,
Ac membris hærere hominum formata repentè
Instrumenta, quibus mortem superûm atq; hominū R
Pertulit, vt flagrantem animis spoliaret auernum.
Nec tibi res audita, tuæ hæc miracula crebrò

Consp

Conspexêre acies, totis Germania campis
Horrifico concussa metu suspiria & altos
Cum lachrymis traxit gemitus, Cùm cerneret artus
Sponte notis inscribi istis, ac monstra videri
Talia membratim cœlo delapsa sereno.
(Sic etiam primus Cæsar Germanicus olim
Vidit Otho pluere ex astris horrenda cruentas
Signa cruces) gelidiq; immensum marmoris orbem
Nimbosis agitatum Austris & grandinis atro
Turbine, fulgetris crebros iaculantibus ignes.
Hæc tam mira tuis cœlum portenta diebus
Non frustrà ostendisse reor, neq; vana putare.
Possumus hæc ostenta, Deus quæ effingere solus
Non natura potest. Alij præsagia Vates
Dent meliora mihi, mea quid mens augurat hoc est.
In solitæ rerum effigies quas non color vnus
Finxerat, ad mentem reuocant, nec te sinit esse
Immemorem Cæsar Christi clementia, quantum
Ipse tibi & cunctis studuit mortalibus olim
Supplicio affectus tam iniusto, & turpi & acerbo.
Et quantum conari opus est contra impia regna.
Quæ Christo parere negant, Thracumq; Arabumq;.
Certa igitur magni pro maiestate Tonantis.
Quòd si belligeras metuis tibi defore gentes,
Aspice quàm validis Mauors tibi militet armis.
Gens fera contemptrix animæ, consueta per Alpes
Figere apros, certare vrsis, niue candida semper
Per iuga veloces cursu præuertere ceruos,

Heluetij tibi dura acuunt venabula,& enses.
Iam Burgundus equum dorso cataphractus in alto
Splendicat, ingentemq́ super femur erigit hastam.
Aspice vt Istæuones rapido gens proxima Rheno
Strenuè in arma volent, tardat mora nulla Batbauos
Qui cinguntur aquis, retinet mora nulla Sicambros.
Quid memorem Carthos? quid Rhetia castra? quid arma
Norica? Vindelicæ quid fortia pectora gentis?
Quid Frisias Caucasq́ domos,& inertia arantes
Littora Cheruscos? Nec vos gens vltima Cymbri
Segnities damnat, latum vos fama per orbem
Prædicat altanimos, vos explantare Latinam
Rem memorant ausos, belloq́ incessere Romam.
Huc geminas attolle acies. Amplißima cerne
Regna Sueuorum, quæ Vistula claudit,& ingens
Oceanus, Vada Danubij, confinia gentes
Tot complexa, sinu immenso excurrentia longè.
Hinc tua tot populi veniunt ad signa, tot vrbes
Quot censere labor, quot connumerare molestum.
Hinc Emunduri quos præterlabitur Albis.
Hinc venit excrescens in grandia corpora Guto,
Adde sub Arcturo positos, gelidaq́ sub vrsa
Elmeones, Quados toruoq́ & Saxonas ore.
Sennones his adiunge, quibus pro legibus arma.
Ecce quot ardentes tibi Marcomana iuuentus
Expedit ad Solem ferro radiante maniplos
Ad tua Basternæ properant vexilla secures
Aspice sublatas virides splendere per agros.
Omnibus

Omnibus his durati auris Borealibus artus.
Atq; pares animi, membris crudi atq; feroces.
Festinant Daci atq; Dahæ gens aspera cultu,
Asperior victu, pugnaci asperrima dextra
Ecce sagittiferos Anarinnas, ecce Caritnos
Quis furor armauit? iamdudum in bella coacti
In te coniiciunt oculos. si lumina nutu
Moueris exiguo, Venient in bella Croati,
Coruiniq; genus, si vera est fama, Valachi
Et quicquid longus populorum interfluit Ister.

Ad Regem Pannoniæ.

PAnnonij in primis, quibus est fatale cruorem
Spargere Thraicium, Rhodopæaq; fundere castra.
Gens Turcis infesta, manus auidißima semper
Conserere, & bellis insignem extendere famam.
Postquam traiecto genus id tam immane profundo
Bizanti vastauit opes, Vexilla repente
Pannonij Reges cœlo erexêre, nec vnquam
Thraicijs fusi terga ostendêre, sed ora
Ignea, & ardentes gladios, hastasq; trabales.
Sic per lustra decem pugnatum ingentibus ausis,
Defensiq; Lares patrij, & confinia pulsis
Hostibus Euxini procul vsq; ad littora Ponti.
Vsq; ad perpetuis squallentem nubibus Aemum.
Nec plus vlla tulit pro relligione laborum
Natio, nec claret maioribus vlla triumphis.

Ister adhuc meminit, meminit diffusa per omnes
Europæ populos, & adhuc Ecclesia magnis
Laudibus extollit pugnæ memorabilis illud
Excidium, quod longè Asiam perterruit omnem.
Tum dominæ superum sonuêre in turribus altis
Tumula per vicos, ac per castella, per vrbes
Aera, sub ardenti cum lux altißima Phœbo est.
Hos adhibe tibi ductores, belliq; magistros,
Qui meminêre locos turbæ Othomanidos astrum.
His opus hortatu (gens est tam strenua) nullo est.
Et quia semper habent hostem ad confima, semper
Aere micant, nunquam imbelles, & tota sub armis
Inter equos, inter lituos traducitur ætas.
Hic dextra non lingua opus est. Hæc Rhetore causa
Non eget, ast equitum turmis & milite forti.
Res animis, ferro, flammis & fulgere agenda est.
Quod trepides nihil est, tecum Deus ibit in hostem,
Per maria & terras, quacunq; leuaueris altè
Sanctum insigne crucis, griphemq; Aquilamq; birostrem
Ne dubita, in bellum totus tecum ibit Olympus.

Ad Francorum Regem.

TV quoq; Gallorum princeps Lodouice memento
Hoc opere in tanto tibi magnam incumbere mol
Tuq; patresq; tui postquam Franconia regnum
Gallorum accepit, tutela æterna fuistis
Christigenûm, fidei sanctæ cognomina clamant

Te tua supremum columen, reminiscere quantum
Carolus ille ingens orbis decus, ille Latini
Qui primum imperij tulit in sua regna coronam,
Pro Christo inuasit quondam belli atq; laborum.
Gothfredum pone ante oculos, quem tota secuta est
Gallia in Assyrios, Arabem, Cananæaq; regna.
Littora Phœnicum, Veterem Sidona, Tyrumq;
Reblata, & antiquam potuit frenare Damascum.
Transijt Euphratem, Chaldæa per oppida victor
Iuit. Abagaricæ penetrauit mœnia Edessæ.
Et tibi gentilis quondam Lodouicus eodem
Puluere lassatus, nostrum genus egit ab ortu
Primus in occasum, patriasq; inuexit ad vrbes.
Franci Aquitanorum Normanorumq; furorem
Christo insultantum bello oppressêre, Boemos
Saxonas infrenes, Longobardosq; Latinis
Legibus aduersos domuêre, Hispania Gallis
Proxima ferret adhuc Nomades, Apulia Graios,
Semen Agarenum Trinacria, in Dèus ista
Misisset fortes, contra genera impia, Francos.
Regales attolle animos, si fortiter audes,
Strenuus effuso vires si colligis auro,
Non habitura modum surget tibi gloria, nomen
Ibit in astratuum, atq; Asia dominabere victa.
Arma viros & opes latissima regna recense,
Vimq; agnosce tuam, tua magna potentia latè
Tendit ab Hispanis ad regna Typhoidos Aethnæ.
Belgæ omnes Celtæq; ruent, Aquitania, Narbo

Martius,

Martius, Ausoniæ gentes, Nec pluribus alter
Ibit in arma viris, grauiora've bella mouebit.

Ad Regem Hispaniarum.

TE quoq; Bethygenũ domitor fortissime Maurũ
Rex Hispane iterum pietas sudare sub armis
Poscit, & Euboicis instantem carbasa ventis
Mittere ad Argolicas victricia classica gentes.
Postquam bellum atrox quod iam bis quattuor ante
Secula susceptum à proauis in tempora venit
Nostra peregisti, penitusq; euulsa recessit
Aspera Barbaries, toto te gloria mundo
Prædicat inuictum, trepidant tua nomina Seres,
Te timet Arctophylax, & quæ contraria torquet
Astra polus, Si terra vllis habitata colonis
Illa potest nostri casus cognoscere mundi.
Et Deus & quot sunt in Olympo sydera, & omnes
Cœlituum classes (id gloria temporis acti
Sat probat) aspirant. Viden vt duo regna domari
Auspicijs voluêre tuis? Promittere rursum
(Duc geminas in gyrum acies) maiora videntur:
Cætera prætereo: perpende quid acta per Austrum
Classis, & inuentæ magno vltra sydera cancri
Insulæ in Oceano Genuensi hortante Columbo
Polliceantur, iter spondent ad littora rubra,
Ad Nabatheorum syluas & ad horrea Nili,
Ad Hiericuntinos lachrymant vbi balsama colles.

Osti

Ostendunt hanc fata viam, præsagia Vatum
Attestantur, opes Asiæ, Babylonica regna
Ad Christi reditura iugum, tibi brachia tendunt.
Te, nisi te tardat nostrarum incuria rerum,
Te decet ad tantos conatum extendere honores.
Ergò age, vt hanc olim referas ad sydera palmam,
Nitere, nec senio parcas, nec segnibus annis.
Quid dignum est heroe magis, quàm magna gerentem
Oppetere, atq; inter gesta ardua ponere vitam?
Sunt tibi belligeræ gentes, Gallecus & Astur,
Celtiberi genus armipotens, Balearica pubes
Cantaber indomitus bello, ferus accola terræ
Qui maris Oceani tenet vltima regna Britannæ
Tarraco docta maris pugnas, Sardoa iuuentus
Campaniq; inter Lyrim, Sarnumq; habitantes,
Daunius & Calaber pugnax, & ab vsq; Truento
Samnis agens equitum turmas, trimaresq; Sicani.
Nam neq; sola tibi præstò est Hispania, Verùm &
Ausoniæ gentis robur tibi militat omne.
Sors tua Mecchæum genus explantare, triumphos
Ducere de infidis, Arabumq; abolere venenum.
Copia tanta Ducum soli tibi, tanta virorum,
Quanta superfuerit belli grauioris ad vsum.
Vtere Agellariis, quorum tibi cognita in omni
Pacis & armorum studio validissima virtus.

Ad

Ad Lusitaniæ seu Portugaliæ Regem.

QVid tibi supremis cui lusitanda sub astris
Imperia, hos tantos nitar suadere paratus?
Nil opus est, tu sponte venis, tua circuit orbe
Classis, & ignotis sulcat longinqua profundi
Aequora transiliens nullis vada cognita nautis,
Et iam bella geris, cunctisq́ sedentibus vnum
Per maris Oceani fluctus naualia soluis.
Primus ad Antipodum subuersas æquore gentes,
Velificas adigens subter caua tartara proram.
Fersq́ nouos ritus altæ trans brachia libræ
Quæ facit æquales noctis cum solibus vmbras.
Signa hyemis longè penetrans, contraria nostro
Consulis astra polo, perdisq́ Erymanthia flammam.
Nec tibi dux Elice, nec te Cynosura gubernat.
Hanc superi docuêre viam Nilotica ad arua,
Ad Nabathæorum fines, ad Persidis oram
Hoc iter insolitum Ganges audiuit & Indus
Terraq́ longinqui priscis ignota Cathaij,
Audiuit tremuitq́ simul fatalia tandem
Tempora decursis metuens incumbere seclis.
Iamq́ vocant regna illa fidem, cupiuntq́ doceri
Orgia nostra. Deus cunctis ex gentibus vnam
Iam facturus iter pandit, quo iungere possit
Ortus & occasus facili commercia nixio.

Iam Colocutenses gens nostra incognita mundo.
Hactenus, accipiunt leges, & viuere Christum
Incipiunt, mercesq; nouas ad Iberica portant
Littora, mirari quæ nec suppresse putabant
Arua, domos, habitu cultas & moribus vrbes.

Ad Regem Nauarræ.

Supplicibus votis præsentia tempora poscunt
Et regem Nauarra tuum, quæ diceris olim
Sub duce Romano latronibus aucta marinis.
Nam Lycios nautas Cilicesq; per æquora fusos
Dum temere incursant, prædæq; libidine merces
Aequoreas violant captos Pompeius in oras
Has tulit Oceano includens, ac montibus altis:
Sed feritatem animis tandem studiumq; rapinæ,
Deposuére, nouis cor mite ferentibus Astris
At curam tenuêre maris, Neptunia docti
Officia, & bellis omnes naualibus apti
Ergo acres armare viros, armare triremes
Incipe, & explicitis resonent tua claßica signis.
In te sancta fides, in te spes nostra recumbit:
Vota, preces, gemitus, lachrimasne sperne tuorum.



Ad Regem Angliæ seu maioris Britanniæ.

SEd neq; te gelidis regnantem in fluctibus alti
Oceani Rex bellipotens. Henrice silebo.
Si loca terrarum spectaueris, vltima certe
Sors tibi regnandi, sed non tamen vltima virtus.
Maiorum præclara docent monumenta tuorum
Arma quid in medium conferre Britannica possint.
Pendragon Artui pater, Arturusq; parentes
Clarior ingenti voluêrunt turbine gentes
Finitimas, Arturus enim conuersus in hostes
Pro Christi genere infidos sua sub iuga Francos,
Noruuegiam, Dacos, regna armipotentia traxit.
Nota est Elfredi prudentia, nota per orbem
Edgarri pietas, Eduardiq; aspera fata.
Tu quoq; quem grauidæ monstrarunt somnia matri
Eldescane noua pulchra sub imagine lunæ,
Inter præclaros sortiris nomina reges.
Nunc igitur, nunc cælo iterum victricia signa,
(Res eget his armis & bellatoribus istis)
Eleua & accellera pugiles armare Britannos.

Ad Regem Daciæ.

NEc te Dacorum sceptro decorate superbô
Esse decet residem, nec detrectare labores
Hoc opere in tanto, cum connumerare per omnes
Regum

Regum aulas inter fidei validißima nostræ
Munimenta, tua quondam Mauortia gentis
Vis adeò inualuit, genus vt tremefecerit omne
Ausonium, & prosternentem regna omnia Romam.

Ad Reges Poloniæ, Prussiæ & Russiæ.

VOs quoque Sarmatici reges quibus eleuat Vrsam
Parrhasio polus axe rigens firmißima Christi
Fulcra domus, & quem vastis Pollonia campis,
Et quem Prußiacis gens dura Aquilonibus, &
Russia submißis genibus procliuis adorat, (quem
Vos Thraces Mysique negant deponere Martem.
Loricam exuere, & conuertere in otia bellum,
Incola vos Istri prædatur, & incola Ponti.
Taurica gens nunquam pacata, Borysthenis ora.
Continuè incumbunt hastis & Acinace & arcu.
Arma die, nocte arma sonant, cum solibus æstas
Incaluit longis, & cum breuioribus horis
Strauit hyems crustis rapidos glacialibus amnes:
Qui Tanais ripas & qui Mæotica circum
Stagna habitant odijs acti capitalibus omnes,
Alipedes saliunt in æquos, rapidißima tranant
Flumina transiliunt clausos niuium aggere montes
Tantum animis in vos spirant crudelibus ignem,
Concita sunt tanto irarum fera pectora fluctu.
Nec sperare licet pacem, nec fœdera, in armis

Vna salus, Lex est violentia, iudice ferro
Lis agitur, pietas illic incognita, membris
Consona mens crudis animo cruda omnia versat.
Vos igitur Christo imbuti, cœlestia docti
Sacramenta, bonos mores, concordibus omnes
Coniurate animis contra hæc tam immania monstra.
Nec solum arcenda est quoties confinia transit
Barbaries, per Hyperboreos ad mortua saltus
Aequora pellenda est, & præcipitanda sub ima
Tartara, ne superet generis stirps vlla nefandi.
Surgite & infestis, atrox indicite bellum,
Gentibus, hic opus est armis non voce fateri
Cœlituum vobis referantem limina Christum.
Increpat has diuina moras clementia dudum.
Et commissa malis queritur sua regna ministris.
Ire iubet celeres diuos, qui pectora Regum
Sollicitent. Et in hæc etiam mea prouocat ora
Verba monens instare dies, quibus omnia fas sit
Ad nos ex Arabis traducere regna tyrannis.
Ponite segnitiem, ciuilia ponite bella
Regna, Potentatus, populi, concurrite in vnum
Fœdus in hoc studium cœlo nos poscit ab alto
Ille suum tanta qui cum pietate cruorem
Pro genere humano moriens trabe fudit ab alta.

Ad Senatnm Venetum.

O Veneti decus Italiæ tutela Latini
Nominis, & Romæ quondam florentis imago,
Quando

Quando sacer tanta cum maiestate Senatus
Maturabat adhuc crescente negocia regno.
Thraicium tantis experti cladibus hostem
Heu nimis Odrysij cognoscitis arma Tyranni.
Euboicæ gentis strages, Scodrensia bella,
Et noua tempestas modo depopulata Methonen,
Naupacti grauis ille dolus noctesq; diesq;
Ante oculos vobis, nec adhuc obducta cicatrix
Vulneris istius tantæ monet, atq; leuatis
Vocibus in cœlum clamore efflagitat alto,
Cladi occurrendum subitò, & fulcire ruinam
Finibus instantem vestris opus esse repentè.
Vos cum Pannonijs obiecti Regibus huius
Tam diræ immanisq; hydræ, quæ guttura septem
Porrigit in vestrum excidium, sorptura capaci
Vos vtero primum, fracto mox obice in omnes
Europæ populos grandi incursura tumultu.
Vos moles obiecta istis tam immanibus vndis.
Fertis onus soli, tempestatemq; Latinis
Hanc tantam soli iam dudum auertitis oris.
Et quanquam ius vestra istis conatibus impar,
Nescio quo pacto forti tamen obstitit ausu.
Et quæ mira magis res est, ita cuncta tulistis
Aduersa, Vt si quis pendat iustè omnia, lucro
Sit iactura minor (dictu admirabile) vestri
Grandinis assiduæ contriti verbere campi,
Nil frugum genuêre minus, sed & amplius aucta
Fertilitas onerat duplicato æraria censu.

Flaminij pars magna soli contermina tusco
Testis & Adriaco prætenta Appulia ponto.
Adde Cypri positas Tyrus in fluctibus vrbes.
Et frumentiferæ cultissima rura Cremonæ.
In vobis spes nostræ igitur, certoq; putamus
Certius, ista fides nostris, timor hostibus hic, vos
Facturos de more satis, calcaribus ergo
Nil opus est. Ipsi in gladios vltrà ibitis, Ipsi
Thraicias nostris aditum facietis ad vrbes.
Et belli dux Marcus erit, quod barbara signum
Gens formidat, vti scyllam & vada Syrtica nauta
Et quid ab hoc vestros sancti molimine belli
Deterrere potest animos? Naualia vobis
Fœta armis totum vexare potentibus orbem.
Est thesaurus opum, non quas æraria seruant
Publica, sed patrum pietas præponere docta
Priuato commune bonum, Tot millia pondo
Argentiq; auriq; dies dabit vna, Quot vndæ
Per mare Tyrrhenum, quot sunt per littora conchæ.
Sunt quoq;, seu terris seu seuiat æquore Mauors,
Armigeræ gentes, belloq; exercita pubes.
Cœnomani acres, & non ignobile semen
Euganei veteres, & gens antiqua Liburni.
Carni & Medoaci, Quorum cognomina seruat
Flumen, & Adriacum portus qui faucibus amplis
Accipiens æstum, fuso facit æquora ponto,
Aequora piscosas latè Stagnantia arenas.
Noricus accedit sumptis non vltimus armis

Mile

Miles, & à Colchis missi regionibus Istri.
Rhetica progenies nutrita sub Alpibus altis
Dura gelu, iaculis horrens, hirsuta sagittis.
Dalmata, & Illyricus bellis naualibus ingens
Præsidium bonus & terris bonus æquore miles.
Chaones & Graij quot sunt Ithacensibus aruis.
Quot littus Pelopense colunt, quot Gnosia regna
Quot Paphios habitant agros Cytherea que regna.
Idalios saltus, Cyniraque & Adonidis oras.
Denique vt ingenijs voluenda fugacibus addam
Pauca, quod inferni steterat prope littora Ponti
Italiæ caput excelsum, sese omine magno,
Transtulit ad superum pelagus, soliumque rogatos
Quod fuit antè penes Stirpem Numitoris ad vndam
Tybridis, ad Iani collem atque Aeneida Romam
Legit apud Venetos, ipsis tutela Latinæ
Gentis & aligero rerum custodia Marco.

Ad Franciscum Gonzagam Marchionem Mantuæ.

TE quoque cum magnis memorandū heroibus addam
Regibus his Francisce ducum decus Ausoniorum
Nam licet imperijs regnes breuioribus, vrbe
Tiresiæ contentus, habes tamen ardua & ampla
Corda, quibus nedum æquipares, sed & omnia vincas
Regna, potens armis, bellandique inclytus arte.
Rex sortitus erat fusum in multos Agamemnon

Elinguisq́ pauor scabros hebetauerat enses,
Et mutilas nostris ferro exarmauerat hastas.
Tu gladios in cote acuis, tu splendida reddis
Spicula, tu nitidis cunctos mucronibus armas.
Deniq́ si verum fas est defendere nostrum,
Est imbelle genus sine te. Qui bella gerebant
Inclyta, Barbariemq́ intra sua claustra tenebant,
Vt patres atauiq́ tui, modo Feltria gens, &
Sphortiadæ cecidêre omnes, te numina solum
Concessêre omnem Italiam, reparare potentem.
Nec solum Italiam, sed & omnia regna per orbem
Quæ Turcus quæ vsurpat Arabs, quæ abscondita circum
Littora Hyperborei Scytha possidet vltima mundi.
In tantam tua vis, nos, spem leuat, ista fatentur
Posse tuis fieri auspicijs ipsæ quoq; gentes
Barbaricæ, & solum trepidant te Thracia regna
Atq; Damasceni fontes, & flumina Memphis.
Maiores exempla tui tibi magna dedêre
Militiæ, sed tu natis maiora relinques
Mæonijs referenda modis, Heliconiadumq́
Nympharum æterno mittenda in sydera cantu.
Et tua post obitum quondam lætabitur vmbra
Tam clara se in stirpe locum tenuisse supremum,
Ac potuisse armis decus immortale mereri.
Sub pedibus spectabit enim tot millia regum,
Atq; Ducum, quos non defendet purpura, quando
Orbe alio virtus & non fortuna triumphat.
Ergo ad opus sublime leua secura laborum

Ius populos,paucis autem regnabat Vlysses
In scopulis,Scyro ignotus latitabat Achilles.
Nec tamen ille Phryges potuit subuertere solus
His potuit fretus. Priamum frenauit,& omne
Late Asiam,Regesq; Syros,qui regna tenebant
Maxima tunc,Persas etiam tremefecit & Ind
Tantus apud Francos bellandi gloria & armis
Carolus Orlandum si non habuisset in illo
Bellorum ingenti strepitu, Getulia quando
Venit in Hesperiam,duce quo tot millia Maurûm
Tot Numidarum acies,missoq; ab origine Nili
Aethiopes Libyamq; omnem subuerteret vnqu
Impiger Orlandus vires dabat omnibus,omnes
Igne suo accendens lixas reddebat Achilles,
Hectoras,Alcidas,turbamq; animabat inerm.
Vnus vt auderet Nomades inuadere centum.
Non sunt quæ magnas ingentia nomina Regum
Res agere,& celebres poßint sperare triumpho
Nec Nero ad hunc potuit,nec Sardanaplus hono
Surgere,quod regale nihil nisi nomen haberent.
At potuit Cesar nondum splendore togatus
Purpureo,non Dictator,non imperiali
Luce nitens cinctus ferro,non lucidus auro.
Fortia facta viri fortes, Heroica patrant
Heroes opera,& virtus non purpura vincit.
Cum intonuit gelida Cimber furibundus ab A
Excidium stragemq; ferens,quis fortiter ausus
Quis tulit auxilium Italiæ,rebusq; Latinis?

Non Rex vllus, opus Marij fuit, ipse leuatis
In Boream signis quasi contra fulmina & atram
Tempestatem actam à Scyticis Aquilonibus Auster
Fortior, extinxit strepitum: paßim imbuit Alpes
Sanguine barbarico, & temeraria repulit arma.
Tu quoque, namque fidem facit his tua missa per orbem
Gloria tu decus Italiæ in sublime tulisti
Dum pubescis adhuc. Sic & cunabula circum
Repentes puer elisit Tirinthius angues.
Maius opus vicisse homines, qui fusa per auras
Omnia per mare, per terras animantia vincunt.
Nec tamen hæc Gallorum odium te in bella ciebat,
Sed Mauortis amor, Laudumque animosa cupido.
Nam cum fama volans Gallos excellere in armis
Diceret, inuenisse fuit tibi dulce potentem
Ferre tuas hostem vires ardentia corda.
Pugnaces Gallorum animi cognoscere robur,
Fecerunt tuum, tali tua ab indice virtus
Declarata ducum prima te in sede locauit.
…ribus amißis (quid enim non vera fatemur
Contra etiam nostros) tali in mœrore iacebant
Ignaui resides genus insuperabile Gallos
Efferati & vano pugnæ se accingere nixu
Confeßi confidebant prudentiæ & armis.
Tu fractos reparasti animos, tu frigida corda
Inflammasti animans lituos & mortua rursum
Classica terribiles faciens attollere cantus.
Languida segnicies, & vultu degener atro

Pectora, nam nulli possunt tua ferrea corda
Atq; tuum fœlici afflatum syderecorpus
Frangere terrores, aut extenuare labores:
Arma cape, & primas inter te ostende phalanges,
More tuo hostili spargentem sanguine campos,
Et sternentem acies, ac fulminis instar euntem.
Magnus ad excidium Troiæ quæsitus Achilles,
Et sacer Oiclides eruenda ad mœnia Cadmi.
Scipio ad interitum Carthaginis. At tibi longè
Maius opus fortuna parat. Simul omnia namq;
Ad Libyæ atq; Asiæ regna euertenda vocaris.
Tantus honor grandes animos ac corda suapte
Natura generosa potest in bella mouere
Vel gratis, sine militiæ stipe, gloria quando
Immortale bonum, quod in omnia secula vitam
Prorogat, & sat sunt animis ea præmia magnis.
Tune igitur potes in tanto molimine rerum
Stertere? & in plumis prosternere mollibus artus?
Tune potes segnis lituos audire sonantes?
Hinnitus tot æquorum, hastas tot cernere, longis
Ire tot ordinibus turmas splendore micantes
Ferreo? & vndantes rutilanti in vertice cristas?
Et neq; tanta tuam rapient spectacula mentem?
Non ita consueerunt animæ quas inclyta fama
Sollicitat, quæ immortales euadere certant.
Quas Deus æterno statuit succedere regno
Maximus Alcides quæsitum immania monstra
Ibat, & arma vltrò non inuitata ferebat.

Qui

Qui pro Marte regit nunc bella Georgius, vltro
Non prece, non precio tam formidabile monstrum,
Atq; Draconem atro tollentem grandia hiatu
Guttura perfodit directo in pectora conto.
Est aliud quod me tibi commemorare coëgit
Sanctus amor quo te sequor, & genus omne tuorum.
Est insigni tibi radijs accensus Apollo,
Omne agendarum non aspernabile rerum.
Vitali Sol luce solum, sol temperat alta
Aequora, sol nubes abigit. Sol grandia corda
Parturit & medius sedet inter sydera fultus
Hinc tribus hinc alijs totidem fulgentibus astris
Instar Regis agit stellas, & temperat orbes.
Sol Pythona suis monstrum tam immane sagittis
Sustulit, & mortale genus tanto hoste leuauit.
Vis tua sol, Python rabies Nabathæa, venenum
Thraicium, quod sol tuus ima in tartara trudit.
Adde quod aduersis luna est insigne Tyrannis.
Astrum luna fugax, tenebrarum & noctis amicum,
Fœmineum, sterile, vmbrosum, mutabile, vanum,
Adde quod vt victis Romani à gentibus olim
Nomina traxerunt, Sic te quasi viceris illud
Ecce genus, nostra hæc appellant secula Turcum.
Sæpè Deus solet in voces descendere vulgi,
Multaq; diuinant communis murmura famæ.
Suspicor hæc igitur grauium spectacula rerum.
Et citò mittendos in lucem ostendere casus.
Vnde tibi æternæ flagrent incendia famæ.

Te magni, cum tempus erit procedere in hostem,
Ambibunt reges, teq; ad sua quisq; vocabit
Castra Ducem, Virtus illic tua numinis instar
Omnia fortunabit, eris præfectus agendis
Omnibus, Vt celsa residens in puppe magister.
Te Hispani, Galliq; colunt, descendit in ima
Corda hominum virtutis amor, nec in hoste videri
Non laudanda potest, tua nomina magnus adorat
Cæsar, & immensis dominans Alemania campis.
Italiæ verò in te vno sua vota locarunt.
In te vnum vertêre oculos, in te anxia corda.
Teq; suum appellant Assertoremq; Ducemq;.
Nec quicquam te maius habent, te respicit vnum
Nostra salus, age, suppetias fer turbine tanto
Iactatis, mundoq; humerum suppone ruenti.
Viribus Alcidem referens & grandibus ausis.
An potes, & si alios forsan contemnis, honorem
Ausoniæ, atq; preces ita nil curare tuorum?
Nos quibus est ætas grauis atq; infirma senectus,
Semper ad ardentos pro te vigilabimus aras,
Ac multa superos prece sollicitabimus omnes
Vt te consortem, fratres & pignora seruent.

Ad omnes Europæ principes, ac populos Christo fideles.

M*Agnanimæ Europæ gentes aduertite nunquam*
Vos Asiæ Libyæue armis potuisse domari,

Roma-

Romanos nondum facto, sed adhuc ineunte
Imperio, req; infirma, Carthaginis altæ
Subuertisse arces, Aphros domuisse, potentem
Mox Asiam contra signis victricibus isse.
Et positi Europæ supremo in limite Graij
Toti Asiæ soli potuêre obsistere. Persas
Cum Persisq; simul totum fudêre orientem.
Mitto Phryges, mitto ardentem lucente per omnes
Aegæi fluctus flammarum lumine Troiam.
Vndiq; compertum, quoties est fortiter actum
Subiecit pars vna duas, pars vna duabus
Vi maior quanquam orbe minor, quo Græcia Turcos
Nunc vastata ferat, facit hoc in curia nostræ
Gentis, inops animi, veteres oblita triumphos.
Prostituens hosti sese suaq; omnia regna.
Belliger Augerus Phrisijs qui erupit ab oris
Agmine cum magno, docuit nil esse negatum,
Quando regit virtus animos, mortalibus ausis:
Venit ab Oceano, penetrans Germanica regna,
Transijt Italiam, secuit mare, Punica cepit
Littora, per deserta means in aquosaq; rura.
Rura vbi serpentes habitant, vbi Regulus inter
Mille Cerastarum stabula immanissima regnat,
Sunt vbi maiores vastis Elephantibus Hydri,
Misit in Aethiopum steriles vestigia campos.
Oceanumq; alium cernens tentoria fixit
Sydere sub Cancri supremæ in margine terræ.
Illic imperium statuens in sede locauit

Iannem Rege satum Phrisio cognomine Prester,
Qui comes in tanti fuerat molimine belli.
Posteritas eius septem iam secula vincens
Regnat adhuc latè extendens Confinia ad Austrum,
Vnda vbi secretos haurit Nilotica fontes
Cernite vt ipsa suis voluit cum viribus vti
Bethygenas pepulit, pugnax Hippania Mauros.
Nunquam tanta fuit (modo sit concordia) virtus
Christigenæ vobis. Odia inueterata facessant.
Sint sedati animi, sit concinnata voluntas.
Pendet ab his tantum, vestrum est telluris & vndæ
Imperium, facinus si conspiratis in vnum.
Talibus inceptis Deus aspirare paratus
Festinare monet, quod si contemnitis, huius
Vltor erit vestri sceleris, talisq́ sequetur
Vltio. Quicquid opis vobis dare cogitat, hostes
Conferet ad vestros, eritis præda obuia Turcis,
Assyriis, Medis, Arabis, Garamantibus, Indis.
Sed quid opus maiori animos accendere nixu?
Christi omnes gens vna sumus, Respublica Christi
Et vestris imposta humeris, lotum omnibus vno
Fonte caput, Christo æquè omnes moriente redempti.
Omnibus vna fides, vnum cognomen, & vna
Relligio, sit & vnus amor, sit & omnibus vna
Optio, & assumptis idem labor omnibus armis.
Vincere non vultis vobis? at vincere Christo
Est opus, & reparare armis decus imperiumq́.
Ite in bella simul cælo duce, & auspice Christo,

Atq́

Atq; triumphatis spirate ad Olympica terris
Regna, vbi mercedem referet Deus omnibus amplam.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, DE PRAESIDENTIA Oratoris & Poëtæ ad Io. Bap. refrigerium carmen.



EBITA cui potior laus est, quæ gloria maior
Rhetoris, an Vatis, quem præferat Attica Pallas.
Nostra refrigerius quæ sit sententia quærit.
Ipse canam quicquid meus inspirabit Apollo.
Nec quenquam damnare animus, neq; laudibus æqui
Tollere inæquales, quæ sint communia, quæue
Propria signabo, sic elucescere verum
Fas erit, Vt coràm positis salice & saliunca
Illico disparitas simul & præstantia constat.
Quem minus ista iuuant, edat meliora precamur.
Delphica namq; mei non sunt oracula versus,
Nec quæ sancta dabat Phœbi responsa sacerdos.
Materiam quæ lata immò quæ amplissima circum

Arti-

Artifices ambo pariter versantur eandem,
Veloces͡q; agitant in eodem puluere currus.
Quicquid enim sermo potis est comprendere, vtriq;
Subiectum Artifici, sicut mare portat vtrunq;
Et qui puppe humili legit, & qui nauibus altis:
Sed fugit à terris procul alta per æquora Vates,
Non scopulos, non saxa timens, non aëris iras.
Temonem͡q; suum ventosi cærula Ponti
Sulcantem vada, maiori leuat & premit arte.
Occasum melius Vates cognouit, & ortus
Stellarum, Pelagiq; deos, nymphas͡q; natantes
Fontibus & fluuijs, & in alto gurgite Ponti.
Et cur deposito tacitum mare dormiat æstu,
Flebilis Alcione quando noua pignora curat,
Et quare alterno fluat vnda reciproca motu,
Quod tellure latet, quod aquis, quod in aëre viuit,
Quot latis spaciatur agris, quo tempore venti,
Ac tempestates veniant, qui fertilis annus,
Quiue futurus inops, habet Enthea pectora Vates
Interpres elementorum cœli atq; Deorum.
Namq; deos omnes diuûmq; habitacula mundum,
Mente gerit nitida, tenet obseruatq; latentis
Indicium magneta poli, Neptunia regna
Ordine legitimo secat, obuertitq; volantem
Quorsumcunq; libet proram, luditq; per vndas.
Florea serta ligant Charites ad Carbasa nymphæ,
Gramina iactantes passim per transtra forosq;.
Triste nihil, nihil incultum, nudumúe relinquunt,

Proteus, & Triton pater, Aeolus, humida Doris,
Neptunusq́ maris Princeps, & Naiades omnes:
Alma parens Tethys, & cætera numina Ponti.
Ornatum mirantur, iter cursumq́ secundant.
Orator minus alta petit, sed littora circum
Labitur, & vento laxat sua vela minori:
Antennasq́ minus vaga cornua tollit in auras.
Ipsius est sciolo quicquam suadere popello.
Idq́ potest rarò, credi mendacia vates
Cogit, & assensus quo vult inclinat, agitq́.
At quia durior est, minus est vulgata poësis,
Et minus in linguas hominum se misit & ora.
Nonne putas leuius terras sine carmine cultum,
Bellorumq́ duces magnum potuisse Maronem
Dicere? Nonne putas alti vaga sydera mundi,
Scripsisset leuius Romano Manlius ore?
Musarum si non magno perculsus amore
Suscepisset onus mensuræ, artemq́ seueram?
Est leuius verbis causas orare solutis:
Atq; vagos sine lege pedes, & libera demptis
Compedibus quocunq; velis vestigia ferre.
Sunt tamen & quidam quibus est in carmen abundans
Riuus, & ex quorum dulci liquor aureus ore
Semper eat, veluti plenis si florea mella
Sint expressa fauis, vigiq́ fluentia cursu.
Hi facile in modulos agiles, & lactea verba
Prorumpunt, ac si gestent in pectore Phœbum:
Et coniuratæ veniant ad plectra sorores.

Siue frequens vsus, seu cœli abscondita virtus,
Et natura potens agat hoc, seu munere diuûm
Accidat incertum est. Verùm hæc tamen omnia si sint
Diuinum efficiunt Vatem, qualem Orphea, qualem
Musæum, Ascræumq; senem, cæcumq; Linumq;
Commemorant: & Pelignum diuúmq; Maronem.
Quem Thebana tulit felici Mantua partu:
Romanæq; Lyræ patrem, facilemq; Tibullum,
Quiq; sonat cantu ciuilia bella superbo:
Et qui fraternas acies in prælia duxit,
His tanta facundiæ opes, his tantus Apollo:
Non quia sit facilis via, quæ fugit ardua in alti
Parnasi iuga, qui gemino ferit æthera cornu.
Sed quoniam natura sagax, Deus, vsus & astra.
Talibus ingenijs inspirauêre poësim.
Nec tantum ignari sumus in sermone soluto
Essepedes, quibus incedens oratio claudat
Commota, & artifici moueat vestigia gressu:
Sed quando Syntagma istud natura suapte
Vi docuit, dici meruit sine lege, sine arte,
Cùm canit Heroum laudes, aut tristia Martis
Bella feri, vel cùm teneros deplorat amores
Pectora diuino vates succenditur igne.
Et totam afflatus Pymplæo numine mentem,
Se maior, se nobilior, se fortior ipso
Nectar & Ambrosiam libat, plebisq; tumultum,
Clamosumq; fori murmur, plaususq; theatri
Pectoribus linquens, tacito subit astra volatu.

Aſt Orator humi graditur, nec in extaſin vnquam
Raptus adit ſuperos, menſis ve accumbit Olympi.
Garrulitate acri nunc hos, nunc mordicus illos
Vexat hians toto pulmone, & gutture rauco
Ilia diffundit thalamo taciturna ſilenti.
Solæ vbi Pierides tornat ſua carmina Vates,
Quæ populus, doctiq́; legant reuerenter, & omnis
Poſteritas colat, inuidiæ quæ fulmina vincant.
Orator ſtrepitus amat: alta ſilentia Vates.
Sunt tamen & ſacris dentes & cornua & vngues
Arma quibus pugnare auſint & vincere Muſis.
Archilochus docuit, rabido qui certat Iambo.
Et qui execrandam numeris ita verberat Ibim.
Sed magis intendunt animum ad virtutis honorem
Ad pacem, ad diuûm cultum & decora alta virorum
Sed ne quis habet morem non eſſe Poëtis
Vera loqui, fama hæc fallax, & opinio mendax.
Vera canunt vates dulci condita lepore,
Splendoremq́; addunt, immortalemq́; decorem
Rebus, & ore beant ſacro quæcunq́; reponunt.
Quod dabit Orator nudum ſimplexq́: Poëta
Expoliet grauibus dictis & diuite verſu.
Eſt igitur maior bonus Oratore Poëta,
Sublimiq́; ſedens ſolio, quod Apollinis arbor
Circuit & frondes hederæ bicoloris obumbrant,
Supra Cauſidicos & Rhetoras eminet omnes.
Magna quidem fateor verbis, & fulmine linguæ
Orator potuit, populos commouit & vrbes,

Seditiosa graui compreßit murmura voce.
Præcipitesq; rudis turbæ compescuit iras.
Non tamen id propter Cicero superabit Homerum,
Nec te diue Maro Demosthenis ora diserti,
Non quantum quid agat, sed quanta potentia rebus
Contempleris opus, sic quid qua sede locandum,
Sicui quid iuste poßis præferre, videndum,
Non magis est agilis saliens, Thyasosq; frequentans,
Quàm pigros cuicunq; grauis sopor alligat artus.
Nec vigilans oculus languentia lumina somno
Exuperat visu, talis mentitur elenchus
Pelides Phrygias vicit, non Iuppiter arces.
Est igitur summo victor Ioue maior Achilles.
Externo positas gentes Oriente subegit
Magnus Alexander, quò non peruenit Iacchus
Non tamen est ideò superis & numine Bacchi
Maior Alexander spoliato Oriente superbus.
Non maiora tamen damus Oratoribus acta.
Namq; quid est, & quid sibi vult Amphiona quondam
Adiutrice lyra patriam instaurasse iacentem?
Mœnia quid sibi vult Cythara Troiana sonanti
Creuisse, atq; sono lapides ad Pergama tractos?
Ista docent homines vatum dulcedine tractos
Accinxisse operi, pronoq; ad carmina gressu,
Conueniens vulgus cœpto indulsisse labori.
Orpheus adiutus neruis & cœlibe cantu,
Per nemorum latebras, per inhospita saxa, per agros
Errantes hominum turbas collegit in vnum,

Viuendiq; modum docuit, moresq; ferinos
Abstulit, atq; truces animos mollire canendo
Cœpit, & edomuit placidis fera pectora Musis:
Diuinos etiam ritus, altaria & hymnos
Instituit, diuûmq; nouos inuenit honores.
Ausus & ipse minas Pelagi superare furentis:
Semideos inter frigentem venit ad vrsam.
Cecropius Vates claudo pede militat vrgens
Artifici residens animos in prælia versu,
Et placido crudum succendit Apolline Martem.
Dij veteres responsa dabant rarò ore soluto:
Sæpe modis quoniam plus maiestatis & artis,
Et plus laudis habent, isto splendore loquelæ
Attonitas hominum fallebant numina mentes.
Carminibus sacris quæ non tentata fuêre?
Intactum veteres quidnam liquêre Poëtæ?
Terra ferens plantas habitata piscibus vndæ:
Aura natata auibus, flammæq; animantium inanes,
Aethereæ domus diuûm lucentiaq; astra.
Diui ipsi terræ dominatores & Olympi,
Et causæ rerum altrices, quas omnipotenti
Natura ingenio docet omnes edere partus:
Atq; Mathematicæ celebratæ versibus artes.
Adde hominum leges, & fœdera flebilis Orci.
Adde pios pacis mores, belli adde labores.
Omnia carminibus debent, sacroq; sororum
Pieridum numero, viridi quæ in margine fontis
Castalij dulces iterant ex ordine plausus.

Inter sollicitæ nihil est medicamina mentis:
Quod magis ægrotum pectus leuet atq; resoluat
In nihilum curas animi graue pondus inertes
Quam Lyra & Aonij dulcis Symphonia plectri.
Carminibus Naso curarum mitigat æstus:
Et patriæ amissos irato Cæsare fines.
Carmine iacturam bis raptæ coniugis Orpheus
Temperat: & curua flagrans testudine pectus
Mulcet, & antiquos sensim dedidicit amores.
Ergo animum reuocant studia ad meliora puellæ
Pierides, iuuenumq; fluentia vota coercent.
Et quia perpetua genitor dat Iuppiter illis
Virginitate frui, versus odêre salaces.
Lasciuam oderunt Venerem, iuuenesq; petulcos.
Carmen amant veræ sanctum, & sine labe Camœnæ,
Secretoq; adito gaudent, & cœlibe tecto.
Semper & indocilis turbæ consortia vitant.
Degenerant falsæ, spurcosq; sequuntur amores,
Mollia pingentes & scenica carmina Musæ.
Vnde Meretriculæ dici meruêre habitantes
In scenis, in fornicibus madidisq; tabernis.
Orator populi rebus se immiscet agendis
Diuitijs inhians, audacem vendere linguam
Doctus, in antithetis librat pugnantia verba.
Dum sermone rotat turgentia verba superbo
Sæpe simultates tacitas, manifestaq; gignit
Sæpe odia, in proprium strictos caput excitat enses.
Saucius auulsa iacet hîc in littore dextra.

Alter apud Calabros fugiens bella aspera fluctus
Neptuniq́ patris sacram susceptus in ædem
Se manibus necat ipse suis, & acerba veneno
Fata ciet properans, mortiq́ obit obuius ipse.
Munera tranquillus fugiens ciuilia Vates
Contentusq́ opibus modicis, sua carmina nulli
Vendit, & oblatos etiam non curat honores,
Inter honoratos patres, plebemq́ minorem
Gratior incedit, turbis mirantibus, atq́
Millibus è multis vni assurgentibus illi.
Nescio quid Vates diuini numinis instar
Fronte gerens oculos in se conuertit & ora.
Nectar ab illius labris, & Hymetia mella
Flumine perpetuo stillant, dicentis ab ore
Aurati pendent proceres, patrumq́ corona.
Clioq́, Euterpeq́, Thaliaq́, Melpomeneq́,
Terpsichoreq́ Eratoq́, Polymniaq́, Vranieq́,
Calliope, hac musas forma supereminet omnes,
Quorsumcunq́ petat, Vatem comitantur, & hæ sunt
Mnemosynæ magniq́ Iouis doctißima proles.
Hæ nullum sine fruge diem, sine Apolline nullum
Tempus abire sinunt, istis retinentibus ætas
Lentius it, tardo veniens pede cana senectus
Membra minus frangit, seros minus afficit annos,
Et minus vt Lachesis deducere stamina vitæ
Desijt, ossa premit tellus, parcitq́ sepultis
Vatibus amplectens venerandos leniter artus.
O mihi Castalides gratißima numina Nymphæ

Quæ puerum quondam me suscepistis alendum,
Ducite me (nam tædet agris his degere) quæso
Aonas in montes, date tecta silentia nobis
Vallibus in vestris, syluas date, cedimus alta
Mœnia Rhetoribus, moderandas cedimus vrbes,
In loca me semota procul, sepostaq; longè
Tollite nec viles inter canescere turbas
Me sinite, errantem vestris lux vltima campis
Me precor inueniat, studijs mea dulcibus ætas
Læta fluat, sacra Musarum me ad funera ducant
Numina post obitus, neq; enim mortale Camœnis
Numen inesse puto, me clari lucida mundi
Atria fœlicesq; animas comitentur euntem.
Hæc Baptista tuum super hoc certamine Vatem
Sit cecinisse satis, Sacræ mysteria legis
Dum docet, & paruis ingentia viribus audet.
Plura canam quando multum quæsita labentur
Ocia, quando Deus, quando magis astra fauebunt.



BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, AD IACOBVM Carphorum Ferrarienſem.

DE SVSCEPTO THEOLOGICO Magiſterio.



ACTENVS imparibus numeris mea muſa cucurrit,
Picta genas fuco, pictis redimita coronis
Per iuuenum curas, & per tua caſtra cupido
Nunc opus eſt maiore lyra, nunc ſeria nobis
Sunt dicenda, ſales abeant, riſusq́ iocíq́,
Nunc ſe difficilem præbet nimis impia Iuno.
Nec ſolum negat auxilium, verum aſpera contra
Bella mouens vetat ex humili diſcedere vulgo.
Copia quæ multis Acheloia frugibus implet
Cornua, conuerſis alio mea vultibus ora
Ferre nequit, cœliq́ potens ruit impetus in me.
Saturni Martisq́ graues vix vincimus iras:
Vix Citherea Venus tanti eſt, vix Iupiter ipſe:
Tempora Calliope pullo velauit amictu,
Contractiſq́ ſupercilijs, & pallida vultum:
Anxia ſollicito ſuſpiria pectore ducens,

Afflictæ indignum mentis confessa dolorem est.
Sicut in Orphæo quondam mœstissima fato
Nam subito dulcis natis conterrita casu
Languit & Lachrymas oculi fudêre tepentes,
Quem missum in liquidas Hebri caput audijt vndas,
Sublatamq́; lyram nitidis agnouit in astris.
Huius inornato mœrens tibi carmine pandam
Mœstitiæ causas, Tu mitia pectora præbe
Auxilioq́; grauem curam solare precantis,
Semper ego à teneris (sic sors mea me tulit) annis
Et Phœbi, & tetricæ studijs hærere Mineruæ
Consului, durusq́; tuli subijq́; labores,
Dum Samiæ sublime notæ, dextrumq́; cacumen
Scandere conarer. Gaudent sudoribus artes,
Et sua difficilem reddunt ad limina cursum.
Nam totos cum nocte dies in somnis, & expers
Lenæi & Cereris, macilentus & ore subalbo
Inter odoratas Lauros Phœboq́; dicatas
Eurotæ ad ripas consumere sæpè solebam
Tanta Pallas erat curæ, me tantus agebat
Ardor, vt & propriæ nescirem parcere vitæ.
Si quando humanam rapiunt cœlestia mentem
Numina terrenis spoliant affectibus, inde
Sæpe fit, vt vires pssuas sua protinus arma
Colligat, & fugiens clamosi murmura vulgi
In loca se deserta ferat, lucosq́; silentes,
Aethereo solum Regi placitura, sibiq́;
Artibus humana postquam ratione repertis

Tantum

Tantum operæ impendi, sacram tentare Mineruam
Consilium fuit, & diuinas voluere Chartas.
His didici quis sit magno qui præsidet orbi,
Et solum summumq; bonum, quo ducimur omnes
Primaq; nascentis vidi primordia mundi,
De nihiloq; aliquid factum, nec vera locutos
Phœnices, Persasq; magos, Druydasq; seueros.
Pocula Tantalei semper manantia saxi
Hausimus, & magni calicem potauimus Esræ.
His vbi me quidam satis inuigilasse putarunt,
Meq; isto sudasse satis vidêre sub axe,
Consuluêre vnà patrios non spernere mores,
Neve mihi oblatum parui diadema putarem.
His monitis longa tandem prece victus adhæsi,
Atq; ea quæ doctos redimunt insignia sumpsi.
Sæpè quidem dixi non hoc me dignor honore.
Non decet hos humeros tantæ supponere moli.
Quoad potuit renui, variasq; opponere causas,
Ne fieret studui, verùm ars non profuit vlla
Et frustrà excusans consumpsi tempora. Vicit
Vicit amicorum pietas, vicêre diurnæ
Nocturnæq; preces, nec enim mihi cornea fibra.
Supplicibus dictis deducere sydera cœlo
Sæpè Magus potuit, ferrumq; adamantaq; durum
Soluere, & in cineres potuit conuertere saxa.
Aßiduis hominum precibus mitißima fiunt
Numina, quæ fuerant odijs accensa malignis.
Carminibus, precibusq; pijs & supplice cantu

Thraicius Vates potuit Phlegethonta mouere.
Lacte feræ catuli virosoq; vbere pasti
Montibus in summis, in duris cotibus, inter
Aspera dumeta, & spinis abscondita lustra
Humanis nunquam loca cognita greßibus orti,
Obsequijs, blandisq; solent mansuescere dictis.
Ipse manus in vincla dedi, feciq; coactus
Non equidem quod ego, sed quod voluistis amici.
Cùm me pauperies & res angusta teneret,
Aonios adij fontes, sanctasq; sorores,
Supplicibus dictis ad opem incuruare ferendam
Dum propero, Deus is qui me tibi fecit amicum
Cur ignaue siles dixit, cur carmen & artes
Non agitas nostras? frustrà ergò in montibus istis
A puero errasti, tibi nil mea proderit ergò
Laurus, & vnda sacri tua quæ rigat ora liquoris?
Sume lyram, Cantusq; moue, mæstumq; timorem
Pone, tuis pronas precibus qui porrigat aures
Diuitijs Iacobon habes, animoq; potentem.
Ipse tuam sortem miserans succurret, & auro
Pauperiem tollet, pone istas pectore curas.
Spem dedit hanc misero Cyrrhæ qui præsidet arci,
Et nocturna suis renouat splendoribus astra.
Miratæ rupes Phœbum collesq; loquentem
Assensêre suo Regi, sacræq; sorores
Pauperis in misero casu gemuêre Poëtæ.
Quare age si sacras penitus non despicis artes
Et nisi te veteris mutato pectore nostræ

Tædet

Taedet amicitiae, si qua est clementia, si pars
Vlla tibi pietatis adhuc, si numina curas,
Prome aliquid, vatiq́ faue, dextramq́ iacenti
Porrige, & in tenebris erranti lumina pande.
Et pudet, & durum est mihi mendicare, pudorem
Res miserae superant, & quae me cogit egestas.
Ite mei versus, & non redeatis inanes.
Si quod habet numen nunc experiemur Apollo.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, THEOLOGI, AD REVERENdissimum ac Illustrissimum Sigismundum Gonzagam Protonotarium.

ELEGIA CONTRA AMOREM.



ONSVLVIT pietas vt te Sigmunde monerem
Communem iuuenum ne sequerere vi-am.
Omnis enim tenera puer vt lanugine ve-nat,
Perdere in insano tempus amore solet.

Quo

Quò caueas igitur scelus hoc, animiq́ venenum,
Quid sit amor paucis instituare modis.
Mentis amor vitium iuuenile, cupidine formæ
Visu animi robur debilitante satum.
Hoc vbi corda premens humana tenacius hæsit,
Obligant imposito colla subacta iugo.
Et trahit in facinus Veneri quodcunq; videtur,
Nil veritum leges imperiumq́ Dei.
Res horrenda, facit licitum scelus omne videri.
Sic iacet affectu mens hebetata malo.
Vt notus æstiuis obnubilat aera nymphis
Ac tenet oppressum sole latente diem.
Sic amor ante oculos animi velamina tendit,
Et trahit in cæcum pectora nostra chaos.
Hinc securus amans per aperta pericula fertur,
Quæ nisi mentis inops nullus adire velit.
Hic positis noctu scalis super alta domorum
Tecta salit, Getico dum riget aura gelu.
Hic iacet in latebris, loculoq; reconditus arcto
Spem titubans inter fluctuat atq; metum
Pugnat in ambiguo sententia pectore duplex,
Vellet amore frui, vellet inire fugam.
Ille subit gladios, & pro muliere duellum,
Mox init egestam saguinolentus humum.
Fit pecus omnis amans dum pro ratione libido
Iudicium nutu, temperat omne suo.
Quisquis enim viuit sine lumine mentis & vsu,
Fert hominis vultus ingeniumq́ feræ.

Est

Est pecus, & fallax hominem mentitur imago.
Testis opus melior, veridicumq; magis
Anser aquis gaudet, syluis aper, aëre Falco,
Legibus humanum consilioq; genus.
Syrenes, Satyri, Panes, Nymphæq; marinæ
Et Lamiæ humani corporis ora ferunt.
Si videas vultus, homines vidisse putabis
Esse feras constat si intuearis opus.
Hinc igitur fati non sunt mendacia Vates,
Quando homini vultus imposuêre nouos.
Qui partim sensu partim ratione feruntur,
Nec viuunt totos cum pietate dies.
Hi sunt Centauri Minotauriq; biformes,
Monstra quibus duplex ambiguumq; genus.
Talia significant animos in amore iacentes,
Continuè in mutum degenerare pecus.
Hinc bouis effigiem subit Inachis, æquora subter
Latrat, & absorptas Scylla profundit aquas.
Nyctimene in noctis volucrem conuersa, Medusæ
Tempora Vipereæ complicuêre comæ.
Vtq; scias quantum valeat subuertere mentes,
Inferior nullis cladibus iste furor.
Aspice Leandrum spaciosa per æquora nantem
In feodium fati sollicitare sui.
Aspice pastorem Phrygium Spartana ferentem
Furta, domus lachrymas excidiumq; suæ.
Suasit amor Scyllæ regno spoliare parentem,
Et dare Gnosiaco se patriamq; duci.

Tanta animo rabies, hostem præponere patri
Consuluit sæuo sæuior angue puer,
Aspice Theseæ redeuntia vela carinæ
Ferre Iouis neptes furta superba Deas.
Crudeles casus tristemq; attende rapinam.
Nec seruasse datam fœdera vana fidem.
Quid referam Cinyræ coitum? Quid Biblidis ignem
Et scelera admisso Pasiphaæa boue?
Phasias hospitibus dedit aurea vellera Graijs,
Et secuit dura pignora parua manu.
Heu facinus crudele, parens in sanguine nati
Tingitur in sobolem carnificata suam.
Ira malum minus est breuibus quia præterit horis,
Longa venenosus tempora viuit amor,
Viuit, & assiduis hominem cruciatibus angit.
Et tenet ardenti corda sepulta foco.
Cætera quæ nostrum dicit mortalia vulgus
Crimina sunt longè perniciosa minus.
His etenim satis est vni nocuisse. Cupido
Vult homines saltem præcipitare duos.
Semper enim tali febrit quicunque cicuta,
Vult alium vitio commaculare pari.
Aspice quàm varijs Erymanthida Iuppiter Vrsam
Cæpit, vt est virgo ludificata modis.
Quot studuit verbis Daphnem facundus Apollo
Flectere, & ardori conciliare suo.
Te cui magnanimo grandes in pectora curas
Parturit antiquæ gloria longa domus.

Et tui maiorum laudes calcaria ſubdunt.
Vt ſtudeas atauis non minor eſſe tuis.
Hanc decet ex animo penitus conuellere peſtem,
Et ſepire omnes, ne feriare vias.
At vitare locos, puer hic vbi retia tendit,
Atque vbi in inſidijs ipſe latere ſolet.
Retia ſunt iuuenum vultus, & amabilis ætas
Quæ rapiunt ſenſus illaqueantq́ nouos.
Corda retundit amor, generoſa negocia frangit,
Nec niſi fœmineum mente volutat opus,
Grandibus inceptis ſtudijsq́ virilibus obſtat,
Nec probat heroa fortiter acta manu.
Negligit inſignes quæ ſunt paritura triumphos
Et decora & titulos æſtimat eſſe minus
Delicias, vnguenta, iocos, & inertia laudat
Ocia, & ad Phrygios fila reducta modos.
Inuidus Æneam Libycis tentauit in oris
Siſtere, ne in Latium proſequeretur iter.
Ne iacta imperij primordia poneret Alba,
Vnde ſata eſt orbis Roma futura caput.
Æſtuat amiſſa Bryſeide magnus Achilles,
Languet & Argolicis ferre recuſat opem.
Sic amor elatam ſtuduit ſubuertere mentem,
Vt Venerem Graios poneret ante duces.
Vt iuuenis tantum decus obſcuraret, & arma
Græca forent læſo debiliora duce.
Et quia nudus amor, ſtudet exhaurire ſequaces
Eximias luxu dilapidante domos.

Hinc vbi quis lautis minuit patrimonia mensis
Ambulat attrita tristis inopsque toga.
Et quas cura patrum multis sudauerat annis
Fœmina longæuas vna triumphat opes.
Et quoniam puer est, leuium solatia rerum
Qualia blandiciæ, basia, carmen amat.
Et quia pennatus, cito mobilis, & quia cæcus
Præcipiti fertur per scelus omne gradu.
Et quia fert arcus, mucronigeramq; pharetram,
Atque facem, mala mens, ingeniumque ferox.
Incipit à risu, curis coalescit amaris,
Desinit in lacrymas improbus iste furor.
Quisquis amas igitur, quanquam fortuna secundet,
Et facilem puppi det leuis aura viam.
Sis memor euentus, versaque relabere cymba,
Peruia tranquillo dum finit vnda freto.
Et caue ne subita maris inuoluare procella,
Dum tonat ardenti fulminis ira polo.
Hæc habui ad præsens, tibi quæ memoranda putaui,
Dum cupio ad summum promoueare decus.

Eiusdem de natura Amoris ad Iuuenes, Carmen iuuenile.

Omnipotens iaculis metuendus & igne Cupido,
Qui sibi mortales subijcit atque Deos.
Audentes animos amat, & sublimia corda
Gaudet ad eximium sollicitare decus.

Ignipotens ideo, quia vult ardere medullas,
Pectoraq́ excuſſo fert animoſa metu.
Aliger eſt, quoniam terris petit alta relictis,
Et ſecat excelſas difficileſq́ vias.
Ambulat armatus, quia diligit arma Virumq́
Qui gerit audaci bella ſuperba manu.
Legimus Alcidæ curas & Achillis amores
Oenidæ ardores? Tantalidæq́ dolos.
Aſpice Leandrum tumidos contemnere fluctus,
Et dare ventoſis penſile corpus aquis.
Perſeus audaci veniens per inane volatu
Æquoream valido ſuſtulit enſe feram.
Et Paris inuaſit fauſto Lacedæmona raptu.
Vnus amans tanta fortior vrbe fuit.
Multa poteſt (fateor) virtus, Rhamnuſia multa,
Sed tamen in nobis prædominatur amor.
Quando amor in mentes cælo delabitur altas,
Protinus heroas ſemideoſq́ facit.
Hi ſunt qui factis celebrant illuſtribus orbem,
Et quorum penetrat nomen vtrumq́ polum.
Hos igitur ſtimulos, iſtas generoſa iuuentus
Diſce pati flammas, & ſapienter ama.

FINIS.

BAPTISTÆ MANTVANI
BLASIVS CAPPADOX,

AD REVERENDISSIMVM PVCCIVM LAVRENTIVM CARD. SANCTORVM QVATVOR.

LIB: I.



Ræcipua in diuos qui relligione ferũtur
Non satis esse putãt illis impẽdere mẽtẽ,
Atq; animum: sed signa dicant, altaria, ludos,
Pyramides, sacras vestes, sublimia templa.
Ast ego, quem fecit Christo deuota voluntas.
Non fortuna inopem, cum sim indigus æris & auri.
Et sine fortunis,, quid agam? neque promere carmen
Fas mihi Cælitibus dignum: non est mea tanti
Barbitos, vt moueat siluas & marmora: non sum
Amphion Dircæus ego, non Thracius Orphæus,
Quos traxisse feras memorant, & flumina cantu.
Quid faciam? præstare potens si grandia non sum,
Nulla feram? non sic mater sanctißima rerum
Me natura docet: quæ fusa per omnia mundi
Membra suas iuxta vires operatur vbiq;,
Semper iners metuens atq; infœcunda videri.

Anxius impendit gregibus curamq́, operamq́,
Et satis officio fecit pro viribus omni.
Omnia quæ legum lator, morumq́ magister
Instituit Christus, populi resonabat in aures.
Semper, & exemplo plus quàm sermone docebat.
Hinc veluti virtutum alto de gurgite fluxit
In populorum animos, & in intima pectora plebis
Prouentus genus omne boni: crescebat in horas
Fertilitas, frugumq́ ferax cultura bonarum.
Venerat huc & merce sua ditauerat vrbem
Cæca fides, audita sequens, incognita credens:
Et casus animante Deo ridebat acerbos.
Spes quoq́ semper inops, semper sitibunda futuri:
Quæ velut exspectans aliquid sedet ope supino.
Venit & inuidiæ Caritas inimica suarum
Prodiga opum, necnon custos malus æris & auri
Oblitusq́ sui rapidis amor affuit alis:
Affuit & virtus, quæ fortia temperat vndis
Vina superfusis, luxum cohibere gulamq́
Et frænare potens vesani incendia sensus.
Venit & armipotens Virgo, quæ amplexa columnam
Palladium robur vultu prætendit & ausum.
Tu quoq́ præteriti memor, & præsaga futuri
Temporis, & Iani duplicem vestita figuram
Tunc aderas, aderat lances quæ portat, & ensem
Ossa malas Astræa manus, inimica rapinis.
His pater hospitibus tantam formauerat vrbem,
Affectu q́ omnis populus veniebat in istos, Sic

Sicut ad vna omnes concurrunt pascua tauri.
Corda, manus, oculos, plantas, linguamq; mouebat
Christus, & in cunctis (ita conciliauerat illos
Disciplina vigil, sanctiq; industria patris)
Spiritus vnus erat, quoties ad templa vocabat
Festa dies, aderant curis ciuilibus omnes
Protinus exclusis, tota cum plebe senatus,
Matronæ cum virginibus, cum pube senectus.
Non illos vt nunc quando incestata facessit
Relligio, Veneris proles in templa trahebat:
Sed pietas, & sancta Deus præcordia pulsans.
At quæ diuini poscit reuerentia cultus
Cum patrata forent, omnes in tecta redibant
Sancti oculos, animum sancti, sancti ora manusq;.
Incestus tum nullus erat, tum nullus adulter,
Non raptor, non sacrilegus, non insidiator.
Tutus erat pudor in thalamis, in ouilibus agni,
Armentum in caulis: omnes via tuta per agros.
Tutum æs in loculis: sine lite silentia toto
Muta foro: Caritas melior custodia rerum
Quàm leges, vbi viuit amor, peccata facessunt
Omnia: nil opus est prætore: superflua lex est.
Vt solet ad numerum tactis symphonia chordis
Surgere: sic animis innoxia vita per vrbes
Compositis oritur, qualis fuit antè, parentum
Quàm vetus improbitas diuinam accenderet iram.
Affectus si lege carent: in bella ferarum
More ruunt. viri, pacem qui quæritis, istud

Exturbate: istas animorum extinguite flammas.
Hoc veri pastoris opus, qui pascere curat,
Non morbo incestare pecus, quæ pessima totas
Implicuit terras hac tempestate libido.
Noxia si proferre caput vidisset in agro
Gramina, doctrinæ, rastris & vomere linguæ
Mox aderat steriles prohibens inolescere plantas.
Blasius bis studijs, hac sedulitate solebat
Custodire greges, atque exercere talentum.
Vt miseris afferret opem, quos ære alieno
Audierat morbóve premi vel pauperis anni
Damna pati, vel sortem aliam tristem atque malign
Ibat ad insignes aulas, & ad horrea Ditum,
Res quibus est opulenta domi & cellaria plena,
Suadebatq; aliquid grandi depromere aceruo,
Atque inopum patronus erat. sæpe aurea vasa
Ex templorum adytis cum res reposceret, istos
(Sic accensa viro pietas) vertebat in vsus.
Sæpe loquens turbis, Christi patrimonia claudi
Non debere inopi, Christumq; dicasse trientem
Mendicis ex asse suo memorare solebat.
Istud idem sancti patres sanxere, volentes
In tres diuitias Christi discindere partes:
Quarum prima sacri fluat in collegia templi,
Vnde habeant mensas, medicos, habitumq; ministri:
Altera restituat labentia templa, domosque,
Quas habitat sacer antistes, mystæque minores.
Cetera distribuat pietas, alimenta ministret

Plebi inopum, iuuet ægrotos & debile vulgus.
At quia qui leges aliis dare cogitat, ipsum
Est opus in primis sibi legem imponere, numquam
Indulsit Genio. Genius conuiuia, somnos,
Otia, lætitiamque petit: quæ singula pastor
Optimus aufugit doctus tolerare laborem,
Tomentum Circense pati, quod arundine trita,
Non leuibus plumis, nec molli vellere fartum,
Difficiles etiam curas, æstumque, geluque
Spirituumque dolos, at tentamenta malorum.
Nam sine laruarum insidiis, & pseudo Deorum
Vulnere fas nulli mortalem euadere vitam.
Dum pius in terris diuina negocia pastor
Ista gerit, duce Marte Deum conuenerat omne
Consilium subter cautes Trinacridos Ætnæ:
Regnat vbi flammarum opifex, qui fulmina cudit.
Hæc lemurum proceres vltro citroque locuti
Plurima pro imperio pro maiestate Deorum
Decreuere alium Latio præponere Regem.
Carus enim qui tunc belli molimine magno
Vexabat Persas, quòd erat mansuetus & insons
Christigenis, genus est visus nescire Deorum:
Propterea statuere illo violenter abacto
Vestigare nouum, cui mens atrocior esset,
Atque magis crudum ingenium, quod perderet omnes
Relliquias Christi, veteresque reduceret aras.
Lectus ad excidium Cari Vulcanus ab Ætna
Deuolat in Libyam, piceasque ex æquore nubes

Cogit

Cogit, & excitis per cœlum immurmurat auris.
Nec mora, per Libyæ campos cum fulgure fulmen
Intonuit, noua tempestas nigrescit ab Austro.
Iam pluit, & crebris ardet cœlum ignibus omne,
Intentatq; freto & terris horrentia bella.
Mortales miseri quid agant in turbine tanto!
Ignari tanquam pecudes indagine clausæ
Corda tremunt, animosq; leuant ad Numina tristes.
Ecce super Persas ventis agitata coruscant
Nubila, & in nebulis animæ Phlegethontides ard
Nam Stygij Manes immiscebantur opacis
Nubibus & ventis, tempestatemq; fragosam
Ad loca patrando sceleri oportuna ferebant.
Mulciber in nimbis formauerat igne coacto
Fulmen, & in grauibus Cocyti exstinxerat vndis
Sæpius, adijciens sulfur Phlegethonte petitum.
Iam furit, impatiensq; moræ retinacula frangit
Ignis, & ingenti fugit extra nubila bombo.
Dum trepidant omnes, dum sanguis in intima corda
Proripitur: fragor irradians tentoria Regis
Intrat, & includens animam pulmone sub imo
Respirare negat, vitamq; à pectore soluit.
Rex iacet exanimus, tristisq; per omnia castra
Fama volat casus, tenditq; per aëra Romam.
Officio functus redi t Vulcanus in Ætnam.
At cui cura noui Pallas Tritonia Regis
Qua lemures norunt facinus conglutinat arte:
Se insinuat primorum animis, totamq; subornat
Militi

Militiam: plebis palpat præcordia: blando
Aduersos operi mollit popiſmate: feſtos
Commemorat turbis ludos, menſasq; dapales:
Quas Cæſar præbere nouus conſueuit, & omnem
Lautitiam, vota incendit popularia, voces
Clamoremq; ciens it caſtra per omnia. tandem
Delegit caſtrenſem hominem toruo imperioſum
Lumine: cui nomen veniens à voce Diocles.
Exſultauit, vbi ſcelus id crudele peractum
Vidit, & inuento riſit lætata Tyranno.
Cæſar hic imbutus Phœbo, Ioue, Marte, Mineruæ,
Diisq; aliis, Saturnæ tuæ qui nomina gentis
Accipiunt, Chriſti populum depellere toto
Orbe parat, fieriq; iubet priſco omnia ritu,
Vt Numa & antiqui reges docuere Latini.
Æneas etenim quando ad Lauinia venit
Litora: ſacra tulit ſecum victosq; Penates,
Et dedit indigenis, docuitq; arcana Deorum
Orgia, quæ æternos ea gens ſeruaret in annos.
Multa quoq; Euander prius & Carmenta ſacerdos
Arcadys olim tulerant libamina ab oris
In Latium: quæ poſt obſeruauere nepotes.
Tuſci etiam quædam deliramenta tenebant,
Quæ genitus tellure Tages inuexerat olim:
Hæc igitur Cæſar non quæ de litore Ianus
Attulit Aſſyrio, poſtquàm ſeruanda per omnes
Vulgauit populos, odio ſtimulata Deorum
Indocilis cepit ſæuire licentia Vulgi:

Chriſti-

Christigenæ tamquam genus exsecrabile passim
Diripiuntur, opes fisco addicuntur, & ipsi,
Si dare sacra negant, vinclis, ferro, ignibus, vndis.
Tantaque mox facta est Ceritæ insania turbæ,
Vt sine iudicijs homines, sine legis & æqui
Ordine inauditos nudato inuaderet ense
Publicè, & in templis Diuum, totamque per vrbem
(Res horrenda, ipsoque etiam damnata sub Orco)
Frustatim concisa hominum tellure iacebant
Corpora, quæ tumuli non dignabantur honore
Sacrilegæ gentes, ne, quod funesta docebat
Relligio, requies animis errantibus esset.
Namq; animas, quarum iaceant sine honore sepulcri
Corpora, posse negant Stygias transire paludes.
Cædibus (auditu triste ac miserabile) tellus
Ebria sanguineas nubes tollebat in altum:
Vt cum vere nouo proscissis vomere campis,
In fumum se soluit hiems iam Sole sub altum
Immittente solum radios, almumque teporem:
Vda humus exhalat bibitos in nubila nimbos.
Tum pleriquè patres sancti cum tale viderent
Excidium, fugere vrbes, & more ferarum
Per deserta vagi cæcis latuere cauernis.
Ista ego crediderim per Noxia tempora Paulum
Niligenam, Sole ardentem qui primus Eremum
Incoluit, liquisse vrbes patriosque penates,
Et didicisse togas textis componere palmis.
Tum Caius, qui præsul erat Romanus, in altis

Delituit cryptis, tunc Marcellinus & ipse
Romulidum pastor victus formidine Christum
Prodidit, & plena Marti libauit acerra.
At scelus id mox erubuit, sensuque recepto
Incepit damnare Deos, extollere Christum.
Nec mors horribilis visa est: sed sponte cucurrit
In medios hostes, iugulumque tetendit ad ensem.
Fortior inpugnam post signa amissa reuersus,
Victor & ornatus viridi discessit oliua.
At cum Christigenæ, quia sic peccauerat, eius
Membra vererentur tellure includere: Olympi
Ianitor in somnis monuit, cum spiritus arces
In paradisiacas isset, non esse verendum
Corpus honorato patris insignire sepulchro.
Iuerat hæc pestis lemurum teterrima ad vrbes
Thraicias, ad Cappadoces, Bebricia ad arua,
Atque Albana, cruor iam Thermodontidas vndas,
Iam Phasis macularat aquas, macularat Araxem,
Litoraque Hyrcani maris, Armeniasque, Syrasque,
Medorumque domos, niueique cacumina Tauri.
Albanis canibus, qui dilaniare feroces
Sunt soliti tauros, & debellare leones,
Obiiciendi hominum viuentia corpora postquam
Esuriem tulerant, iam mos inoleuerat atrox.
Blasius hanc rabiem fugiens de more volucrum,
Quæ, quoties noua tempestas consurgere visa est,
In loca tuta volant, & sese in tempora seruans
Opportuna magis populi curæ atque saluti,

In

In densos abijt saltus stabula alta ferarum.
Cùm regnante tenet sceptrum vis sola Tyranno,
Et lex muta silet, quid agant qui viuere vitam
Insontem sanctamq; velint? æquißima tali
Tempestate fuga est, donec bona sidera surgant.
Qui fugiunt iterum possunt pugnare: sepulti,
Non redeunt in pugnam iterum, spes magna salutis
Est gregibus, cùm pastor adhuc vitalibus auris
Vescitur, atq; eius reditus speratur in horas.
Cum potis est seruare gregem, si fugerit, atrox
Incurrit facinus: sed cùm violentia vincit,
Et pastor prodesse nequit, sibi consulat ipsi.
Qui seruare alios cupiunt, seruare seipsos
Est opus, atq; suam in primis curare salutem.
Tunc igitur pastor lacrymans magalia linquat,
Et Superis commendet oues, qui vincere soli
Horribiles casus, atq; infortunia possunt.
Altior Æmonio mons est Argæus Olympo
Semper habens hiemem, semper niue candidus alta
Vertice in excelso, tantumq; ascendit in auras,
Vt supremus apex videat duo maxima vtrinq;
Æquora, quæ claudunt Asiam: vestitur opaco.
Rupibus à summis vsq; ad vestigia saltu:
Per deuexa cadunt fontes, quibus humida tellus
Graminibus vernat, medicisq; se induit herbis.
Sæpius à Ponto sese Medea ferebat
Montis in amfractus altos, præbente Diana
Nocturno splendore viam, plenisq; canistris

Mille venenorum species in tecta ferebat.
Venit in hæc profugus deserta silentia pastor,
Vestigansque locum tutas vbi ponere sedes
Posset: in adsensu montis Titanis ad ortum
Repperit exciso loca subterranea saxo:
Quæ natura, vel ars, vel vtraq; potentior ipse
Cæli & terræ opifex iam longo excuderat æuo:
Repperit & grandem muscoso in marmore puppim,
Priscum opus, insculptam ferro: miratus & alta
Mente putans, meminit iactatam fluctibus arcam,
Tempore quo totum Nereus se effudit in orbem,
In summo sedisse iugo (sic fama ferebat)
Vt quodam in scopulo, cùm vix foret æquore mersum,
Et patrem humani generis timuisse carinæ
Naufragium: sed mox pelago adsurgente leuatam
Nasse per immensam nec habentem litora Tethym,
Qua flantes egere animæ, fuit istius ergo
Indicium casus signata in marmore puppis.
Fecerunt inuenta fidem conchylia passim
Per nemora in montes fusos testantia fluctus.
Ante fores sese latum effundebat in orbem
Area, & in medio florenti margine septus
Fons vitreis manabat aquis sub tegmine grandis
Castaneæ, quæ tunc frugem incipiebat echino
Maturare graui, fetumq; aperire recentem.
Ecce Deus, dixit senior, Deus ecce suorum
Patronus, pastorq; bonus dedit omnia nobis,
Hospitium victumq; simul, mihi porrigit arbor

Vnde famē, fons vnde sitim restringere fas sit,
Et dubitant homines Superis se credere? qui vult
Quod satis est vitæ non inseruire palato,
Inueniet paßim siluas alimenta per omnes.
Hæc felix est vita hominum scelus ante parentum,
Dum pia simplicitas vitiata libidine nulla
Non sitiebat opes, sed erant communia cunctis
Omnia, dum puræ paßim & sine sanguine mensæ.
Salue sancta domus, sancti saluete recessus
Sacrorum nemorum, saluete silentia curis
Opportuna pijs: ad quæ, velut ad sua Tempe,
Vrbibus antiqui patres fugere relictis.
Heic mihi mons Carmelus erit: mihi Numina faxint
Succendi Eliæ sanctis præcordia flammis.
Sic fatus senior, cæco de vimine cratem
Incipit ordiri, multaque intexere fronde,
Arceat vt gelidam speluncæ à limine noctem:
Et folijs stratum accumulans arentibus antrum
Diuidit in partes geminas: pars intima somno,
Altera quæ luci magis est vicina dicatur
Excubijs, & psallendos seruatur ad hymnos,
Temporis hæc ratio: noctes insomnis agebat
Vsque ad Luciferum: noctu adscendebat Olympum
Mente legens exempla patrum: noctu omnia Diuum
Tecta reuisebat meditans. sed pronus ad aram
Lucida cùm mediam duxissent sidera noctem
Psallebat tenui Dauidica carmina cantu,
Quæ pietas patrum septem digeßit in horas.

Cùm Venus extulerat faciem, mox lumine presso
Matutina quies lassos infusa per artus
Ibat in Eoi surgentia lumina Phœbi.
Tunc ibi iam primæ laudes exsoluerat horæ,
Ad ruris transibat opus. ne lenta nocentes
Otia nutrirent curas, deducere riuos,
Florentem riguis adaquare canalibus hortum,
Vertere tellurem, committere semina sulcis,
Exercere solum, teneras depangere plantas
Cura erat, & totam sulando absumere lucem.
Fiscellas etiam virgis, vel cortice secto
Texere, & in grandes siluam proscindere aceruos,
Vnde focis daret hibernis alimenta solebat.
Denique Thebæi quæ per loca Sole propinquo
Desolata patres gessere negocia: sanctus
Segnitiem fugiens exercuit omnia Pastor.
Non vinum libare Deo, non frangere panem
Tunc poterat: fortuna viris præstantibus atrox
Hæc quæ sunt etiam miseris alimenta negabat:
Propterea vmbrosas rupes, qua Sole putabat
Austrino nemus esse ferax, aliquando peragrans,
Siluestres corylos, & saxea corna legebat,
Fagineasq; nuces, barbataque mespila: nec non,
Mala comis iam deciduis tamen acria, & ista
In sua vectabat festis epulanda diebus
Horrea: cœnandum verò si lautius esset,
Arida de calatho promebat fraga colurno,
Consuetus finire acidis conuiuia sorbis.

Cum Sol pronus erat iam descensurus in vndas
Antipodum curru rediens ad regna cadenti,
Vesperaq; æternos stellarum accenderet ignes,
Moris erat laudes cantu recitare diurnas,
Et post corpereos animo indulgere labores.
Non aderant illic hominum consortia: verum
Siluestres, res mira, feræ, que horrescere vultus
Sunt solitæ humanos, patris ad spelæa cubabant
More ouium, media quoties æstate sub alta
Ilice pallentes armentum ruminat herbas.
Huc armata gerens falcatis dentibus ora
Sus ferus, & canibus iaculis bicoloribus hystrix
Noxia ducebant catulos, & longa trahebant
Otia ludentes: necnon & meiere lynces
Purpureas soliti, dicunt lyncuria, gemmas.
Nec panthera ferox aberat, nec tergore panther
Multicolor vario, nec quæ præuertere cursu
Fertur aues Tigris, solitusq; attollere sese
Vrsus in amplexus, & aperto alludere rictu:
Quiq; solet villos cum vult mutare Tarandus.
Damarum, leporumq; greges post prandia, facto
Cum ceruis, cum dorcadibus, cum vulpibus illuc
Agmine tendebant, velut ad solemnia quædam
Festa, lupi quoq; , & obliti feritatis onagri,
Innumeræq; aliæ pecudes sic mansuefactæ,
Vt senior manibus missis ad guttura, ad armos
Contrectaret eas, velut armentarius ipsa
Quæ pascit iumenta, boues, domitasq; iuuencas.

Discite mortales quid vita innoxia poßit,
Et quantum imperij, si non peccasset, habebat
Ille hominum primus pater in genus omne animantum.
Nec pecudes manibus solùm tractare solebat:
Sed curare etiam si quam vel vulnera passam,
Vel morbo correptam aliquo fortaße videbat.
Nec prius innocui patris de limine abibant,
Quàm crucis in formam ducta dimitteret illas
Ad sua tecta manu. volucres mirabile visu,
Sic curat diuina pias clementia mentes,
Aßiduæ fruges aliquas, & certa ferebant
Pabula, vt Eliæ sicco in torrente, superbum
Dum fugeret Reginæ odium, deferre solebant.
Contigit vt quærens dictas à Pæone frondes,
Atque salutares magnis languoribus herbas
Montis in Argæi summam deuenerit arcem.
Hic vbi deterso frontis sudore leuauit
Lumina, se niueo quædam de marmore molis
Obtulit, adspectu structuræ insignis amœno
Delectatus adit propius, monumentaq; priscæ
Militiæ agnoscens visum per singula versat.
Illic scriptus erat Tiphys Pegasæus, & Argo
Prima ratis, ventoq; sinus laxabat Iason,
Orpheus, & fratres Helenæ Ledæa propago.
Hic etiam patrem fugiens Medea, puerque,
Quem memorant populis fecisse vocabula Medis.
Regis Alexandri pugnas, & Amazonas armis
Argolicis victas, vastataq; litora longe

Euxini Hyrcaniq; maris monstrabat imago
Saxea, & atroci victos certamine Colchos.
Heic Lucullus erat ventosa per æquora vectus
Vtribus inflatis, toto admirante profundo:
Sculptus erat Nereus: sculptæ cum Doride Nymphæ,
Spectantes sine naue ducem transmittere Pontum.
Heic disiecta mari classis Mithridatica toto,
Remigibus partim cæsis, partim æquore mersis.
Heic Pompeius adhuc felix vestigia pronum
Ad sua Tigranem posito diademate, rursum
Instituit regem, iuga per sublimia Tauri
Tendit in Assyriam, Solymasq; adscendit in arces.
Tu quoque Cæsar eras his annumeratus Ibero
Victor ab Oceano veniens per Gallica regna,
Atque per Italiam, per rura Philippica, & omnes
Æmathiæ campos, & per Mareotidis agros.
Nam tu Cappadocum populos, & Pontica longe
Litora pacasti, terras Meotidos vltra
Vsque ad Hyperboreæ gentis deserta fugato
Pharnace perpetuo Romani nominis hoste.
Heic muliebre genus mammis bellatur adustis.
Militat ad Troiam, profert confinia regni
In Liciam, ponitque Ephesum: magni Herculis arma
Sustinet, & totis fit gens celeberrima terris.
Multa super Persis, qui regnauere per oras
Cappadocum, super antiquo rege Ariarate
Multa legi poterant: sed nomina plurima tempus
Læserat, & tenebram titulis iniecerat ætas.

His ita decursis procul apparentia regna,
Et positos sub monte locos speculatur ab alto;
Euphratemq; tuens, lapsum de montibus altis
Armeniæ versus Syriam se voluere magnis
Molibus vndarum, quonam descendere pacto
Poßit ab Eois secum considerat hortis.
Trermodoonta videt, qui præterlabitur oras
Cappadocum versus Colchos: videt æquora Ponti,
Tuapezunta mari appositam, Cerasuntaq; notam
Arbore, quam gelidis vexit Lucullus ab aruis
Magnopolim, quæ in monte sedens cognomina magni
Pompei seruabat adhuc, claramque Sebasten,
Cuius agros longo cursu disterminat Iris
Amnis in Euxinum veniens, & Cæsaris vrbem,
Et quam Graiugenæ prisci dixere Comana,
Quòd cùm crudeles aras fugisset Orestes
Et germana, comas illic posuisse feruntur,
Et grauis exsilij longum finisse dolorem.
Ecce Tyanenses agri, quos magna celebrant
Nomina Apolloni, Boream qui vidit & Austrum,
Eoasque domos, & Iberi fluminis ortum.
Ecce Sinopæum litus, Milæsia gens hæc
Cyaneis olim multos dominata per annos.
Pyramus apparet, necnon Cydnusque Sarusque
Qui Cilices adeunt campos, & in æquora currunt,
Quæ tenuit varia famosus imagine Proteus.
Ecce Melas subit Euphratem Boreamque perosus
Tendit in Austrino terras ardore calentes.

Cætera per campos, & per montana notatu
Digna sequebatur visu: sed proxima iam nox
Ablatura diem cœlum adscendebat ab ortu:
Ergo in tecta redit lignis oneratus, & herbis.
Vrbs sub monte sedet, veteres dixere Pelasgi
Eusebiam, quo tunc præses cum milite multo
Venerat, & ciues magna ambitione parabant
Quæ oblectare solent oculos, & pectora regum.
Venatum iuuat ire, canes & retia & arma
Expediunt, sternuntur equi, succincta iuuentus
It lætis in pugnam animis: hi cantibus inflant
Cornua raucisonis: hi spicula lucida vibrant:
Hi millos ad colla canum contra ora luporum
Sæua ligant, & ferratis collaribus armant.
Itur in Argæi siluas, vbi tanta ferarum
Copia, quanta auium leuibus secat aëra pennis,
Quanta gregum piscose tibi Benace natantum.
Nam quamuis sæuiret hiems asperrima, nondum
Nix tamen istius montis consperserat armos.
Vt ventum in saltus, nemorum per opaca silentum
Lustra: procul fragor auditus, fugere volucres,
Fagicolæ tanto somno abigente tumultu
Desertis trepidi glires abiere cauernis,
Quique solent humeros caudis vmbrare sciuri
Euasere pedum volucri leuitate per alta
Ramorum tabulata. tonat mons omnis equorum
Hinnitu, clamore virum, mugitibus altis
Cornicinum, crebrisq; canum latratibus, Echo

Errat, & auditas dum vult effingere voces
Ore facit fremitum, quem dant freta concita ventis,
Cùm salit ad cautes, vel cùm percurrit arenam
Litoris, & spumans voluit conchylia Nereus.
Perculsæ hac nouitate feræ pastoris ad antrum
Agmine conueniunt magno, loca tuta putantes,
Et sine vi, quæcumq; senex incanus habebat.
In nuda tellure cubant, maiore tumultu
Silua sonat semper, strepitusq; adolescit in horas.
Nec mora nec requies, aditus indagine claudunt,
Et vacua exspectant siluestrem retia prædam.
Cùm labor incassum fieret, mirata iuuentus
Castra mouet, magis alta petunt, penetralia saltus
Aspera vestigant: eadem fortuna laborem
Ludit, & in ventos aufert studiumq; operasq;.
Castra iterum transferre parant: sed pronus ab alto
Præcipites currus premeret cùm Phœbus Olympo,
Spe frustratus iter princeps conuertit in vrbem,
Atque ita venandi tristes posuere laborem.
At iuuenum quidam grauiter commune ferentes
Dedecus: instituunt saltus errare per omnes,
Ac suscepto operi totas impendere vires,
Euentuque ignominiam delere secundo.
Ergo per amfractus, spineta per inuia montis
Cum catulis abeunt, plenis tum cornibus ibat
Cynthia, & albenti radiabat lumine terras.
Hac duce perlustrant surdum nemus, & gradientes
In sua vota vocant, Hecaten, & Oreades omnes,

Siluanum & Dryades, Satyros & Pana Lycæum.
Luna ſequens rapida Solis veſtigia biga
Stelliferæ noctis medium tranſiuerat axem.
Feßi omnes cubuere ſolo, grandemq́ue repente
Incendere rogum ductis de marmore flammis.
Mox tenui dape veſcuntur: proſtrata ſubinde.
Soluit membra ſopor, requiesq́ ſimillima morti.
Continuò Pan in ſomnis occurrere viſus,
Cornua fronte gerens, flammanti lucidus ore,
Pectora ſtellatus, talo tenus hiſpidus, octo
Fiſtula diſparibus calamis compacta ſonabat.
Carmen inauditum nobis, cœleſtia quale
Sidera perpetuo reddunt labentia curſu,
Iſtaque ſepoſito paulum modulamine fatus.
Cynthia quæ curat ſiluas irata, quòd iſtos
Se tulit in ſaltus nouus aduena, qui Iouis odit
Progeniem totam, vobis hoc dedecus infert.
Ipſi opus eſt priſco ſacrum perſoluere ritu,
Quem tulit huc fugiens Tauros Argiuus Oreſtes.
Aduena qui primus vobis occurret in iſto
Monte, ſit iratæ placabilis hoſtia Diuæ.
Nomine præfecto, neu ſit mora, dicite noſtro,
Ne faciat triuiæ parui mandata Dianæ.
Sic ait, adiungitq́ minas niſi iuſſa faceſſant.
Euigilant, & clara dies iam ſoluerat vmbram
Noctis ad Antipodes noſtro fugientis ab orbe.
Arma manu capiunt, & iter per deuia cœptum
Somnia narrantes peragunt, ac viſa volutant.

Ecce senis patefacta domus, circumque cubantum
Omne genus pecudum: stabatque in limine Pastor
Horridus attritis tunicis, barba hispidus alba
Ventre tenus, qui canities de vertice lapsa
Sublimes humeros impexo vmbrabat amictu.
Ipse nouis lætus radijs, & Sole reuerso
Supplicibus palmis orabat, & ore supino.
Maiestate viri iuuenes, tantoque ferarum
Conuentu attoniti retro vestigia vertunt,
Præfectumque adeunt. qui mox oracula Fauni
Obseruare volens iuuenes cum milite multo
Mittit, vt adducant pastorem in vincula missum.
Ite ait, atque hominem cœloq; Ereboque odiosum
Ducite, qui Triuiæ sacras cæde imbuat aras.
Romanis igitur sunt qui regnantibus ausint
Antiquos damnare Deos? audacia tantum
Erigitur? sic sunt hominum temeraria corda?
Dissimulare nefas tantum clementia non est:
Sed grauis impietas. ferro faciemus, & igni
Protinus agnoscant, quid sit contemnere cælum,
Atque Deos, quos Roma colit. crudelis, & iræ
Impatiens turbam sic vociferatus in omnem.
Interea sumtis cæco delabitur alis
Nuntius ora gerens hominis, sed sideris instar
Lucida, & ad sancti venit gurgustia patris.
Obstupuit senior, cùm mox resplenduit antrum
Præpetibus radijs, & talis imagine vultus:
Qualis erat Mosi facies de monte reuerso:

Qualis erat Christo, cùm transformata repente
Frons fulgore, chlamys splendore incanduit albo:
Atque hominem paucis sic est affarier orsus.
Cappadocum princeps hominum mitissime, qualis
Magnus erat Moses, qui per maris æquora rubri
Sicca tulit fugiens Nilum vestigia, salue,
Pone metum: Deus huc summo me misit Olympo,
Vt te præmoneam quantas tibi tendat Auernus
Insidias, vt sim tecum certamine in isto.
Pone metum: nam victor eris. Plutone subacto,
Sidera cum magno mecum ingrediere triumpho,
Et tibi ductor ero: nec te, pater, ante relinquam,
Quàm videas magni ora Dei, quàm sidera calces.
Iupiter, & Stygij Manes concorditer armant
In te Romulidas, qui nunc dominantur, aguntq́;
Arbitrio tot regna suo: sed iam Deus istud
Incipit imperium grauibus contundere bellis,
Et iam trans Istrum Dacos amouit ab Arcto:
Tempestas oritur gentem ruitura Latinam.
Sed super hoc alias, à præside missa propinquat
Magna cohors, quæ te victum ad prætoria sistat,
Quo des sacra Ioui: quo detestabile Numen
Mauortis Triuiæq́; colas. ne horresce catenas,
Et contemne minas, & paruipende Tyrannos.
Audiuisse potes quantos Laurentius ignes
Vicerit, & quibus obstiterit Vincentius armis.
Scis antiqua domus Christi quo tramite sursum
Venerit: hac iter est Diuis ad Olympica tecta.

Istud Christus iter primus peragrauit, & exstant
Quæ vestras moneant eius vestigia mentes.
Pone metus igitur, sanctoq; accinge labori
Fortiter, inceptis aderit regnator Olympi,
Diui aderunt omnes: nec pœna videbitur atrox,
Perpetuam sudore breui mercare quietem.
Pugna det æternam tibi momentanea pacem.
Cœlestes eme morte domos, opprobria vitæ
Exue mortalis, superasq; enitere ad arces
Ocyus: immundis tandem de sordibus exi.
Nunc habitas inter pecudes: habitabis in altis
Cœlituum domibus. fractis iam desine vinclis
Esse miser: vera pro libertate cruorem
Magno animo quotiens opus est impendere pulchrum.
Incipe de magnis mundi rectoribus esse
Vnus, & hoc tandem corpus mortale relinquas,
Quod facit ærumnis homines succumbere tantis.
Sic ait, & posita se traxit in aëra forma.
Ipsum etiam Christum noctem venisse per illam
Ter memorant, & sic hominem monuisse, litandum est.
Surge, veni: fer sacra mihi: panemque merumque
In cratere breui subito conspexit ad ignem,
Vnde sacrum faceret, fecitq; ex tempore sacrum:
Dum pater hæc meditans totum se colligit, ecce
Apparet Romana cohors, quæ murmure magno
Atria circumstans hominem vocat: ille repente
Prodit, & in medios mittit se comiter hostes
Nil trepidans: sentit sibi sanctum adsistere Numen,

Et suæ

Et sua delabi diuinum in corda vigorem.
Constrinxere manus manicis tum, atque catenis
Ad iugulum mißis hominem sine fraude doloque
Innocuum ducunt cinctum stipante caterua.
Desolata suo multos spelæa colono
Plorauere dies, horti fleuere relicti,
Fleuerunt & aues. illuc, velut ante, redibant
Quotidie pecudes cœtu post prandia facto,
Et non inuento longum doluere magistro.
Ille animi compos, ne quid perdatur eundo
Temporis, armatam monet hoc sermone cohortem.
O clari virtute viri: sic namque Latinos
Compellare decet: quoniam victricibus armis
Mortales alios terris domuistis, & alto:
Vos decet æternum non ignorare Parentem,
Qui mare, qui terras, magnum qui condidit orbem.
Ordior hinc ideo: quòd vos est fama putare
Istud opus, quòd nos mundum appellare solemus
A Ioue formatum, qui cum mortalibus olim
Vixit, & Idæis fertur nutritus in antris
Clam patre Saturno, qui conspirabat in eius
Interitum: fuit in prolem tanta ira parenti.
Quo pacto vestris vnquam maioribus istud
Suaderi potuit, stellas vt nocte micantes,
Et tantos cælorum orbes, Solemq́ putarent
Esse hominis mortalis opus? si cæca vetustas
Vsque adeò fuit illa, Deos vt fecerit ipsos
Mortales homines: cur non resipiscitis ipsi,

Ad quos vera Dei proles oracula Christus
Attulit expulsis post sæcula longa tenebris?
Nam miserans homines istis erroribus actos
Ipse Deus fractis statuit succurrere rebus,
Et falsos auferre Deos, ac tollere cultus
Sacrilegos à Tartareo Phlegethonte profectos.
Haec ea sunt, quæ vos cupiunt agnoscere nostri
Christigenæ: qui dum vestram curare salutem
Noctes atque dies pergunt, quod cælitus ipsi
Accepere, volunt animis infundere vestris.
Hoc amor officium, pietas opus excitat istud.
Vos colitis Diuos, qui sunt sine numine: at ipsi
Numina vera colunt. vos longi temporis vsum
Præfertis nouitati isti, quæ venit Olympo:
Quam regnare Deo vires præbente necesse est.
Talia dum memorat Pater admirante caterna
Ex tecto nurus irrumpit cum pignore paruo,
Cuius erat, dum præ ingluuie se ingurgitat esca
Faucibus impacto præclusus anhelitus esse:
Ore rubens, tumidisq; oculis & guttur hiulco
Vix poterat spirare anima in pulmone sepulta.
Ergo exclamabat mulier, cui cognita sancti
Patris erat virtus. nati miserere, meique
Sancte Pater: succurre inopi: vestigia siste.
Cerne infelicem casum: medicamine nullo
Sanari nulla arte potest: opis indiga res est
Illatuæ. dignare manus extendere sanctas
In puerum, tactuque gulam curare salubri.

Continuit

Continuit gressum miles, cupidique videndi
Ad noua conuerso stabant miracula visu.
Stabant & medici circum, quos illa vocarat
Vsque à Cæsarea subito, morbi istius ergo:
Stabat & à Colchis mulier, quæ venerat illuc
Docta Cyteinos cantus, & Phasidas herbas.
Ipse incuruatus pueri super anxia pastor
Ora implorabat magni omnipotentia Christi
Numina: tum facili nixu de gutture vulsum
Exspuit os puer, & iugulis spirauit apertis.
Contemplati omnes opus admirabile fixa
Fronte tuebantur taciti puerumque senemque.
I puer, i: dixit senior, discrimine tanto
Liber abi, tuq; o mulier defuncta dolore hoc
In tua tecta redi, Christoq; adscribite factum.
Post mea venturum est extemplo funera tempus:
Quo si quos angina premet, vel gutturis vlla
Altera pernicies, nostras sanentur ad aras.
Afferet auxilium per me mortalibus istud
Christus, ab vmbroso qui nos exemit Auerno.
Vix ea finierat, cùm protinus altera sese
Femina proripiens sancti ad vestigia patris
Se prosternit, opem obsecrans tristi anxia casu:
Tum senior lacrymas eius miseratus, & ora
Mæsta rogat, quid opus fieri? quæ tanta doloris
Caussa noui? curnam in luctus deuenerit istos?
Illa trahens crebros gemitus, contraria dixit
Sors mihi sancte pater rapuit, domus vnde per arm

Nostra fuit victura, suem paupercula tali
Mensa ope nutrisset longum natosq; virumq;
Qui assiduè presso in campis incumbit aratro.
Sancte pater fer opem nobis. lupus improbus auctor
Criminis infandi furtum hoc in nostra reportet
Septa rogo, imploro, obtestor: tibi namq; ferarum
Ius Hecate, sic fama dedit: commota repente
Risit tota cohors, curamq; irrisit anilem:
Miles enim, quoniam solet indulgere rapinis,
Exstimat altilium fieri sine crimine prædam.
Simplicitate nurus igitur lætatus, habebis
O mulier quod quæris, ait: tua damna rependet
Lucro aliquo melio re Deus. vix talia fari
Finierat, cùm furta rapax ablata reportans
Intrat tecta lupus, p ositaq; in limine præda,
Allatrante canum turba, per rura citato
Proripitur cursu, siluisq; absconditur altis.
Rem miram Romana cohors temeraria, & audax
Transtulit in risum clamans. credebat opimam
Se rapuisse dapem lupus: vt male pinguia sensit,
Prædam restituit. docet hoc fera Martia casu
Nos, qui Martigenæ sumus, & versamur in armis,
Reddere quæ mala sunt, quæ sunt bona furta tenere.
Sed iam Sole diem secum rapiente monentur
Ire vias, tandemq; suos cum nocte Penates
Aduenere: senex nigri sub carceris vmbram
Truditur, & conto valuæ clauduntur aheno.

FINIS PRIMI LIBRI.



Ræses vt adductum didicit truculentus
& atrox,
I te canē dixit dapibus saturate canina
Et simplex sit cœna Ceres cum simplici
lympha.
His epulis hominem supera dum vescitur aura
Pascite: non sit honor, non sit clementia canis.
Iussa facit domino lictor crudelior ipso:
Sed fuit hæc homini solito traducere vitam,
Vt vixere patres, quando aurea floruit ætás,
Glandibus & pomis, locuplex opulentaq; mensa.
At quia carcer erat niger, & sine lumine cæcus
Sub tellure locus, splendore incanduit albo
Nuncius extemplo, postquam de carcere lictor
Exijt, illuxitq; dies per inane Barathrum.
Magna sub has tenebras hydrorum copia frigus
Fugerat hibernum: gelidis nepa plurima saxis
Hæserat, & frigens tecto hibernabat opaco.
Quæ simul ac lucem insolitam videre cauernas
Inuenere nouas, & humum repsere sub altam,
Et domus expulso nituit spaciosa veneno.
Vt satis est epulis factum: deducere noctem
Incepere simul placidis sermonibus illam,
Et pastor sic primus ait. cur tanta piorum
O mihi ab ætheria custos qui mitteris aula
Quotidie strages oritur, terrasq; per omnes
Cur patitur tantos iactata ecclesia fluctus?
Nonne erit his vnquam pœnis modis? an volet istam
Pernicie

Perniciem Deus æternos extendere in annos?
Sic senior: fari contra sic nuncius orsus.
O Blasi Chaos immensum est diuina voluntas,
Quodneq; nos Diui, qui templa æterna tenemus,
Semper in Elysiis campis penetrare valemus
Luminibus. tantum illa pater, quantum ipsa videri
Se sinit, ac si sit speculum, quod reddere possit,
Cùm velit, à rebus missas & claudere formas.
Proueniunt illinc quæcumque negocia tractant
Tartara, terra, fretum, quiq; æquora circuit aer,
Machinaq; immensi torquet quæ sidera mundi.
Euentus istorum operum referuntur in illam:
Illa simul clauum, ventos, & vela gubernat,
Et iustum est quodcunque facit, nec quærere caussam
Iustitiæ fas est aliam: velle illius est lex.
Qui cura audaci penetrare profundius audent,
Amittunt operas, ac si demittere in vtrem
Æquora tentarent, pugnoq; includere mundum.
Cinctus inaccessa quæ lumina uostra retundit
Luce Deus: sic est nobis absconditus, ac si
In tenebris lateat sub caligante Barathro.
Multa tamen scimus, quæ de penetralibus altis
Dispensante Deo nostras labuntur ad aures.
Quod mihi scire datur, fabor tibi. læta propinquant
Tempora, principibus lex est imposta cruentis,
Ne possint sæuire diu. quod sanguine gaudet
Hoc crudele genus paucis abolebitur annis.
Roma suos omnes mersos in sanguine vidit

Pontifices:post hac tres est visura cruentos.
Illic finis erit:lugubria sæcula claudet
Melciades:pax est illo ventura sepulto.
Nunc bonus expulsis Romana in regna tyrannis
Adueniet princeps,sub quo pacabitur orbis,
Et finem accipiet veterum cultura Deorum.
Constantinus apud Thraces,qua Bosphorus æquor
Thracius Euxinis Ægæum ingurgitat vndis,
Constituet sedem imperij,Latiumq; relinquet
Christo,& Romuleam septem cum collibus vrbem:
Tunc insigne crucis quondam damnabile surget
Ex humili in sublime loco: præcedet honore
Romanos fasces,& regia signa coronas:
Tunc inter superos vnà lætabimur ambo,
Istaq; ab excelsa mundi speculabimur arce:
Hnc tamen ô Blasi de tempestate quietis
Pacificæ,clades,heu, deploranda sequetur,
Et graue manabit dulci de melle venenum.
Vox est blanda quies,pax delectabile nomen:
Plura tamen de pace fluent opprobria, damna,
Dedecora,ærumnæ,quàm de crudelibus armis.
Degenerabit enim virtus antiqua,voluptas
Inter opes & delicias delumbia reddet
Corpora,& ammittet mens eneruata vigorem.
O studia, ô mores,ô tempora sordida.cerno
Oblitos Christum populos,incredula corda,
Conculcare fidem,scelus omne incurrere facto
Agmine,certatim fieriq; animantia bruta,

Et Romam in caulas atque in magalia versam.
Cælicolæ in gentes malè tunc animabimur illas,
Atque sua Superi quando impia sæcula cernent,
Destituent ope terrigenas, caua tartara olentes:
Irascente Deo coitum mala sidera in vnum
Conuenient, tristes in humum iaculantia flammas,
Atque viam cælum inueniet, qua conterat illud
Infidum crudumq; genus. soluentur ab Arcto
Terribiles hominum vultus, animiq; feroces
Sauromatæ, sine diuina, sine lege humana
Viuentes, Hunni, Alani, Turci, atque Agathyrsi:
Adde quòd inter se Christi intestina nepotes,
Mutua more canum rabidorum in vulnera versi,
Bella gerent: Græcis, Itali: Gallis, Alemani.
Certabunt odijs, plus quàm capitalibus, vtque
Se exstirpent, parcent Turcis, parcent Agarenis.
Talia dum memorant, labente in lumina somno
Procubuit senior: semper vigil Angelus alta
Sit licet inclusus turri, tamen omnia cernit
Vndiq; sub terris, & quæ surguntq; caduntq;
Sidera, quæ nimbos tempestatumq; procellas,
Quæ faciant cælo Solem splendere sereno,
Et nostrorum operum caussas intelligit omnes,
Quæ cum sidereo veniunt abeuntq; recursu.
O nimium felix Larium natura piorum
Non miseræ subiecta neci, non indiga somni,
Non victus, non vestitus, defuncta periclis
Omnibus & curis, quæ corda humana trucidant:

Libera debilibus membris, & mole caduci
Corporis: ire potens quo fert sua cumq; voluptas,
Per maria, & terras, & qua volat Eurus & Auster:
Cui neque ver tepidum, nec frigida bruma, nec æstus
Torrida: cui Solis non fert absentia noctem,
Non ardens fulgetra metum: non nubila nimbum:
Cui numquam iratum pelagus, nec naufraga puppis,
Nec grauis illuuies campis, nec pestifer annus,
Nec steriles agri: cui numquam belliger hostis
Ingruit: æternos cui pax tranquilla, quiesque,
Et nullo vexata salus languore per annos,
Ambrosiæ quam pascit odor: cui semper aperta est
Elysii regio, & supremi principis aula.
O nimiùm felix Larium natura piorum:
Cui pariles vt sint animæ post fata, ferendum est
Omne quod heic cruciatque animos, & corpora torq
Iamque dies aderat, quæ sanctæ exordia pugnæ
Cerneret, & sumtis pugiles committeret armis,
Hinc venit armatus multo cum milite princeps:
Inde pater sine lorica, sine caßide solus
Ducitur iniectis ad colla senilia vinclis.
Inualidis princeps vult expugnare latentem
In membris animum: senior seruare Tonanti
Sinceram sanctamque fidem. præludia bello
Hæc dedit: his iaculis iniit certamina princeps.
Lætare obseruande senex, & amice Deorum.
Tum senior. lætare & tu fortißime princeps:
Sed caue, ne qui sunt solo Dij nomine, credas
Referas

Re fortasse Deos. hæc imprudentia tanto
Si bene consultes, scelus est in principe magnum:
Nec debet vox ista Deus, venerabile, sanctum,
Æternum, immensumque sonans infamibus vmbris
Attribui, qualis Venus est, & Iupiter, & Mars,
Ac similes alij, quos sub fornvcibus altis
Torquet in obscuris flammis vmbrosus Auernus.
Nomen id est Naturæ vni, quæ regnat Olympo,
Quæ fecit quodcumque vides, non pluribus aptum:
Nec tibi crediderim princeps ita segnia corda,
Tam rude, tam ignauũ ingenium, quin sidera cæli
Suspiciens videas opus id non esse Deorum,
Qui statuas habitant vestras, & sordida saxa
More colubrorum, quibus est innata libido,
Dente venenato, pecudesque homines que necandi.
Talibus accensus præses, quæ verbera mente
Pertulerat, miseros hominis conuertit in artus,
Explicitisque iubet virgis, & fasce soluto
Terga seni deducto humeris velamine cædi.
Et post hæc indigna trahi spectacula rursum
Ad nigræ immundæque domus horrentia claustra,
Verberibus duris læsos vbi nuntius artus
Leniit, & blando pepulit sermone dolorem.
Hæc vbi facta, nurum, cuius fera Martia chortem
Læserat, occidisse suem, pernamque tulisse
Cum faculis ad claustra senis: quod egere duobus
Crederet his clausum tenebris, & carcere fama est.
Ille nurus animos, & commiserantia corda

Suscipiens potius, quàm dona exilia, dixit.
Vade age sancta nurus: faculam delubra quotannis
Ad mea fer: sic te melior fortuna reuiset
Semper, & hæc quoquot fuerint exempla secuti.
Consilium non spreuit anus: post funera patris
Semper idem repetiuit opus. ponebat ad aram,
Quam subitò ciues illi posuere quotannis
Cerea dona facem, qua relligione repente
Ad tantas deuenit opes, vt rure relicto
Cum Lare vicinam toto migrarit in vrbem.
Altera maiori Lemures certamine nixu
Instaurare parant: cursoris imagine sumta
Phœbus adest mandata ferens à Cæsare contra
Progeniem Christi pro relligione Deorum:
Finxerat has Delphis nugas suadente Minerua
Saturno, Ioue, Mercurio, dum sidera noctem
Torquerent mediam, tentoq; sagittifer arcu
Scandit, & auratum surgens attollit olorem.
Artibus his princeps factus crudelior, ira
Ardescente fremit, Stygioq; exuritur igne,
Et tortus torquere parat. iubet ante tribunal
Sisti hominem, qui procedens stridente catena
In se animos populi adstantis conuertit & ora.
Tum princeps quantum Ioue mens agitata sinebat,
Dissimulans odium, solio sic fatur ab alto.
Hæc tua, si prudens feris vt conuenit annis,
Cordatusq; fores, esset venerabilis ætas,
Atq; vti nos diuina monent humanaq; iura,

Digna coli: sed te præceps dementia fecit
Ridiculum. Quis enim Blasi non dixerit illum
Dementire, Deos ausit qui insurgere contra,
Atque Iouem damnare patrem Diuumque hominumque?
Quare age forte loco si mens te mota fefellit
Hactenus, vt multis vsu euenisse putamus:
Nam sic Alcides, sic est delusus Orestes:
Vtere consilio tandem meliore, facessat
Error, & euades vinclis & carcere liber
Hanc ignominiam, pœnasque iramque Deorum.
Quod si tanta tuam tulerit vecordia mentem,
Vt vities Diuos stulta atque infanda loquendo,
Heu miser, insolitos hodie experiere dolores.
Composito vultu Princeps vbi talia fari
Desiit, impauidis senior sic vocibus orsus.
Iste tuus præses thronus, hoc sublime tribunal,
Vt nos instituunt diuina humanaque iura,
Esset honorandum, si quæ cælestia adorant
Corpora, & inclusa his rerum natura elementis
Numina vera coli pulso concederet Orco:
Sed tua in obliquum recto de limite contra
Fas & iura simul sic est conuersa potestas,
Vt videare Deum summo detrudere cælo,
Et dare Plutoni iura imperiumque Tonantis.
Quæ quanta impietas, quæ sit dementia, nemo
Ignorare potest, cui verum agnoscere cura est.
Quo fit, vt iste thronus Superis odiosus, & orbi
Noxius indigne tantos vsurpet honores.

Quare age iam desiste istis incumbere curis
Turpibus, & noli miseris mortalibus esse
Excidio: noli infandos defendere Manes:
Sed patere æternum regna hæc agnoscere Patrem,
Quem coluit Ianus: Ianus qui nomina fecit
Ianiculo: cuius flauis vestigia lymphis
Albula, Tyrrheni quærens salis æquora, lambit.
Ianus enim, si vera potes perferre loquentem,
Venit ab Assyrijs, postquam mare in ardua quondam
Diffusum iuga se primam contraxit in aluum,
Vniusque Dei cultum tulit, atque reliquit
Omnibus in terris: sed non tenuere nepotes
Diuinos ritus, & quæ vulgauerat ipse
Sacra per Armenios, & circumstantia regna.
Nam Pluto, & Stygij Manes, quos dicitit ipsi
Esse Deos, natura atrox genus atque superbum
Lina tetenderunt, & adhuc improuida sæcla
Inclusere plagis, quibus hæc quoque sæcula claudunt,
Et vos tantarum ignaros fraudum, atque dolorum.
At Deus imperium, cuius sine fine rapinam hanc
Tempestate tulit longa patienter, & æqua
Mente: sed hanc isto fraudem dispescuit æuo,
Seque palàm fecit nobis, & ad hæc ego regna
Mittor, vt ex istis exauctorata vetustas
Finibus excedat, veniantque nouissima sæcla:
Quæ neque tu prohibere potes, nec Roma, nec orbis
Totus: & hoc constans & ineluctabile fatum est.
Summa igitur princeps ope te vitare Tonantis

Arma

Arma decet, ne te à summo profliget Olympo:
Et subito Stygias adigat te fulmine ad vndas.
Me verò terrere minis, deducere ab istis
Grandibus inceptis, potis est vis nulla: necare,
Et torquere potes corpus. moribundaq; membra:
Ast animus manet intrepidus: manet inuia cunctis
Supplicijs mens alta tuo molimine maior.
Christus enim tali strinxit mea pectora nexu,
Vt flammas ferat, & chalybem, durumq; adamantem.
Talia dicentem iam dudum lumine toruo
Spectabat princeps, rabieq; ardebat amara.
Non tulit vlterius flagrantem pectoris æstum,
Vociferans, huc lictor ades: nudate loquacem,
Sacrilegum, deceptorem: pararetur ahenis
Pectinibus: clunes, lumbos, & rustica terga
Scalpite: conueniunt strigiles his renibus isti.
Tale ministerium docti sternuntque, ligantque
In quernis hominem tabulis, adiguntque sub alas,
Ad crura, ad femora, ad renes, ad colla rudentem
Quadruplicem, quali frenant ad litora puppes.
Horrendisq; cutem sulcant, miserabile visu,
Dentibus, erumpit factis cruor vndiq; venis,
Et late exsiliens turbam scintillat in omnem.
Postquam scissa cutis passim, & sat terga tulerunt
Pœnarum, & cædis: manibus laxata cruentis
Vincula paulisper, faciuntq; incumbere tergo
Ora supinantes, & ahenis dentibus instant
More canum, quoties auidos in viscera rictus

Aure

Aure tenus mergunt, prædamque trahuntq; vorantq;
Corda senis, tanquam medijs in fluctibus aræ
Marmoreæ, robusta manent, verbisq; ministros
Talibus affatur. mactate senilia membra hæc,
Atque fatiscentes artus, & inutile dudum
Corpus: eat senium, viridisq; refloreat ætas,
Vt ver post hiemem, veniatque æterna iuuentus.
Hæc ea sunt, quæ me faciunt tormenta beatum:
Quæ renouant. dum fert ignes, dum vapulat aurum,
Clarius enadit: sic mortificata decorem
Membra reportabunt, cæloq; simillima fient.
Qui magis atteritur, vultu meliore resurget.
Hæc pater. at miles sic præcipiente tyranno
Ora ferit, ludensque comas, incanaque menta
Pectit, & horrentem concreto sanguine barbam.
Postquam cæde solum tanta stagnare tyrannus
Impius aduertit, quantum non fundit haruspex
Ad Capitolinas taurum cùm victimat aras,
Ducite, pugnatum est hodie satis, inquit, ad antrum.
Est visura aliud maius lux crastina bellum.
Sic ait. in tenebras igitur, squalentiaque antra
Dum redit, ecce nurus septem comitantur euntem,
Admotisque legunt trepidum crateribus imbrem
Sanguinis, indignum spargi tellure putantes.
Quod simul ac vidit tali pietate tyrannus,
Acriter offensus grandem prorumpit in iram,
Et clamat, vincite magas, adducite vinclas.
Heic aliud certamen adest, spectacula surgunt

Altera

Altera,& insignes ineunt proscenia ludi.
Herculeos nobis opus est perferre labores:
Vicimus hunc Phlegyam: vincamus Amazones istas:
Sic ait: ingenti plebes vrbana tumultu
Fluctuat,& densæ complent prætoria turbæ,
Intenduntque oculos,tanti quos submouet ingens
Congeries vulgi.nequeuntque accedere,sursum
Attollunt vultus,summosq; leuantur in vngues:
Ecce nurus adsunt, quas compellare tyrannus
Inchoat his verbis.Et vos libare Dianæ
Est opus, & Vestæ sanctas accedere ad aras
Suppliciter,Veneriq; Arabes apponere fumos:
Sic decet officium collecti infame cruoris
Radere,& hoc ingens scelus abstergere litando.
Ludificans illas ficta subtiliter arte
Sic ait. ipsæ itidem fraudes arcere paratæ
Fraudibus,ad stagnum,quod erat prope mœnia ferri
Sacra,Deosq; iubent: illic vt flumine viuo
Se abluerint spondent se conuenientia Diuis
Orgia laturas.fama hæc vulgata per vrbem
Continuò,factusq; ingens concursus ad vndam.
Interea ex dictis subitò muliebribus orta
Lætitia,summam princeps secessit in arcem:
Nam fore crediderat demens,vt sacra litarent,
Pro ripis igitur constructæ imponitur aræ
Nuda Venus, signum Vestæ,signumq; Dianæ.
Huc postquam venere nurus,atque ora manusq;
In vitreo lauere vado:gradiuntur ad aram,

Correptosque

Correptosq́ Deos, vbi lympha profundior vno
Impete currentes, stagnum iaculantur in altum.
Extemplo in turbis vario rumore tumultus
Nascitur: his temere factum affirmatibus: illis,
Sicut erant variè affecti, laudantibus astrum
Sicq́ ea multiplici lux est cum murmure clausa.
Præsidis vt casus nouitas peruenit ad aures:
Fulminat, & colubro similis cum verbere tardus
Ardet, & impatiens iræ se sauciat ipsum,
Dentibus in caudam, in lumbos, in pectora versis.
Se ferit, vt mulier dulci viduata marito,
Cum laniat crines, atque vnguibus ora cruentat.
Altera lux oritur, vulgusq́ negocia rursum
In sua multiplici conuersum murmurat ore.
Ipse satellitibus cinctus iubet ante tribunal
Aduentare suo septem cum semine matres,
Ad quas conuerso fari sic incipit ore.
Quæ vobis leuitas sic inconsulta procaxq́ue,
Sacrilegæ incestæq́ nurus meretricia docta.
Armatæ mille insidijs, & mille venenis,
Vt tanta cum fraude Deos tuleritis ab ara,
Vt referunt. & præcipites dederitis in vndam?
An docuit vester vos hæc mendacia Christus?
Hæ sunt quas rudibus turbis infunditis artes?
Hæc documenta datis? numquam hoc impune feretis.
Taliter admorso deferbuit indice princeps.
Illæ autem, non est, aiunt opprobria tempus
Tanta refellendi: caussam tetigisse Deorum.

Sit satis: hinc pugnæ istius processit origo.
Quæ leuitas maior, quæ prodigiosior vsquam
Simplicitas fuerit, quàm saxa carentia sensu
Affirmare Deos, & credere numen inesse
Æri, Auro, ligno, argento? natura repugnat.
Lex diuina vetat. Pluto, Manesque profundi.
Hæc sacra, hos ritus, hæc vestra altaria rident.
Propterea in stagnum lapides iactauimus illos,
Quòd sint, res non digna coli. Deus omnia longe
Ante videt, quam sint. si res diuina fuissent
Hi lapides, poterant nostras agnoscere mentes,
Et paruo è manibus nostris molimine labi.
Vix princeps hucusque tulit, iubet arma parari:
Protinus, & magno lituos præludere bello.
In fora comportant famuli instrumenta dolorum
Omnia: pecten adest: adsunt vnguesq; facesq;.
Bullit in ingenti liuens sartagine plumbum,
Et coaceruatis strident incendia lignis.
Repperit impietas trucis ingeniosa Tyranni
Ad flectenda nouas artes muliebria corda.
Hic locat ex molli septem velamina bysso,
Cyclades appellant, totidem thoraces ahenos
In mediis illinc flammis ardore coruscos.
Stabant in medio matres, ad quas ita fatus
Sublimi residens in maiestate tyrannus.
Elgite ex istis vtrum magis vtile: Diuos
Significant Tunicæ molles: arma ignea Christum.
Continuò saliens septem de matribus vna,

Collectas

Collectas vestes irritamenta malorum
Tollit, & annitens medios iaculatur in ignes.
Mirantur circumstantes in pectore molli,
Natura imbelli ac timido tantum esse vigorem.
Tam grandes animos, tam fortia corda, Gigantes,
Quos memorant tentasse Deos detrudere cælo,
Non ausint tantum facinus. Tirynthius ipse
Monstrorum domitor posito expallesceret ausu.
Has vires tu Christe dabas, tu roboris auctor
Huius eras. calcat Romanos fœmina fasces:
Nec timet imperium, sub quo se maximus orbis
Curuat, & antiquis audet se opponere Diuis:
Quos ipsi, qui totum orbem moderantur, adorant.
Hæc duo militiam mater ducebat in istam
Pignora, quæ tulit vna dies, vno ædita partu.
Hi gemini casus lamentabantur acerbos
Matris, & apprensa materna veste fluebant
In lacrymas demissi oculos, frontemq; decoram
Versum humeros: flebant ipse miserabile turbæ
Innocuæ fatum ætatis. commota Tyranni
Pectora paulisper. fletumq; effundere visus.
Tolli igitur pueros, duciq; in carceris vmbram,
Sanctus vbi nuda senior tellure iacebat,
Præcipit, & ferri ex oculis quæ flectere plebem,
Atque pios mollire animos spectacula possent.
Illi, vbi se videre capi, clamore relictam,
Heu, misero matrem appellant: ô incendia dicunt
Dulcia, si cum matre pati licuisset in illis

Ignibus: & mater, mater fora tota sonabant.
Mater ad has voces plus quàm ad tormenta dolentem
Intendens animum dabat hæc responsa latente
In lacrymis visu. nati, nati, ite: videbo
Vos iterum paucis post ô mea cara diebus
Viscera vos iterum: nati ne flete parentum.
Mutua sic pietas accendebatur, & ista
Anxietas pœnis animos laniabat acerbis.
Fortior in pugnam præses redit, atque dolorum
Mille parat species: matres suspendite clamat:
Pubetenus nudate: cutem proscindite ferro.
Crudeles ad opus properant crudele ministri
Sauromatum de gente sati, sub montibus orti
Rhipaeis, vbi fert homines Cynosura malignos.
Non pietas, non vlla sapit clementia, ahenos
Expediunt dentes, & arant candentia longis
Viscera pectinibus: penetrat dolor intima matrum
Corda: nec humani possunt subsistere sensus.
Soluuntur violati artus, pro sanguine fundunt
Lac niueum, & fluxu tellus inscribitur albo.
Cùm grauis artaret miseras, & vincere robur
Inciperet muliebre labor: de nubibus ora
Quæ videre nurus, & non videre profani,
Nuntius educens voces prorupit in istas.
O sacræ sanctæq; animæ magno atque potenti
Decertastis adhuc animo: quæ pauca supersunt,
Conatu tolerare pari: victoria vestris
In manibus: vobis totus venit obuius æther,

Dulce ſonans,& dona ferens.gaudete:propinquat
Lux æterna,venit merces ſperata laborum,
Quæ veſtra ſpe maior erit.quot in vrbe fuerunt
A primorum hominum naſcenti ætate dolores,
Tempus ad hoc vnam in campis cœleſtibus horam,
Si paribus merces par danda laboribus eſſet,
Non emerent.maiora fide ſunt omnia apud nos:
Sed larga dat dona manu regnator Olympi.
Vnus adhuc vobis labor eſt adeundus.in ignem
Ibitis:aſt ego vos ſemper comitabor,& omnem
Vim cohibens flammas in frigida balnea vertam.
Dixerat,& ſubitò princeps ad opima vocatus
Prandia diſceſſu clauſit tormenta citato:
Poſt epulas ſubito redit in certamina rurſum.
Ante ſuas vbi magna fores erat area,mandat
Conſtitui effoſſa grandem tellure caminum,
Magnaque conflari ſtructis incendia truncis.
Durauit labor in noctem,nox tota labori .
Adijcitur , pyra conſurgit, iam luce reuerſa
Subijciunt ignes,& ductis follibus acres
Eliciunt flammas,abeuntq́ incendia in altum
Aëra,& ex lignis fugiens ardentibus aura
Stridula ſcintillas ſpargit per inane volantes.
Huc populo ſpectante nurus intrare coactæ
Se cruce ſignantes ineunt,qua maximus ardor
Fluctuat,& qua flamma rubens grauioribus vndis
Æſtuat:ac tanti ardoris ſe in vortice mergunt.
Confeſtim verò ſicut prædixerat ignes

Nuntiat

Nuntius experta innocuos, letantur, & ardent
Lætitia, vocemq́ leuant in carmina, & hymnos,
Et Christum matremq́ canunt, errantq́ per antrum
Igniuomum, tamquam agni alacres per rosida rura.
Absterret res mira omnes, ipsumq́ Tyrannum,
Et vellet sæuisse minus, victumque fatetur
Se tacitus. quid agat nescit: videt omnia contra
Seque, Deosque suos euadere. protinus ergo
Imperat educi flammæ de gurgite matres:
Eductas videt illæsas: miratur: in vnum
Turba globum coit: intentis miracula cernunt
Luminibus, nec corda queunt saturare tuendo.
Ipse autem magicam factum conuertit in artem
Præses, & ô clamat, quantum incantamina possint
Thessala. Medeæ quid verba venefica faxint
Cernite: & hæc iactans animo subridet amaro.
Sic turbæ fecisse satis sese æstimat amens:
Verum aliter vulgi adstantis pars maxima sentit,
Et Christum conuersa canit, Veneremque, Iouemque
Execrantur: aquas poscunt, ad flumina tendunt.
Hic erat occultus Christi de gente sacerdos
Leucosyrus (Grai sic appellare solebant
Cappadoces) dudum Carmelo à monte profectus,
Vertice Carpathijs alto qui prominet vndis.
Australes alius magis it Carmelus in oras,
Quem fertur coluisse Nabal: quo tempore Saulis
Insidias fugiens Dauid in deserta recessit.
Iste autem Carmelus erat, quem maximus olim

 Incoluit

Incoluit Vates, curru ſublatus in auras
Igneo, & ex alto flammam qui taxit Olympo.
Heic ſolitus turbis latices infundere ſacros
Perdius & pernox vitreas habitabat ad vndas.
Præſes vt aduertit tantos in plebe tumultus,
Ne foret incompos voti, lictore vocato
Iudicium capitale tulit, Matresque ſecuri
Truncat, & exutæ poſt tot certamina tandem
Corpore felices animæ fugere volantes
Ad Superos: vbi nunc mundo meliore fruuntur.
Corpora dum totam facit intempeſta per vrbem
Nox requiem, ſacri ad tumulos rapuere miniſtri
Bella Sebaſtæus poſthac ingentia paſtor
Eſt paſſurus. eunt irato à principe miſſi
Sauromatæ gens cruda, oculis imitata lacertos,
Ore quaterdecimam pleno iam ſidere Lunam,
Atque ſenem damnante foro tot ſanguinolenta
Funera, tot cædes, & tot ſpectacula viſu
Triſtia, tam multo ſpumantem ſanguine terram,
Ære catenatum longo ad prætoria ducunt.
Miratur princeps hominem ſine vulnere vultu
Conſpicuum claro, & barbam ſqualore carentem,
Ac ſi lotus aquis, & olenti adſperſus amomo
Eſſet apud thermas. hæc illi nuntius ora
Fecerat, arte volens iſta torquere Tyrannum,
Qui ſic fatur. ades bone vir? quid denique captas
Conſilij? ſi vis pacem, concedimus vltro:
Si vis bella, ſumus tibi reſpondere parati, Fer.

Fare, nec in longum differ responsa, quid optes.
Pastor ad hæc. quid opus multis? immobile durat
Propositum: non sum suasu mutabilis vllo:
Non si mille mihi veniant in colla secures:
Non si mille pati facias incendia: non si
Mille sub æquoreis habitarem fluctibus annos.
Prosequere, & quo te tua fert sententia, perge.
Præses ad hæc. ibis Blasi cum piscibus: ibis
Subter aquas: vicina ibis in stagna natatum.
Ne te peniteat sero, tibi consule. pastor
Sat mihi consului: tu qui in maiore periclo
Versaris, magis atque magis tibi consule, dixit.
Præses ad adstantes, quàm sint responsa videtis
Impia, quo pacto illudat nobisque Deisque,
Indignatus ait. stabant tum flumina crudo
Incrustata gelu: nec habebant æquora fluctus
Pontica: Mæotis tergum glaciale ferebat:
Frigidus Arctophylax ita Caspia presserat arua,
Vt concreta gelu transirent æquora onustis
Plaustra rotis: niue Taurus erat, niue candidus Æmus:
Ast vrbana lacus stagnans ad mœnia lymphis
Mobilibus nondum frigentem senserat Vrsam.
Hoc vt mirificis locus esset idoneus actis
Fecerat omnipotens, liquidæq; pepercerat vndæ.
Conuocat armatam princeps in tecta cohortem,
Et iubet ad stagnum duci, mergique sub alto
Gurgite pastorem, suffocatumque relinqui,
Vt natet, & Christi videant opprobria turbæ

 Coguntur,

Coguntur, stipantq́ hominem, missoq́ per vrbem
Hoc rumore fluunt omnes puerique senesque,
Grandæuæ cum prole nurus, stagnumq́ coronant.
Accinctus gladiis loricatusque satelles
Fert pharetras, arcusq́ humeris, hastilia dextris:
Ad fatale vadum properat. iam limina portæ
Præterit vrbanæ, stagnumque apparet, & ingens
Pro ripis inhians hæc ad spectacula vulgus.
Tum senior præstanti animo, vultuq́ sereno
Vt stagnum intuitus: dextram leuat, atque potenti
Lustrat aquam signo, Stygias quod dissipat vmbras.
Horruit hæc ad signa latex, & marmoris instar
Duruit. ingressus plantis fidentibus omnem
Permeat, & tipulæ similis superambulat vndam.
Hac illacq́ means magno clamore tonabat:
Cernitis ô ciues quam magna potentia nostræ
Sit fidei, quando flãmæ, quando æquora Christi
Imperio parent. ignes ardente camino
Non sensere nurus: me fert, vt cernitis, vnda.
Non ea vis vestris, nec tanta industria Diuis.
Quòd si falsa loquor, veniant quicumque Deorum
Auxilio fidunt, mecumq́ per humida reptent
Æquora. quid vestri possint ostendite Diui.
Audito hoc clamore procul de litore curuo
Prosiliere viri decies super æquora septem
Fidentes Stygiis & Saturnalibus vmbris:
Sed spes vana fuit: mox vt tetigere lacunam,
Cum sonitu, veluti totidem prægrandia saxa,

Disrupere

Disrupere solum, raptosque absorbuit vnda
Fluctibus in gyrum latè, longéque fugatis.
Vtque fides populi magis adstrueretur eosdem,
In quibus absorpta est plebes incredula, pastor
Conculcat peragratq́ locos, campumq́ liquentem
Pro arbitrio ligat & soluit. miracula multi
Tanta volutantes, quid nos contaminat vltra
Vana superstitio? quid tempora perdimus? aiunt.
Quid dubitamus adhuc credendo accedere Christo?
Talia per turbas serpebant murmura, quando
Nuntius æternæ monuit iam proxima vitæ
Tempora. Digrediens ergo stipante caterua
Blasius intrepido redit ad prætoria vultu.
Fama præit, rumorq́ volans ad principis aures
Ingreditur, totumq́ refert ex ordine casum.
Erubuit victus princeps, puduitq́ videri:
Sed latuit, rebus tandem infeliciter actis
Instituit longo iam finem imponere bello.
Cum pueris igitur, qui soli in carceris vmbris
Seruabantur adhuc flentes, iubet ense feriri
Colla senis, corpusq́ feris, auibusque relinqui.
Mensis agebatur, faciunt cui februa nomen,
Tertia nox, & iam Venus adscendebat ab ortu,
Cassiopeq́ comes, cum limina carceris intrat
Funestus nocturna ferens funalia lictor,
Atque catenarum nodis puerosque senemque
Implicitos celeri trahit ad pomeria gressu.
Tum senior pueros, cùm matris nomina nondum

Obliti veterem inciperent renouare querelam,
Sic hortatur iens. pueri ne flete parentum:
Imus ad amissam: post parua videbitis illam
Interualla: hodie mensa cœnabimus vna.
Mittite singultus, ego vos comitabor, & ipsi
Mecum eritis, donec thalamos veniamus in illos.
Ventum erat ad loca supplicio decreta supremo:
Cum submissus humi, palmas ad clara tetendit
Sidera, & hanc orans effudit pectore vocem.
Sancte pater, qui nos sæclo dignaris ab isto
Mortali, obsceno, infesto, tenebrisque sepulto
Tollere in æternam requiem lumenque beatum,
Te veneror, tua mente sequor consulta fideli,
Et grates habeo immensas, quòd idonea visus
Hostia sim, dignusque tuo pro nomine obire.
Vnum oro, quando est vni hæc tibi tanta potestas,
Vt quicumque meas supplex orabit ad aras,
Auxilium iugulo, & membris languentibus vmquam
Inueniat quam quæret opem. responsa satelles
Audijt hæc, vulgoque palam post funera fecit.
Subscriptum est: ascende, veni: te exspectat Olympus.
Mox exsecta trium ceruix, & sanguine tellus
Intepuit sacro. vix dum subtraxerat ensem
Lictor, ab excelsa mundi vertigine fulgur
Erupit subito, radijsque micantibus ardor
Obtundens oculorum acies noctem expulit atram.
Territus insolitis miles splendoribus arma
Proijcit, & rapido fugit ad prætoria cursu.

Quippe triumphalem tanto cum lumine pompam
Christus agens tali funus celebrauit honore.
Tum Superum chorus acceptas gratanter & ore
Læto animas locat in primo ducis agmine, & aura
Conditus alterno repetiuit sidera cantu.
Ast vbi peruentum est ad cæli immobilis alta
Limina, Christus eas sancta ad collegia patrum
Adiunxit, veterem pergens supplere ruinam.
Sub lucem verò sacri translati ministri
Corpora secreto flentes clausere sepulcro.
Sancte pater Blasi, pueri sine crimine sancti,
Vosque nurus quæ tam magnis hæc bella tulistis
Cordibus, adsitis nobis mortalibus, ista
Corporea Styge submersis: auertite morbos:
Impetratæ dies terris sine Marte quietos:
Et miseræ sanctum vitæ concedite finem.

FINIS.

BAPTISTAE MANTVANI NICOLAVS TOLENTINVS AD IOANNEM TOLENTINATEM, Equitem Auratum.

LIBER I.



Vndamenta noui iaciens amplissima mundi
Ille Opifex tantorum operum sine corpore quædam
Fecit, & humanos non admittētia sensus.
Hæc ea sunt quæ morte carent: cum corpore quædam,
Vt rari stellarum ignes, & quatuor ista
Corpora, quæ rerum veteres elementa vocarunt.
His quoque corporibus, quæ fecit inania vitæ,
Simplicitas quædam viuentia corpora iunxit.
Terram homini dedit, & mutis animantibus: alta
Æquora, piscosósque lacus, & flumina fecit
Peruia Neptuni gregibus: leue sustulit aër
Alituum genus, & liquidis suspendit in auris.
Coniunctos autem tectis cœlestibus ignes,
Astraq; concessit sanctæ consortibus aulæ,
Ac loca mundanam circumlabentia molem,
Quæ forma, quæ fine carent, incognita quæ sunt,
Quæ plerique vocant Chaos, indigestaq; rerum
Semina,

Semina, materiamq́ rudem, Deus vnde recepit
Hoc opus: vnde trahat posthac quodcūque creandū est.
Tam diues Chaos, in talem se extendit abyssum:
Materia informis tantam se laxat in aluum.
Spirituum, primo rerum quos fecit ab ortu
Omnisator, pars vna suum mirata decorem.
Cùm nollet parere Deo (præstantia formæ
Prona est in vitium semper) migrare coacta est,
Ac mutare domos, & in hæc mortalia lapsi
Regna volatilibus similes ventosa peragrant
Aurarum spatia, & terra, pelagóque feruntur
Instabiles, loca quærentes vbi sistere possint.
Quidam etiam pulsi in tenebras Acherontis opaci
Exsilia æterno lugent æterna dolore.
At Deus & Superi, qui cum Genitore fruuntur
Imperio cæli laceros sarcire penates,
Desertosq́ue implere locos tum protinus orsi.
Ergo hominum quotquot possent frænare tumultum,
Bellaq́, & atroces iras septemplicis Hydræ,
Quæ colit in nostro stagnantem corpore Lernam,
Decreuere animas profugis succedere Diuis,
Cælituumq́ grauem sic suppleuere ruinam.
Tum Deus in terris faciens plantaria cælo,
Cœpit in humanam curas extendere gentem
Amplius, & formare homines ad Olympica regna,
Præceptis, ac lege docens, quo tramite niti
Posset ad Elysios soboles Adamica campos,
Ac duplex ostendit iter. Via prima salutis,

Quam

Quam natura tulit, Virtus fuit: altera verò
Gratia nomen habet. virtus primordia tanti
Est aggressa boni, statuitque in limite recto
Humanos animosa pedes. vestigia in ipsam
Vertit honestatem duro scelus ausa capistro
Infrenare quidem, sed Diuum euadere ad arcem,
Et perferre gradus vsque ad penetralia mundi
Limina non potuit. res est nimis ardua cælum.
Magna tamen si facta legas antiqua, videbis
Quæ pelago, & terris gessit miracula quondam.
Barbara corda, rudes animos, gentesq; superbas
Conciliauit, agens homines, qui more ferarum
Principio errabant iuga per montana per agros
Vnius ad morem victus. hinc oppida, & vrbes,
Et regna, & quondam populorum numina Reges.
Adspice Persarum regem, qui fluctibus altis
Cinxit Athon: cerne excelsas consurgere turres
Et superinductos cameris pendentibus arcus
Sub se auibus præbere viam, subterq; sonantem
Horrendum intortis vndarum molibus Istrum.
Hoc struxit Traianus opus, dum Barbara regna
Fulminat, atrocesque petit certamine Dacos.
Iulius audacis Rheni graue murmur, & vndam
Præcipitem latè effusam, tortoq; minantem
Vortice subiecit plantis. peditumque, equitumque.
Tanta sequens exempla nepos coniunxit Araxem
Armenium, pressitq; iratum exercitus amnem,
Indomito bacchantem æstu, raucoq; tonantem

Mugitu, & terga in gyrum spumosa rotantem.
Hæc fecit, quæ corda parit sublimia virtus,
Neu decus heroum pereat, sed duret in annos
Perpetuos, incidit in æs, in marmore signat
Arma, triumphales pompas, insignia facta
Mittit in annales, statuas excudit & arcus,
Atque suos, vtcumque potest, extollit alumnos,
Et cùm multa ferat præclara & grandia virtus,
Nil maius, nil vtilius, nil sanctius isto
Ferre potest, quòd corda hominum captiua tenentes
Dißipat affectus, vt spemque, iramque, metumque,
Atque voluptates blandas, ceu nubila ab Euro
Missa fugat Zephyrus, Boreas venientia ab Austro.
Hac duce, quæ laus est ingens, nos vincimus ipsos,
Nedum alios, nostrisque iugum ceruicibus vltro
Suscipimus. quod maius opus, quàm vincere Cimbros,
Quàm Parthos, quàm Massagetas, gelidosq; Arimaspos.
Gratia cælestis soboles diuinitus orta
Sublimat vërtutis opus, nec inhæret honesto.
Altius it, donec cælum transgressa Tonantem
Inuenit, illius nostros ante ora labores
Collocat, & fieri dignos impetrat Olympo.
Ista tulit sanctos patres, qui prima tulerunt
Sacra Deo, prius effusis quàm Proteus vndis
Duceret in summos armenta natantia montes,
Et qui depulso repararunt sæcula Ponto,
Vt Noe, cui Ianus erat cognomen, & Heber,
Et domus Abrami tantos habitura triumphos,

Et qui cæligenam post tot labentia tandem
Sæcula viderunt mundo illucescere Christum.
Sic abeunt in cælum animæ, turmisq; coactis
More auium cùm bruma venit coguntur in vnum,
Claraq; dulcisono volitant in sidera cantu,
Istud iter fecere viri, qui rura colebant
Thebæi deserta soli. quo tempore Paulo
Funeris officium gemini impendere leones.
Hanc iuere viam, qui neglexere Deorum
Sacrilegos ritus, & contemsere Tyrannos,
Vincula, ferrum, ignem, exsilium, ieiunia, & omne
Quod Rhadamanthus habet durum, ac miserabile passi,
Quas hinc ad superos animæ. Deus euocat omnes,
Nec meritis, nec honore pares, altissima quædam
In loca perueniunt, vt quæ durissima passæ
Sunt tormenta. domos habita ratione laborum,
Quos hæc vita tulit, non pro dulcedine laudum
Temporis istius, sed pro pietate fideq́ue,
Accipiunt varias, varia ornamenta domorum.
Ista volutantem, cùm nox labentibus astris
Iret in occasum, lucemq; aperiret ab ortu
Iam vicina dies nobis vicinior Indis,
Me sopor oppreßit, subitoq; simillima curis
Somnia nocturnis mentem rapuere quietam:
Visus enim cursu rapido super æthera tolli,
Insuetum mirabar iter, mirabar Olympum
In tantos curuatum orbes, nec habere colorem
Cæruleum, sicut credi mortalia cogunt

Lumina, ſed vultu ſemper ſplendere coruſco.
Per campos etiam longè latéq; patentes
Concilia, & cœtus Diuum mirabar, & vrbes
Ætherias, ſine Sole diem, ſine tempore & horis
Perpetuam, nullamq; vicem concedere nocti.
Quo magis attollebar, quo ſublimius ibam,
Tanto lumen erat maius, tanto vndique cœlum
Latius, & vaſtè effuſi ſine limite campi.
Aſſiduè verò flammas adſcendere quaſdam
Cùm tuerer ſtellis ſimiles, cuperemque doceri
Quid vellent ſibi tot luces, vox impulit aures
Iſta meas. hæ ſunt animæ, quas lumine tali
Affecit diuinus amor, quas gratia functas
Corporibus Diuum æternas attollit in arces.
Vox vbi ſic fata eſt, longè poſt terga remanſit:
Nam fugiens ſurſum ferri per inane videbar,
Vt fugiunt volucres neruo impellente ſagittæ.
Meta viæ fuit in pratis florentibus, vnde
Ambroſiæ ſpirabat odor, cui nulla voluptas
Æquari ſub Sole poteſt, licet omnia terræ
Gaudia conueniant, fiatque ex omnibus vnum.
Hic locus illorum, qui relligionis amorem
Præpoſuere opibus: qui ſunt tria vota profeſſi,
Depulſi à turbis, & in alta ſilentia miſſi.
Heic memini vidiſſe meæ magna agmina gentis,
Qui ducis Eliæ mores, vitamque ſecuti,
Carmeli nemora & ſanctos coluere receſſus.
Heic vates Heliſeus erat, quem poplite flexo

Totus

Totus adorabat resonans præconia laudum
Circus: heic Eliadum caput & tutela virorum:
Heic erat Albertus, quo se Trinacria tantùm
Iactat, & Andreas pastor Fesulanus, Etruscos
Qui tutatur agros, & fama æterna Licatæ,
Angelus hostili traiectus pectora ferro.
Tu quoque, Lunensi claudit quem marmore, Luca
Auertane, pater, nec vis in mœnia ferri:
Cyrilliq; duo, quorum vnum Græcia, & vnum
Protulit Ægyptus, sanctæ duo maxima vitæ
Lumina, quæ totum radios misere per orbem.
Heic animas fratrum Carmeli in vertice quondam
Cæsorum, quando erupit Saladinus ab Austro,
Et rursum Assyriam plebes Agarena recepit,
Vidimus, & sparsum pro relligione cruorem
Pronus adoraui, proceres veneratus auitos.
Verti oculos: vidi ingentes splendere cateruas
Augustinigenum, qui per deserta solebant
Patris ad exemplum, quasi quædam examina nectar
In dulces missura fauos, deducere vitam
Cælestem in terris, seseque accingere Olympo
Inter eos Nicolaus erat (sic namq; vocabant
Voce virum Graia) populi victoria nostro
Id sonat eloquio, clarum tota Hellade nomen.
Spirabat iubar ex oculis, ex corpore toto:
Quale serenata spargunt duo maxima nocte
Astra, Venus rutilans & pleno Cynthia vultu.
Hunc vnum venerari omnes, celebrare loquendo, In

Ire salutatum, densa stipare caterua,
Mirari, amplecti, diuina arcana docentem
Intentis audire animis: nec enim pater orbis
Omnia scire dedit Diuos æqualiter omnes.
Plura sciunt, quos luce Deus maiore subintrat.
Tunc audire sonum visus verba ista ferentem.
O vates mortalis adhuc, ideo tibi Olympus
Peruius est, vt sis terris dum vita manebit
Diuinorum operum præco. tua sancta poësis
Nostra sit. infames alios sine fundere versus,
Et cantare lupas: tu te largire Tonanti,
Vt tibi defuncto quondam vitalibus auris
Annuat hanc patriam, nostrisq́; accumbere mensis
Te faciat cum gente tua, quæ prima Penates
Hos tenuit cum gente tua, quã tempore prisco
A veteri demissa Rechab tot sæcula vidit,
Tot visura, noui quot erunt ad tempora mundi.
Nam proles sata patre Rechab labentibus annis
Venit ad Eliadas melioribus vsa magistris.
Dic illum, quem luce vides præcellere tanta:
Dic quibus in terris ortus, quo tramite gressum
Huc tulerit. gratum Superis opus omnibus istud,
Præsertimq́ue tuis. Istud rogat Angelus, istud
Supplicat Albertus, necnon Helisæus auorum
Maximus: hoc alij. totus te implorat Olympus.
Talia cernentem per visum oracula somnus
Deseruit. Phœbo cùm lux clarescceret orto,
Exilio in plantas, multumq́ue diuq́ue volutans

Somnia suscepi, Diuum mandata precatus,
Vt promenda nouas pluerent in carmina vires.
Mox feror in tales post hæc præludia cantus.
Picenum Italiæ pars non ingloria quondam
Prole virum felix: qua Sol iam fessus Olympo
Labitur in magnos apices, & in ardua tollit
Se iuga, quæ frendens agit Apenninus in altum
Aëra: qua verò rutilans Aurora resurgit,
Se premit in paruos colles Adriatica vorsum
Litora, & æquoreas mittit vestigia in vndas.
Nomen id accepit, qui turba Sabellica voto
Olim vero sacro cum transmigraret in illos
Turmatim campos volucris Mauortia picus,
Ad vexilla volans comitem se præbuit. ergo
Nomen auis fecit nomen Picentibus agris.
Ista sinu multas regio complectitur vrbes,
Oppidaque illustri longe celeberrima fama.
Heic Quiriaceo felix Ancona sepulcro:
Heic R. cinatis agri templum memorabile magnæ
Matris, vbi excelsam Paulus superaddidit arcem:
Arcem alto capite in cælum pinnisq; minantem,
Et solitam pelagi fluctus audire frementes.
Vrbs Recina in campis olim stetit. arma Gothorum
Æquauere solo. ciues qui cladibus illis
Emersere, suos transportauere Penates
In iuga prærupti qui respicit æquora montis,
Amisitque suam veteri cum nomine sedem.
Adde Tolentinis contermina montibus arua:

[illegible] fluit angusta veniens de valle Chientus.
[illegible]c decus, ex armis, ex relligione profectum
[illegible]enies duplex, quod tollit ad æthera gentem
[illegible]genam, quod Piceno tantum decus addit
[illegible]lico, quantum radians carbunculus orbi.
[illegible]c quoque Francisco terra est decorata Philelpho.
[illegible]inus est, quàm pulcra suo Verona Catullo.
[illegible]m ego pæne puer quondam vidisse recordor
Iam [illegible]idis niueum canis sermone disertum
[illegible]mano, Graioq́ simul, lauroq́ virentem, &
Pro[illegible]nie duplici Mario ac Xenophonte beatum.
[illegible]gro dicenda prius: memoranda secundo
A[illegible]ma loco: metam sonipes sudabit ad istam.
[illegible]us in lucem sterili Nicolaus ab aluo
Fertur, vt Abrami quondam natusque, nepósq́:
V[illegible] Samuel populi princeps, Sadaiq́ sacerdos
Maximus, & pollens immani robore Samson,
Tergoreq́ hirsuto vates insignis & agno.
Non poterat natura istos educere partus
Vt pote maiores aliis mortalibus. istam
Diuinæ virtutis erat producere prolem.
Propterea inualidos cùm se videre parentes,
Continuò ad magnum se conuertere Tonantem,
Tollentes in cælum oculos, corda, ora, manusque.
Lux ierat, fessos nox intempesta diurnis
Mortales operis somno compresserat alto.
[illegible] vnus Diuum ætherio demissus Olympo
[illegible]us adesse (Deus tali dignatur honore

Dddd 2 *Quos*

Quos amat)& verbis ita compellare iacentes.
Si prolis vos pulsat amor, Nicolaica templa
Quærite,& illius de nomine dicite natum.
Dixit,& in cælum leuibus se sustulit alis.
Euigilant,& visa alacres insomnia narrant,
Suspensisq; putant animis quæ templa iubentur
Quærere. nam tali norant cognomine templa
Multa per Italiæ, per Chaonis oppida multa.
Audierant Barri magnis insignia votis
Mœnia,& illustres Nicolai antistitis aras.
Hunc olim Lycij postquam Patareus Apollo
Occidit,& priscæ tenuere silentia sortes,
Viuentem ac vita functum quasi numen habebant
Tutelare: salus Lyciæ pendebat ab illo,
Siue fames, seu Mars premeret, seu pestifer annus.
Sed cùm forte illas hostis percurreret vrbes
Barbarus,& ferro ac flammis inuaderet agros,
Ne fieret brutæ corpus venerabile genti
Præda, breui ciues lembo imposuere volentes
Abdere, dum posito fierent loca tuta tumultu.
At mare(sic cælo quod temperat omnia, visum)
Vi subita ventorum altos attollere fluctus
Cepit,& auulsum ripis per cærula lembum
Vexit in Italiam, Dauniq; ad litora fixit.
Apulus ad ripas lembum miratus inermem,
Ac sine remigio positum, custode carentem
Esse ratus, quod erat facinus mirum insolitumq;,
Insilit,& velatam ostro disglutinat arcam.

Dum videt exanimum corpus, stupet, hæret, & horret
Mentis inops: sed rem certus agnoscere tandem
Intuitur sacro plumbum sub vertice sancti
Nomina patris habens: sic res innotuit vrbi.
At cùm tota grauem casum Patarœa dolerent
Litora, & iuisset vicina per oppida luctus:
Quæsitum ciues diuersa per æquora cymbam
Velíferas misere rates: quarum vna Tarentum
Venit, & ex Lyciis iterum res cognita nautis.
Huc igitur secuere viam, puppimq́ subintrant,
Qua natat in salsos lento amne Potentia fluctus.
Litora radentes ibant, quæ Tignia cursu
Diuidit: euadunt celsi viridaria Firmi,
Araq́ perpetuo citri redolentia flore:
Citri inquam, cuius plantas Atlantis ab horto
Transtulit ad nostras rediens Tirynthius oras.
Prætereunt Ascli fines, rapidiq́ Truenti
Ostia Prægutij, quod nostri temporis Ætas
Nominat Aprutium. colles Samnitica regna
Iam subeunt, & prisca quibus stetit Adria campos:
Adria Romano fecit quæ nomina Regi.
Mirantur non visa prius, quæruntq́ doceri
Quæ loca cumque vident, & rerum nomina discunt,
Quæ sua vicinis recitent in tecta reuersi.
Et quoniam lenes flabant ad carbasa venti
Otia ducentes memorabant plurima Nautæ
De Picentis agri populis. Aquilana ferebant
Mœnia ab antiquis Samni tribus vrbibus olim,

Fatalem interitum, belliq́ue incendia paßis
Orta, & in excelsi fundata cacumine montis.
Forconium fuit vna trium: fuit vna Amiternum:
Tu quoque Corfinium, vestri modo sola supersunt
Nomina, res istam fato transiuit in vrbem,
Pelignos, Ortonam, amnem, cui nomen Aterno
Transit, & ex oculis velox rapit omnia cursus.
Prima fugit, Garganus adest, ostendit aprica
Tempora, & in cælum cono se porrigit alto.
Litora se introrsum sinuant, & mœnia pandunt
Sipuntinam: vrbem sic Daunia prisca vocabat,
Manfredi modò nomen habent. Bariensia prendunt
Litora Dædalides, quibus olim fecit Iapyx
Nomina. Cannensi quia præterlabitur vnda
Aufidus infamis Romano sanguine factus,
Conscendunt ad busta patris, temploq́ue potitos
Relligio maior, maior reuerentia tangit.
Tum ductis in gyrum oculis pendentia cernunt
Dona: peregrinis opibus sacraria tamquam
Aulæis vestita vident, nautasq́, retortis
Vorticibus raptos, perfossaq́ue pectora ferro:
Thoraces, clypeos, quos in discrimine pugnæ
Inter mille situs gladios, & spicula vouit
Miles inops spei: galeas, & aheneatela:
Vincla pedum, manicas, ferrugineasq́, catenas,
Ac furum infames laqueos, & cetera nostram
Ærumnam, miserosq́, hominum testantia casus.
Procumbunt humiles ad mausolea, petuntq́,

Progeniem, quæ sit magno sacrata Tonanti
Perpetuo, scelerum labem quæ nesciat vmquam.
Attulerat placidam nox intempesta quietem,
Et tacito cælum per opaca silentia cursu
Sidera torquebat tremulis radiantia in vndis.
Procubuere toro: sed cùm iam Lucifer albæ
Nuntius Auroræ claro se attolleret ortu:
Ecce senex, cui circa humeros Holoserica vestis,
Canities autem velata biuertice mitra
Adstitit in somnis, sterilemq́; affatur Amatam,
Sic referens. peregrina nurus tua vota secundant
Numina: concipies. verum reminiscere natam
Progeniem sacrare Deo: nec plura locutus,
Proripuit pulso sese per nubila somno.
Euigilans igitur coniux ad somnia mentem
S[illegible]lo conuertit, memoriq́; per omnia sensu
V[illegible]ba audita ferens, animum, spem concipit altam,
Compellatq́; virum, noctisq́ue silentia ducunt
Alternis vsque ad Solem sermonibus ortum.
Continuò sensere animis discedere curas,
Atque serenari mentes: in pectora labi
Lætitiam: blando applausu gestire medullas.
Tum sterilis natura, nouum sortita vigorem,
Creuit, & ad grandes exasit idonea partus.
Discedunt conuoti ambo. iam Luna recepto
Lumine fraterno nouies compleuerat orbem:
Progenuit prolem genitrix, cui nomina sancti
Presulis imponens dedit, & lustralia fontis

 Stagna

Stagna sacri, tepidas primæua infantia cunas
Transiit, & fandi dulces peruenit ad annos.
Tempus erat soboli iam prima elementa salutis
Tradere: iam viuendi habitu formabilis ætas:
Qualis equi, cùm tres annos iam natus habenas
Mandit, & imposito discit parere magistro.
Instituens natum pietas materna docebat
In primis orare Deum, magnamque Parentem,
Ac superos: genibus flexis procumbere ab aris,
Et duplices proferre manus, ac murmure paruo
Poscere subsidium contra tria maxima morum,
Quæ feriunt animas: irritamenta malorum,
Aërios Manes, sensum melioribus hostem
Consilijs, & corrupti contagia vulgi:
Vnde trahant animi sordes, & amabile virus,
Non secus ac pecudes, quotiens it pestifer annus,
Si simul incedant campis, & gramina carpant,
Lethiferum flatu dant, accipiuntque venenum.
Tartarei Manes genus implacabile multas
Diffusum in species, numquam certamina ponunt:
In vicijs regnant. est qui sibi vendicat iras,
Et trahat in rixas homines, in iurgia, in enses:
Alter auaritiæ studium facit, alter Amorum:
Alter ad Inuidiæ flammas, incendia, & Ætnam
Prouocat, est etiam vitæ qui tædia sanctæ
Gignat, in immundis statuens solatia rebus.
Deditus hic Genio, studet oblectare palatum,
Inseruire gulæ, de more cucurbitæ in aluum

Crescere, & esse suis onus importabile plantis.
Alter in humano fastu distendit, & inflat
Corda virum, cupidus laudum, sitibundus honorum.
Hæc igitur contra sæua, atque immania monstra
Pascere quem docuit nato fidißima mater,
Esse Deum memorans, à quo dependeat vno
Hoc totum quod fecit opus, monstrabat Olympum,
Et maria, & terras, & quæ nascuntur in illis:
Personas tris esse Deo: venisse secundam
Vt nos ad superos ageret, Christumq́; vocari
In terris sine patre satum, qui cæde cruenta
Debita persoluit moriens antiqua parentum.
Addebat Stygios amnes, altumq́; Barathrum,
Et Furias, quæ dent animis tormenta malignis:
Quæ Superis odiosæ abeunt. addebat Olympi
Gaudia, perpetuam requiem, conuiuia, mensas,
Quas sine fine habeant, qui cum pietate recedunt:
Arsurum terrarum orbem, mare, & aëra quondam:
Et ventura noui secla immortalia mundi,
Quæ miseris maiora ferant tormenta, beatis
Gaudia, & à cursu faciant desistere mundum:
Venturamq́; diem, qua mortua corpora rursum
Accipiant reduces animas, vitamq́; recentem:
Qua prope torrentem Cedron cogatur in vnum
Concilium genus omne hominum, quos prisca tulerunt
Secula adusq́; dies illos ab origine rerum,
Et fore cum strepitu vocum, & clangore tubarum
Horrifico grande examen, quo præmia iudex

Et montana humiles faciet Deus omnia campos.
Prodigijs homines tantis, ac talibus acti,
Antra, quibus sese abdiderant, vmbrosa relinquent,
Et decima sine voce die sine mente ferentur
Huc illuc, quo stare loco, quo tendere possint
Ignari, & longa mortis formidine victi.
Vndecima, visu horrendum, cogentur apertis
Nuda super tumulis ossa exspectantia vitam.
Corporibus bis sexta dies infesta supernis
Adspiciet labi astra polo: discedere Lunam
In tenebras: fieri exstinctis cælum ignibus atrum.
Nam ieiuna diu, postquam combusta vaporum
Nil dederit tellus, pasci quibus ante solebant,
Sidera deficient: velut esurientia quædam
Corpora, & exstincto scintilla volatilis igne.
Se pater à magnis ait hæc audisse magistris.
Omnia tunc etiam vacuis animantia campis
Territa, & horrendos mundi admirantia casus,
Implebunt tristes altis mugitibus auras.
Altera bis sexta quæ successura, videbit
Stragem illam communē hominū, cùm à faucibus Orci
Mors egressa metet quidquid mortale per omnes
Inueniet terras, magnoq; in lurida rursum
Tartara descendet numquam reditura triumpho.
Auferet immissis orbem penultima flammis,
Et complexa solum rapient incendia quidquid
Conuexo Sol Luna minor complectitur orbe.
Nil veriti Diuorum aulas cælestia lambent

Astris

Digna det, ac meritis correſpondentia Chriſtus:
Chriſtus enim, dixit genitrix dulciſſima proles
Adueniens magna cum maieſtate ſedebit
Aerias inter ſuper alta ſedilia turmas.
Proſequitur natum inſtituens, ac talia fatur.
Hanc tamen ante diem miſerã triſtem atque trem:
Bis ſeptem ventura aliæ: quarum vna tumultus,
Quæque ſuos habeat diris aſperrima ſignis.
Prima dies adiget omnis Nereides vndas
In Furias, facietq́ fretum tranſcendere montes
Aërios ter quinque pedes, ſtabuntq́ leuatæ
In ſpeciem murorum vndæ: ſuperabitur Atlas,
Pelion, Oſſam, Othrym, Rhipæa cacumina Pontus
Vincet, & in cælum fluctus mare porriget altos.
Altera ſub terras rediget freta, Tartara adusóue,
Et ſua, cùm cernent Tethym, Tritonas, & ipſum
Protea, diſperdi metuent incendia Manes.
Tertia balenas, phyſeteresq́ue præalto
Vertice, deformes phocas, & cætera monſtra,
Quæ paſcit Proteus paſtor Neptunius, extra
Æquora depellet, magnosq́ue ad ſidera tollent
Mugitus pauidi circum omnia litora piſces.
Quarta trahet Stygios ignes per viſcere terra,
Atque abſumet aquas, facietq́ue areſcere fontes,
Flumina, & Oceanus pulſis vaſtabitur vndis,
Ac raptas oſtendet opes, argentea vaſa,
Aureaq́, & grandes hominum ſine viſcere aceruos.
Tum demum incipient longis abſcondita ſeclis

n lucem prodire iterum Mauortia tela:
... Pœni & Persæ bellis naualibus olim
...isere. rates scombris habitacula factæ,
...spicient rursum stellas Erymanthidos Vrsæ.
...uncta premet genus arboreum, plantasq; virentes:
...nguineo sudore nemus se vestiet omne,
...ataq; florentes stillans cruor imbuet herbas.
...exta domos æquabit humo, cum turribus alta.
...œnia: consternet sublimia vertice quidquid
...abre operis hominum tantis fecere labores.
...grotabit enim tellus, & febriet aër,
...frataq; & hos tantos motus turbata dolore
...solito natura dedit: natura furenti
...r, cui det vires, animumq; phreneticus error.
...m volucres pauor inuadet, nec pabula quærent
...mplius, ac sedem venient trepidanter in vnam
...mites, mitesq; simul. fulgore tonabunt
...umpente poli, currentque ardentia ab ortu
...lmina ad occasum. quo mens humana fragore
...ncidet: indignans sic excandescet Olympus,
...ptima contundet silices, collisa sonabunt
...armora, & in pugnam lapidum rapientur acerui,
... quæ dissilient partes in mutua rursum
...lnera concurrent. terrarum octaua mouebit
...ndamenta, trement Alpes: & rura dehiscent:
...c feret vndanti tellus vestigia tergo.
...na dies æquabit agris altissima montes
...iuga porrectos. cineremq; resoluet in atrum,

Et

Atria consumptis terræ radicibus ignes.
Tanta erit ardori permissa licentia: talis
Inter mundanas surget discordia partes.
Hæc tibi care puer volui memorasse, Tonantem
Vt nunc, & tota discas ætate vereri.
Hos igitur mi nate dies, hoc flebile tempus
Mente tene, & caue sis à tanti turbine luctus.
Sancta potest probitas tutum te reddere, sancta
Religio, pietas potis est te sancta beare.
Talibus imbutus studijs crescebat, & alto
Pectore voluebat natus documenta parentis.
Iam septennis erat, dici iam desinit infans,
Fit puer, & sensim fortes adscendit ad annos,
Nec lasciuit adhuc: vitam incepisse videtur
A senio. lenibus comites per compita ludis
Indulgere videt: pueros puerilibus vti
Officijs: legit ipse domi, meditatur, & orat.
Nil leue, nil iuuenile sapit: canescere sensu
Cœperat, & virides transcendere moribus annos.
His studijs, ista læti grauitate parentes
Dulcibus exsultant votis. pater illius acre
Versus ad ingenium, pinguem quasi cultor ad agrum,
Cui videat satis esse parum sudoris & artis,
Ante focum noctu linguæ documenta Latinæ
Prima dedit, quibus vsa fuit Romana iuuentus,
Tempore quo prisci clauum tenuere Quirites,
Nomina doctrinas à libertate trahentes,
Illa quod ingenuæ quondam documenta iuuentæ

Phœnices,

Phœnices, Graii, Assyrij, rerumq́ potita
Roma dabat, varijs sub preceptoribus hausit
Vbertim. fuit in stapio pia cura parenti.
Tum quoque pœne infans sacri collega senatus,
Atque sacerdotij consors euasit ad ædem,
Cui titulus Saluator erat. potuitq́ teneri
Diuite prouentu, nisi iam sibi conscia cœli
Mens parui fecisset opes telluris, & vndæ.
Natura ingenuas erat inclinatus ad artes,
Sed tamen ad delubra magis, cum nomine magni
Nicolei mores simul vsurpasse videtur.
Ante alios ad templa venit: procumbit ad aram,
Non oculis, non mente vagus. quæcumque Sacerdos
Perlegit, attenta capit & considerat aure:
Illius in sensus dociles stillabat ab alto
Occultè diuinus amor: formabat in illo
Viua sibi delubra Deus: florebat in horas,
Vt florere solent tepido noua gramina Maio,
Relligio: pietas animum complexa ferebat
Mortalis vitæ, & fluxarum obliuia rerum.
De puero memorant opus admirabile, magnum
Argumentum animæ iam Diuum in regna receptæ.
Candida monstraret cùm libamenta sacerdos,
Murice fulgentes attollens altius vlnas,
Apparebat ei non paruo candidus orbe
Panis, vt apparet nobis, sed paruulus infans,
Aut specie puer eximia, qui sancta mouebat
Ora, manus, oculos, solitus mysteria quædam

Al

Ad puerum diuina loqui, quæ audire profani
Non poterant. sicut cùm parua foramina Solis
Ingreditur radius, non aera permeat omnem,
Sed finit angustam signans in puluere lucem:
Sic ea vox solas pueri veniebat ad aures.
Esse à secretis ætas innoxia Christo
Cæpit, & adsciri sancta in consortia Diuum,
Ac Superum fungi officio: quod Elisabet olim
Vnica progenies teneris accepit ab annis.
Vnde fit vt quosdam videat Deus ore sereno,
Suscipiatque hilari tamquam sua pignora vultu:
Ore truci quosdam cernat, quasi semine Ditis
Progenitos. in quosdam autem neque lumina vertat,
Præteriens tamquam foricas & olentia lustra.
Principio Iudam tenebroso emergere ab Orco
Et niti ad Superum cætus patriamq́ volentem
Iuuit, & extento traxit de Acheronte lacerto
In Styga lapsurum, summaq́ ex arce ruentem
Destituit: Paulum atrocem Stephaniq́ madentem
Sanguine protexit, dulcesque recepit in vlnas.
Sunt qui communes caussas ab origine dicant
Progenitas, vt cælum, ignes, auram, mare, terras,
Producente Deo: qui mox vt fecerit illas,
Æternam in requiem conuersus, & otia, tamquam
Iam senior curas operandi euaserit omnes.
His itaque in coitum caussis venientibus, aiunt
Effectus varios fluere, & deformia rerum
Corpora, quæ inficiant animas. nam qualia nactæ

Corpora

Corpora sunt animæ: per talia vota feruntur.
Flaua bile calent: ideo rapiuntur in iram
Præcipites, in bella volant, in vulnera currunt.
Sic erat affectus Turnus, sic fortis Achilles,
Hector, & Æneas, & qui laudantur in armis.
Atra metum generat, nec init certamina, ferrum
Damnat, & alipedum cursu non gaudet equorum.
Humor hic in venas penetrans, in corda, viasque,
Per quas vita subit penetralia verticis antra,
Nocte premit sensus, animasq́ obnubit opacis
Nubibus, & varijs deludit lumina formis,
Vanaq́ dum vigilant homines insomnia cernunt.
Talibus ex caussis nasci fanaticus error
Fertur, & incerto titubans insania gressu.
Sic furit Alcides, sic se transuerberat Aiax
Sic est cum puero submersa Palæmone mater.
Hippolyti monstris ita mens delusa marinis:
Empedocles ita se Siculos demersit in ignes.
Pituitæ verò faciunt frigentia corda,
Otia, & ignauam, damnatricemq́ laborum
Desidiam. somnos, & conniuentia semper
Lumina: nec laudes curant, nec honore mouentur.
Purpureus verò meliora negotia, sanguis,
Gaudia, lætitiamq́ parit, conuiuia, cantus,
Blandimenta, iocos, tetricæq́ obliuia vitæ.
Talis erat, quisquis gemmis intexere & auro
Ornamenta, domos Paaijs fulcire columnis
Cæpit, & in grandes marmor formare colossos.

His studis affectus erat Lucullus, & vrbem
Qui studuere alias vrbes praecellere Romam.
Hac igitur caussis opera adscripsere secundis:
Quae Deus inspiciens, vt commentantur & aiunt
Delectu cunctorum habi o, quasi prouidus emptor
Optima quaeque legit, quae sunt vulgaria transit.
Hac autem fingunt, vt si deprenditur vllus
Error in effectu, causas referatur in illas:
Quae casu turbatae aliquo, caelestibus omnes
Reddere nescierint regnis aequaliter aptos,
Fallitur hoc quicumq; putat. Nam carpere caussas
Nemo potest, quin carpat eum qui condidit illas.
Hos natura Dei male cognita misit in istas
Verborum ambages: credunt culpabile quosdam
Non omnes seruare homines, atque istius ergo
Inueniunt caussas, quibus hoc adscribere possint.
Non est culpa Deo, qui fas, humanaque iura
Conculcare potest, quosdam contemnere, quosdam
Sumere: nil cuiquam debet, facit omnia gratis.
Sunt quoque qui dicant venturi temporis acta,
Quae Deus ante diem, tamquam speculator ab alta
Arce videt, caussas huius discriminis esse.
Hinc fit vt arbitrij, dicunt praecognitus illos
Vsus agat sursum, caeliq; attollat in arcem,
Ante suas ratio possit: quàm surgere ad artes.
Hi quoque, ni fallor, frustra nituntur, & audent
Infragiles hanc tantam humeros conuoluere molem,
Vt memorant, si forte mouent praeuisa Tonantem

 Acta,

Acta, vel impellunt igitur, coguntq́, ligantq́ue,
Vimq́ adhibent, quod de summo sentire nefandum est
Principe: vel suadent solùm, quod credere dignum est.
Omnino ergo manens in libertate voluntas,
Non vim passa Dei præcognita suscipit acta,
Et quia vult solùm, nam se regit ipsa, mouetq́,
Libera, lege carens, nulliq́ue obnoxia fato.
Nam quæ de fatis memorat Chaldæa, videntur
Somnia: nec vires animis infundere nostris
Astra, nec affectus possunt: Deus intima cælo,
Intima telluri virtus agit omnia liber.
Quos vocat ad superos, quia vult vocat: ire sub vmbras
Qui vult ire, sinit. quali processit in auras
Sidere vitales, vel quo concepta propago
Semine, nil curat. vitæ venerabilis olim
Vir fuit, & vates venturi præscius æui
Mirlinius, Laris infando de semine cretus:
Hic satus infami coitu pietate refulsit
Eximia, Superum factus post funera consors.
Non igitur qua sint hominum compagine ficta
Corpora metitur: flauæ dominatur & atræ
Bili opifex: potis est etenim frigentia corda
Inflāmare, docent quæ tot tormenta puellæ
Sustinuere, quibus gelidum natura timorem
Indiderat: potis est compescere flammas
More equitis, qui lora trahit, qui tracta relaxat:
More gubernantis, qui dum lætatur in alto
Ludere, non scopulos fugiens nunc transtra leuato, Non

Nunc presso clauo ire facit. de pectore Pauli
Sustulit hostilem, sanctumq́, subintulit ignem.
Si cui fas terram sit fecundare volendo,
Nil opus est, villam quoties mercatur & agrum,
Vestigare prius vires, habitusq́ locorum:
In manibus quod quærit habet fecundat emendo.
Non fuit ad tantos igitur Nicolaus honores
Adscitus, quia venturos Deus illius actus
Viderit, aut quia mens corpus sortita fuisset
Morigerum, non quòd tulerint ita mitia fata.
Fors fortuna fuit Patris indulgentia summi,
Libero & imperium nacto sine lege Tonanti
Sic placitum. satis est nobis hoc scire, superque.

LIBER II.



Rima diœcesis dedit incunabula, & ortum,
Ac natale solū puero Firmana, subaltis
Montibus aërias vbi nominat Angelus arces,
Et Firmanus erat ciuis pater. alta vetusque
Vrbs ea, & antiquæ præclara Colonia Romæ.
Pubertas erat in foribus: iam venerat ætas
Tertia, quam biuium dicunt: namq́, incidit illic
In duplices hæc vita vias: ascendit in altum
Vna per angustos calles, & latior exit
Semper, vt ad summum venit, laxatur in arua

 Plena

Plena voluptatum, quæ ver florentia semper
Seruat, & autumnus maturis frugibus implet.
Nam Vertumnus in his campis versatur, habetq́
Veris, & Autumni nomen: quia tempus vtrumque,
Temperat, & ducit flores in poma nucesque,
Maturatq́ annos, ac mittit in horrea fruges.
Altera principio latissima, vertice summo
Est angusta, negans illic vestigia figi.
Hoc igitur facili ingressu decepta iuuentus,
Dum putat in melius semper procedere, tandem
Discit ab euentu se delirasse maligno.
Hac hominum pars maior eunt: sic Tartara crescunt,
Sic infernus habet maiora negocia Pluto
Semper, & esuries Orci infinita Barathrum
Ampliat, ac fauces in grandem extendit hiatum.
Gallorum annales memorant à Manibus olim
Egressam superas animam venisse sub auras,
Atque suo quondam comiti narrasse per illam
Millia ter decies hominum demortua noctem,
Ex quibus iuissent in regna cathartica solùm
Tres, vnus cui nomen erat Bernardus, in arces
Ætherias: hic ille fuit, qui fertur in altis
Montibus ingenti Lemurem vinxisse catena:
In Stygias alij magnis vlulatibus vmbras.
Noxius ...æuta sic est locus ille iuuentæ.
Dicitur Alcides Alcmenæ filius isto
In biuio traxisse moram, dubitasse, nec ausum
Tendere iter; donec viua sub imagine virtus

Visa viam docuit: quod qui finxere volebant
Scire homines dandum esse ducem puerilibus annis,
Qui morum scopulos, vitæ qui intelligat artem:
Nam neque sola potest ætas improuida, simplex,
Atque rudis regere affectum, cohibere furorem.
Hoc igitur puer in biuio, quia corda ferebat
Enthea, & illapso correptam Numine mentem,
Non eguit rectore alio. qua cæpit ab Ortu
Ire, viam tenuit: verùm ad magis ardua semper
Nitebatur. erat nautæ longinqua petenti.
Litora par, dum festinans sua colligit arma:
Dum trahit in proram funes: dum carbasa in altum
Eleuat: explicitis finibus dum colligit auras.
Tecta patris Libyci sacramq́ audiuerat ædem,
Cœnobion dicunt, quòd sint communia cunctis
Omnia, vt Essæi quondam vixisse feruntur:
Essæi genus antiquum, venerabile, sacrum,
Qui vitam traxere diu Iudæa per arua.
Illic fama fuit sanctos conuiuere patres,
Longæuum antiquo genus à pastore trahentes,
Qui ciuis Didonis erat Carthagine natus.
Iste nouum terris sidus fuit, omnia regna
Vt tuba quæ magnis totum clangoribus orbem
Impleat, exclamans Christi noua castra vocabat:
Romano sermone potens, mysteria sacris
Hausta libris, vti fons latis amplissima ripis
Flumina diffundens, per mille volumina misit.
Doctrinis, vt Sol radijs fulgebat, & omne

Quod Grai, quod Phœnices sciuere, quod Indi,
Niligenæq; sacerdotes Babylonica templa,
Doctus erat: cælum, Manes, elementa, Deumq;.
Ipse nouum vitæ genus, & compendia quædam,
Per quæ mortales irent ad Olympica tecta
Edidit, & patribus dedit obseruanda futuris.
Hi tribus indulgent studijs: ante omnia in vnum
Conspirant hominem, rebus qui præsit agendis:
Qui teneat clauum: cui sit parere necesse.
Altera cura facit, ne quis sibi vindicet aurum,
Neue vsurpet opes, propriosque recondat in vsus:
Sed fluat in medium quidquid vel terra ministrat,
Vel pietas infert, hominúmve industria quærit.
Tertia femineis adimit congreßibus omnem
Cura viam: Veneris procul ablegata voluptas
Exsulat hinc, nullumq; audet sperare regressum.
Istud idem Carmelus habet, genus vnde virorum
Eliadum fluxit, qui tempestate supersunt
Hac quoque, & hanc primi viam coluere per vmbras
Per saltus Carmele tuos, Phœnicia iuxta
Litora: per colles positos Iordanis ad vndam.
Hæc Picentis agri domus obseruabat ad vnguem:
Sola heic relligio, sola obseruantia Diuum
Creuit, & æternæ spes, ac fiducia vitæ.
Huc adolescentes prudens puer attulit annos,
Et sacer euadens duplicem vestitur abollam.
Alba sub est nigræ, duplicíq; obnubit amictu
Tempora: proximior nudo candore niuali

Albic-

Albicat: exterior fuligine tingitur atra.
Hoc sub hac olim pater Augustinus eremum
Incoluit, postquam Christum suscepit, & antè
Lauaret quam sacra Deo, trieterida totam.
Tum Larium natura sagax, versuta, bilinguis,
Inuida, & humanæ semper studiosa ruinæ:
Talibus inceptis grandi occursura paratu
Plurima mente agitat, multas reminiscitur artes,
Vestigat puerilem animum, quo semine cretus,
Sidere quo natus, quo Mars afflauerit ortum,
Quo Venus adspectu, quo Pleiadesque, Hyadesque:
Atque oculos lapsi fert circum cornua Tauri,
Exploratque omnes aditus, vt ouilia noctu
Septaque caularum solet explorare Lycaon,
Atque Lycaonio vulpes subtilior astu.
Nam diuersa velut vis & natura ferarum est:
Sic Lemurū. perhibent etenim genus hoc animantum
Sex fusum in species tenuissima corpora ferre,
Quæ penetrent clausosque fores, & ahenea claustra.
Prima inter Lunam versatur & aëris auras:
Ignis vbi simplex, ac sincerissimus ardet.
Altera cum Zephyris, Austris, Aquilonibus, Euris
Fertur, & aëriam dicunt, quòd in aëre viuat.
Tertia, quæ circum terras errare per imum
Aëra consueuit, nostrosque habitare Penates,
Terrestris cognomen habet. Neptunia regna
Quarta colit. sed qui terris, quiq; æquore viuunt,
In duplices abeunt sexus. Nam mascula quidam

Membra magis curant, muliebria corpora quidam,
Femineis gaudent formis montana vagantes
Per iuga, per siluas cum venatrice Diana,
Quas Dryades dicunt, & Oreades. adde Napæas,
Naiades, & Nerei natas, & Dorida matrem.
Quos verò magis oblectant & nomina, & ora
Mascula, sunt Fauni, Panes, Satyriq; bicornes,
Turba salax: quorum quidam tentigine moti
Femineos subeunt vultus, & semine muncto
A maribus, rursum redeunt in mascula membra,
Incautasq; nurus ineunt, ac pignora gignunt.
Accedunt Diui æquorei Neptunus, & Ægeus,
Proteus, & Triton, Nereus, Melicerta, Palæmon,
Et grauis Ægeon, longis qui amplectitur vlnis
Monstra maris cetos, & inertia corpora phocas.
Quincta subit terras, & subterranea factum
Nomen ei: subeunt cautes, obscura per antra
Hospitium quærunt, Diuos atque astra perosi.
Sexta magis, magis ima subit: lethæa subintrat
Tecta diem fugiens: ideo cognomine dicunt
Lucifugam: violenta magis, quàm calida. si quos
Occupat: elingues, surdosque euadere cogit:
Vilius ingenium tribus inferioribus. ergo
Hi sunt, qui dicuntur opes tellure sepultas
Custodire: timent, nostros ne forsitan aurum
Quod latet abstrusum tenebris vertatur in vsus.
Tantus inest illis liuor: sic inuida turba est.
Hi sunt, qui iactu lapidum per tecta viasque

Extern

Exterrere solent homines, inuadere nautas,
Mortales morbo Herculeo prosternere, corda
Nubibus immerso dementia reddere sensu.
Ast alys longe excellens, penetrabile, promtum,
Quo fraudes, quo mille dolos innectere possint.
Istorum è numero Venus est, fandiq; magister
Mercurius, Mauors, atque imperiosus Apollo,
Atque alij, quorum fama est antiqua, per orbem
Nomina qui terris vsurpauere Deorum.
Isti omnes igitur cœtu in sublime vocato
Culmen, in obscuris vetus est vbi fama Sibyllam
Degere speluncis, per flumina quinq; profundi
Iurauere simul studium, curamq; habituros
Se vigilem, contra audacem (sic liuida Manes
Turba loquebantur) iuuenem, seq; omnia fallo
Agmine venturos armis in prælia sumtis:
Sic pacti cuneo in ventos abiere soluto.
At iuuenis Larium mores, & atrocia doctus
Bella parat sese ad pugnæ genus omne, fatigat
Ingenium grauibus curis, cohibetque vagari
Mille per amfractus solitam perq; inuia mentem:
Cogit eam per sancta pedem mysteria ferre,
Quæ profugus sparsit per quinq; volumina Moses,
Quæq; per annales, Solymæq; diaria gentis,
Atque per historias, & per præsagia vatum,
Per legis mandata nouæ, per grandia Pauli
Eloquia, & patrum vestigia sancta suorum.
Pascitur hic vt ruris aues matura per arua;

 Cum

Cùm iam messis adest, & iam tritura propinquat:
Vt per prata greges: vt apes Hyblæa per arua.
At quoniam pingui Venus irritata superbit
Viscere, & ex dapibus surgit lasciuia lautis,
Vix adhibet mensis hortensia gramina victum.
Quem prisci coluere patres, non fidit Hiaccho:
Nam Deus infamis: sed frigida flumina portat.
Est suspecta Ceres: numquam contenta quiescit.
Esuries, semper voto fraudata reclamat.
Qui cubat in membris, quoties extrinseca desunt
Nutrimenta, calor quæ erodere possit, in ipsa
Corpora desæuit, munctoq́ exsanguia succo
Reddit, & atroci sua damna vlciscitur ira:
Inde subit macies, frigent præcordia, languet
Spiritus in venis, Venus indignata recedit,
Quam calor & venti stimulant, & aquaticus humor.
Somni autem plus quàm fuerit tolerabile parci:
Cuius vt enarrem paucis aduertite caussam.
Quinq́ vijs, tamquam speculis, per corpora, sensus
Ducimus, ad mentem subeunt tenuissima rerum,
Pro rebus simulacra modis gradientia miris.
Nam species à rebus eunt, velut ire videmus
A Phœbo, & stellis radios: per inania missæ
Vndique circumeunt auras, & lumina fallunt.
Testantur rerum effigies in flumine visæ,
In speculis: visa in saxis specularibus ora
Nostra fidem faciunt: vis hæc incognita rebus.
Mens igitur missas species, si lumina somnus

Non ligat, agnoscit: quòd si sopor occupat artus,
Non agnoscit eas: sed res putat, illius instar
Qui putat inspectas animantia vera figuras.
Hinc igitur veniunt animos agitantia nostros
Somnia: quæ volucri dum mobilitate feruntur,
Illæ agiles formæ fingunt quæcumque per orbem
Conari natura potest, quæcumque voluntas,
Nonnunquam maiora etiam. nam monstra videmus
Cernere, quæ natura nequit producere, montes
Ire per aerios tractus, hominemque volatu.
Tendere per nubes, & currere flumina retro.
Hac lemures persæpe pias deludere mentes
Arte solent, obscœna oculis dum occurrit imago
Vera, vel in somnis, mox euigilantia corda
Titillare potens, fragilemq; inflectere sensum.
Propterea somnum castis quasi moribus hostem
Oderat, & multam in noctem seruare legendo
Insomnes oculos sæpe exspectare solebat
Luciferum, sæpe Auroram, quandoque reuersam
Lampada terrarum, humentem quæ discutit vmbram.
Adde quòd affligant moribundum insomnia corpus,
Et domat ex leges motus: sic bella cauere,
Sic solitus caussas eradicare malorum.
Quæ verbis mensura fuit, quæ regula fandi,
Quæ linguæ lex atque modus, transire silendo
Illicitum, quando id sanctæ pars maxima vitæ.
Et breuis, & rarus post longa silentia sermo
Seria libabat solùm, mendacia nugas.

Et

Et quæcumque solent alios proscindere verba
Non secus excitans, ac litora Syrtica nautæ.
Si de iusticia, de relligione loquendum
De pietate foret: longas manabat in horas
Eloquium, tamquam vasto de gurgite torrens
Fusus, & vndantem voluens de vallibus æstum:
Tunc facundus erat: Deus in præcordia lapsus
Ars erat: affectus facit os scitum, acre, disertum.
At quia delectant oculos, animumque videntur
Ad communem hominem vitam deflectere sensim
Mollia, & vrbanum morem sapientia semper
Pallia derisit, temploq; indigna vocabat.
Ad nudum setis cilicum, quæ tegmina castris
Et nautis præstare solent, vestitus inerme
Corpus adurebat: gradiens pannosus, & asper.
Stragula cyniphiæ præbebant hispida barbæ:
Quæ cum merce rudi Libycis vectantur ab oris.
Non stratum fluuialis anas, non anser anate
Grandior exhibuit, non mollior ansere cycnus.
Dulce erat in tabulis lassum distendere corpus,
Vt vulgus castrense solet, cùm candida rupes
Nix tegit Alpinas: quoties Aquilone sereno
Nox perflata lacus, rapidosq; coagulat amnes.
Sæpe etiam in nuda somnus tellure cubanti
Gratus erat, quando Auroras vigilantia plures
Fecerat insomnes, imitans iumenta ferasque.
Sternebatur humi corpus: seruile vocabat
Mancipium, quòd non animi contemnere solùm,

Veris

Verùm etiam diuorum ausit legem, imperiumque.
Quæ nobis obscura fides, quasi missus ab oris
Nuntius externis animo amplectenda reliquit:
Ipse velut subiecta oculis, & cognita vulgo
Scitaue per caussas atque explorata tenebat.
Hæc radix illorum operum, quæ dura videntur
His, quibus est ignaua fides, processerat inde
Ille amor inflāmans homines, ille igneus ardor,
Corda metu qui nostra facit tam grandia pulso.
Nomen habet Caritas, summo demissus Olympo
Spiritus, extirpans alios radicitus ignes,
Et præsertim illum, quem pestis amara Cupido
Ex Phlegethonte haurit, terrasq́ue inseminat omnes,
Atque illum, qui quærit opes, qui colligit aurum.
Spes quoque præsidium nobis mortalibus ingens,
Sola Promethea non dedignata teneri
Pyxide, tùm Superos aliæ peticre sorores,
Fulcibat crescentem animum, iuuenilia corda
Altius à terris æterna in regna leuabat;
Venerat in summos apices, vbi nostra leuatur
Conditio, humanos audens transcendere fines,
Et fieri vicina Deo, diuina sacerdos
Orgia iam factus sanctas libabat ad aras.
Tunc poterat vita functis succurrere, Manes
Inuito rectore Erebi, prohibente Megæra
Soluere, & in cælum ex imis reuocare tenebris:
Conciliare Deum nobis, peccata loquendo
Tollere, & à flammis animas seruare dolentes:

Atque

Atque vagos cohibere Lares, compescere sæuos
Dæmonas, & Stygijs Vmbris imponere leges.
Nam quoties sacro mystæ intinguntur oliuo,
Accipiunt illorum animæ viuacia quædam
Signa, characteres dicunt, quæ Cerberus odit:
Cerberus, & quotquot degunt Acheronte sub alto.
Verùm hæc ne forsan nugæ videantur aniles,
Subijciam paucis opus inter prima relatum
Iam vulgata diu sancti miracula Patris.
Ergo hæc horribilis fecit cognoscere casus.
Arua per Vmbrorum locus est, vbi curua Pisauri
Flumina in apricos colles de montibus altis
Lapsa fluunt, cursu Pontum visura citato.
Huc migrauit, vbi tacito domus abdita saltu
Hospitium siluestre dabat, noctesque diesque
Cælum animo voluens sacras ducebat ad aras.
Nox erat, & tenebrosa polum conuoluerat vmbra:
Vmbra means circum terras, circum æquora, circum
Aëra, circum ignes, rapido contraria Phœbo
Semper, & attingens vsque ad Saturnida Lunam.
Procubuit strato iuuenis, vix lumina somnus
Clauserat, & subito in somnis occurrit imago
Vociferans Nicolae mei, Nicolae memento:
Sancte pater succurre tuis, compesce dolores,
Quos patimur tantos, & nostra incendia tolle:
Namque potes, si sancta dies libamina septem
Dedideris nobis: fer opem, & miserere tuorum.
Territus hoc tanto iuuenis clamore rogabat
Qu

Quis temerare ausit nocturna silentia tanto
Planctu hoc, & noctu in tantas prorumpere voces,
Sub Lare præsertim strepitus qui eliminat omnes.
Vox ea, sancte pater rursum si scire laboras
Quis sim, quis fuerim, paucis aduerte, docebo.
Ipse comes tuus ante fui: fuit Auxima tellus
Passa graues olim casus, & bella, Gothorum
Cum cepit ruere imperium, Belisarius olim
Patria, nomen erat viuo, Peregrinus ad Vmbras
Misit Auernales, quæ subruit omnia, me mors.
Quod clamẽ, dolor in caussa est: dolor omnia vincens
Aspera, quæ sanctis olim inflixere tyranni.
Surge, veni, tibi spirituum magna agmina sistam
Ante oculos, quibus auxilio potes omnibus esse.
Ire videbatur versus vicina Pisauri
Mœnia: namq; eadem fluuio sunt nomina, & vrbi:
Quam veteris quondam Romæ posuere coloni.
Visus & ex alto vallem spectare profundam,
Vnde ferebantur magno cum murmure voces
Confusæ ad cælum, & lamenta miserrima in auras.
Tunc ea vox, hæ sunt animæ, quas vita fefellit
Pacta dies longas, canos, seramque senectam,
Hac spe delusæ, blandaq; libidine tractæ
Iugiter ad pingues ducebant gaudia mensas.
Non deerant epulis citharæ. sed Arione multo
Læta ibat domus in thyasos, Veneremque ciebat
Surripuere dies cantus, conuiuia noctes,
Totaq; in insanos fuderunt tempora luxus.

Ista

Ista frequentarunt, & quæ nascuntur ab istis,
Dumq́; sub extremum vitæ se posse putabant
Emendare leuis deliramenta iuuentæ,
Mors fuit in foribus non exspectata repente,
Cunctaq́; mendacis vitæ pacta irrita fecit.
Sic ait: extemplo magnis stridoribus Vmbræ
Audit a clamare, pater miserere sepultas
Hoc ardente lacu: tua nos libamina seruent:
His dictis, visa in latos incendia campos
Serpere, & illustres ad cælum attollere flammas,
Atque ignes fumo inclusos erumpere magnum
In tonitru, longeq́ue leues volitare fauillas.
Vt quoties ferri candentem forcipe massam
Corripit, & crebro feriens faber ingruit ictu
Emicat in tenues scintilla volatilis auras.
Territus hoc visu somnos ac somnia rupit,
Ac diuina dies tulit in libamina septem.
Septima lux ierat, noctemq́; Aurora fugabat,
Quando oculos vigiles per tota trinoctia somnus
Corripuit, rediens confestim occurrit imago
Illa eadem: quæ visa patri pro munere tanto
Soluere suppliciter grates, ac talia fari.
Te duce Tænarios tandem superauimus ignes:
Te duce ad ætherios tandem conscendimus axes:
Viue, vale: cælesti olim te in luce videbo.
In Picente solo collem consurgit in altum
Terra, duos amnes inter, qua respicit Vmbros
Et Boream, summis demissa potentia saxis

Labitur: Austrinæ qua sidera prospicit oræ,
Defluit ab alto veniens Serualle Chientus,
In dorso Macerata sedet, post bella Gothorum
Edita, & ex priscis Recinæ generata ruinis,
Heic habitans, aliquando sui crudelia fratris
Funera, qui in gladios, & in arma hostilia casu
Inciderat, cùm resciſſet: prece Numina flexit,
Ne Stygijs raperetur aquis, ne æterna subiret
Supplicia, infernos neu transferretur ad amnes,
Irremeabilibus numquam rediturus ab oris.
Addidit & precibus ieiunia longa, grauesque
Excubias, & ter decies reuocauit ad aras
Orgia, Lucifero cùm lux albesceret orto.
Ecce per obscuræ metuenda silentia noctis,
Dum genibus staret fixis in marmore ad aram,
Vox audita. tuis precibus germane reuertor
Liber ab inferni tenebris horrentibus Orci.
Iam mihi crudeles Furiæ candentia vincla
Intulerant, totusque mihi insultabat Auernus,
Et sine spe damnatus eram Phlegethontida ad vndam,
Cum subito effulsit clarum per concaua lumen
Tartara, & hac latæ voce insonuere lacunæ.
Tartarei Manes vestras attollite portas,
Nunc rogat à Stygio duci Nicolaus Auerno.
Extemplò tremuere omnes furiale ministri
Vulgus, & attoniti piceis latuere sub antris:
Non aliter, quàm cùm simili clamore coactus
Reddere Traianum Pluto ima in Tartara fugit.

Ast ego per latebras illo duce lumine olentes
Ducor, & à regnis Orci squalentibus adsum.
Hæc ea vox. sed cùm falli Nicolaus ab Vmbris
Crederet infernis, quibus est assumere formas
Mos varias, multisq́ue bonas deludere mentes
Artibus, iste timor fraternæ innotuit vmbræ,
Atque ait. ipse tuus, fraudem desiste vereri,
Frater ego sum. frater ait. lætare, diuque
Esto memor germanæ meam curare salutem.
Nam nec adhuc adeo Superos, aliquidq́ luendum est.
Edita ab excelsis penetralibus Apennini
Labitur in Pontum Firmi sub mœnibus altis
Tignia, & ad ripas eius celeberrima quondam
Nominis vrbs istius erat, voluentibus annis
Diruta: sed templum superest, cui pinguia subsunt
Pascua, lanigeriq́ greges, opulentaque rura.
His opibus sancti quidam de sanguine patris
Nicolei præfectus erat, qui sæpius orsus
Ad se sobrinum blandis inflectere verbis,
Et vitam damnare inopem, quòd lenta sequatur
Otia, quòd gradiens aliena per hostia quærat
Auxilium precibus, quod erat sudore parandum
Corporis, aut animi. nam sic vbi condidit orbem,
Dicitur antiquos Deus instituisse parentes:
Quippe mali Manes, studium quibus aucupis instar
Quærere quam vexent, adigantque in retia prædam.
Has illi insidias hæc bella occulta ferebant:
His commotus erat dictis, & in anxia pulsus

Consilia,

Consilia, ambiguis torquebat pectora curis,
Dum veluti nubes, quæ pendet in aëre ventis
Aduersis impulsa, modò hac, modo flectitur illac.
Ecce chorus Superum niveis in vestibus ædem
Subgreditur, stipatq́ virum, curasque loquend
Dissipat instabiles, mentemq́ redarguit ægram,
Ancipitesq́ animos & corda labentia firmat.
Insuper adijciunt. quo vis vestigia ferre?
Terra Tolentinas tibi finis, & vltima sedes.
Dixit, & exilem chorus est resolutus in auram.
Ergo vir ex illo certus retinere beatam
Tempore pauperiem comites sua sæpe monebat
Ossa Tolentino sese debere: supremam
Illic se vitæ partem, tumulumq́ habiturum.
Pertransire nefas opus admirabile nullis
Auditum sæclis, vsque ad labentia mundi
Mœnia, cum totam terrarum incendia molem
Vltima corripient, longos memorabile in annos.
Æger erat, febris lassos emunxerat artus,
Atque sepulcralis pallor confecerat ora
Hispida: dixisses, si non spirasset anhelo
Gutture paulisper, gelidum sine mente cadauer.
Vis ea, quæ in venis salit, & quæ in pectore læuo
Palpitat, vt lampas iam iam moritura, tenorem
Perdiderat, motuque abiens trepidabat inerti.
Viuificas adhibere dapes medicina iubebat,
Pabulaq́ exilem reparare potentia vitam.
Ergo coturnices, vt mandat Apicius, assas

Attulit impigri manus officiosa ministri.
Ille autem solitus semper frenare palatum,
Ac Genium fraudare cibis contentus inemtis,
Horruit has epulas, & detestanda putauit
Prandia: mos longis sic illum affecerat annis.
Accedunt præcepta patris, cogentia vesci
Pinguibus oppressa tanto in discrimine vitæ.
Quid faciat nescit: mens egra quid eligat horum
Cogitat. hinc angit sancti reuerentia patris:
Hinc pia suscepti premit obseruantia voti.
Angustatur, vti quoties Symplegades inter
Nauita transibat, tum cùm concurrere ventis
Flantibus impulsæ nauesq́ arctare solebant.
At Deus impactum Syrtem miseratus in istam
Fauit, & ex altis traxit præcordia curis.
Nam pluit in volucres plumas, animamq́ repente
Restituit, mox illæ alas mouere recentes,
Et simul excusso saliere per aëra disco.
Qua via visa volant, speculisque feruntur apertis
Aërium per iter. pater & quæ plurima fratrum
Turba aderat, tuiti grandis miracula casus,
Obstupuere, oculis non conniuentibus, ore
Attonito, voce amissa, manibusq́ supinis.
Hac igitur tanta moti nouitate volucrum
Multimodis sancti patres sermonibus illam
Consumsere diem: memorant portenta parentum,
Vt quæ Niligenis Moses ostenderat olim,
Cùm nouus arenti factus de vimine serpens

Prodiit,

Prodijt, & subitò latis ostenta magorum
Faucibus inuasit, grandesq́ absorbuit hydros,
Et, cùm purpureo maduerunt omnia nimbo
Gramina, & è puteis emanauere cruenti,
Infandum, latices: cùm tres sine lumine Solem
Ire dies vidit tellus Ægyptia, quando
Omnia rura Deus dedit erodenda locustis,
Et, cùm tetra domos omnes examina muscæ
Aëraque infesto perturbauere volatu:
Cumque super viso nuper certamina casu
Orta forent, quo vita modo reuocata volucrum
Tam subitò: num forte auium post fata superfit
Spiritus, in veteres qui sit reuocabilis artus.
Præses ad adstantum cuneum sit protinus orsus.
Sunt qui crediderint animas pecudumq́ hominumq́
Nil differre, simulque mori cum corpore: quidam
Esse immortales omnes, & corpore solùm
Dissimiles: nostras autem, quia corpora nactæ
Optima sint, fungi officijs melioribus aiunt.
Ast alias membris contranitentibus ire
In pecudum mores: minus has, vehementius illas,
Vt varijs natura modis intrinseca finxit
Instrumenta animæ, fieriq́ue animantia muta.
Propterea veterem rediisse in corpora credunt
Vitam auium, sua rursum animis in membra reuersis.
Sed ne multa morer frustra, ne tempora perdam,
Quando cadit iam sera dies & sidera surgunt,
Ista senis Samij, Calabros qui dicitur olim

 Incoluisse

Incoluisse Lares, & magni nominis artes
Inueniisse nouas, deliramenta videntur
Vana, indigna quibus prudens accommodat aures.
Sanctior est igitur nostrum sententia patrum,
Qui differre putant animas vt corpora: nostras
Esse immortales, alias occumbere fato.
Hæc autem volucrum fecit miracula magnus
Ille opifex: cui rerum omnis natura ministra est:
Qui vitas habet in manibus veteresque nouasque.
Qui reparare potest fracta & noua condere membra:
Ista suos docuit Præses grandæuus alumnos.
Conualuit tandem: sed cùm nil pendere corpus
Feruida mens assueta foret: cùm parcere inerti
Nesciret Genio seris iam frigidus annis,
Tempore post paruo rursum procumbit, & acrem
Labitur in morbum, totosque affligitur artus.
Mens inuicta manet: cupit ad delubra reuerti.
Fert ægrè, gemit, & lacrymat, quòd strata cubili
Membra vetent pietatis opus: sua namque solebat
Prandia partiri in miseros, & porgere egenti
Clandestina manu poterat quæ dona pienti.
Hoc animaduertens pœnoris cui cura, ferentem
Triticeas aliquando dapes deprendere lecto
Tempore constituit. tum candida bruma per alpes
Hibernabat: humus sterili sub frigore lenta
Otia ducebat pigrum pertæsa Decembrem.
Occurrens igitur gremio quid ferret onusto
Postulat: ille rosas (spirauit in illius ora

Ha

Hæc responsa Deus) dixit se ferre recentes,
Et gremium soluens roseos, mirabile, flores,
Quales ferre solent Pestana rosaria, cùm ver
Prouocat ad carmen volucres, ad gramina campos,
Protulit, extemplo diffusus in aëra nidor
Naribus applausit, sacriq; olucre Penates.
Hoc opus, hoc ingens studium pietatis honore
Duxit honestandum tali Deus arbiter æquus.
Præses id admirans, homini præcepit apertum
Esse penus, pascendi inopes permissa potestas,
Hoc igitur quando grauis intermittere languor
Officium cogebat, vti qui grandia perdit
Emolumenta, dolet: pietas exterrita luget.
Tum Regina, decem nutu quæ temperat orbes
Innixos vtroq; polo, clementia cuius
Fine caret, magno pressam languore senectam
Despiciens, illo, quo spem facit omnibus, ore
Descendit celebri Diuum stipante caterua.
Hic erat Hipponis pastor, primordia gentis
Qui tulit istius pater Augustinus, Olympo
Tantus apud Superos, quanta inter sidera Luna,
Et iuuenem mater quæ deplorauit alumnum
Tot lacrymis, verita æternos ne incurreret ignes,
Et pater Albertus cum Cyrillo Megarensi:
Ambo relucentes, ambo candore togati
Sidereo, quali surgens Venus aurea vultu
Cùm nitet absterso: namque his Regina duobus
Vititur ad tanti præclara negotia regni:

Carmeli Regina memor, quem inuisere quondam
In longo amissæ prolis mœrore solebat.
His comitata senis thalamos adit, ac tenebrosæ
Noctis inane Chaos prælato illuminat igne.
Agmina vt agnouit senior cælestia, morbo
Prosilit euicto, membris dominata repente
Inualidis mens est, vt proxima numina sensit:
Verùm Reginæ imperio se in strata recepit
Rursus, & ipsa virum sic est affata iacentem.
Care senex, quid te tantis mœroribus angis,
Postquam lasciuæ cecidit calor ille iuuentæ,
Et senio frigente Venus sedata quieuit?
Dandum aliquid Genio. licet indulgere parumper
Somno, epulis: laxanda æuo sic lora senili,
Vt primæua ætas grauibus frenanda lupatis.
Femina quæ vestris Laribus vicina, calenti
Triticeum furno Cererem tractura canistrum
Fert humero: panem, nec sit mora, mitte ministrum,
Qui ferat, & sacrata super dic verba: subinde
Vescere: confestim pulso sanabere morbo,
Quem tua Tartarei misere in viscera Manes.
Sic potes insidias, sic vim depellere Auerni,
Dixit, & integram sic est largita salutem.
Hunc post fata senis morem tenuere nepotes:
Nam simili ritu Cererem sacrare quotannis,
Et plebi donare solent, cùm sancta reuerso
Natali sunt festa die: medicamine tali
Morborum genus omne fugant: sic Dæmonas arcent.

Su

Sic steriles curant vteros, serpentia sanant
Vlcera, restituunt oculos: sic fulmina pellunt,
Aerias tempestates, irataque sedant
Æquora: deprensos seruant à turbine nautas,
Ceteraq́ humanæ cohibent incommoda vitæ.
Functus erat morbis, atque ad sua prima reuersus
Alta senex, quando Lemures coiere superbi
In campos, vbi sub vastis prostrata ruinis
Vrbs antiqua iacet, fuerat cui Saluia nomen.
Magna theatrorum superant vestigia, moles
Marmoreæ, quas exedit cariosa vetustas.
Arua Tolentini tenuit quæ Saluia quondam,
Nunc retinent ciues, agroque fruuntur, & vrbe.
Huc duce Mercurio Ioue præside totâ coacta est
Coniurata cohors Larium: mox Iupiter orsus.
Quamquam nostra grauem tulerint antiqua ruinam
Regna, tamen superant comites: coalescit in horas
Imperium magis, atque magis. res publica Christi
Labitur in nihilum, sensimque exstinguitur ardens
Illa fides, primis quæ nos exterruit annis.
Et quamquam possit gens relligiosa videri
Progenies Christi, quia sacra volumina voluunt,
Nil tamen hac nobis à relligione timendum est.
Ore Deum, non corde ferunt: de turribus altis
Æra sonant Christo: ventosa tonitrua nobis
De nebulis, cæloq́ tonant, meminisse potestis,
Christigenum quoties puppes submersimus alto:
Grandine frugiferos quoties deleuimus agros,

Peste greges, nemora & siluas Aquilone comantes,
Bella quod orditi fuimus, quot grandia regna
Abstulimus Christo, dedimusque Scythisq; Arabisq;.
Si dicas, templa ædificant, pinnacula cælo
Educunt: fateor. quo se sublimibus illis
Nobilitent tectis, niti probitate solebant:
Immodica verò nunc ambitione feruntur
Ac liuore, odijs nunc immortalibus ardent,
Dant Baccho Veneriq; operam, Roma ipsa lupanar
Reddita, femineo Petri domus oblita fluxu
Ad Stygios olet vsque Lares, incestat Olympum
Nidore hoc, facta est toto execrabilis orbe.
Fidite consortes regni: sperate reuerti
In decus antiquum: maior pœnuria Christum
Quotidie premit in terris, minor exit in horas.
Ille habet Europam: nobis est Africa, nobis
Quæ longe lateq; patent Asiatica regna.
Ille habet ardentes faculas, altaria, fumos:
Nos animas. qui templa eius maiora gubernant,
Qui insipidis eius sacris vescuntur, eduntq;
A Zyma liba: nihil Christum, nihil Orgia pendunt:
Mortales animas credunt, Plutonia rident
Regna, nec exspectant vllam post fata Megæram.
Dic animaduertat Petrus, qui ianitor aulæ
Dicitur illius, quot per sua limina gressum,
Quot per nostra ferant animæ: fortasse pudebit
Prouentus exilis eum. latissima nobis
Horrea, & in grandes messis consurgit aceruos,

Nec

Nec solum de plebe homines collegimus, intrant
Nostra sacerdotes, & qui sublimia mitrant
Tempora, primates orbis, gemmata ferentes
Ornamenta, nurus auro, argentoq́ corusca
Atque senis Priami venam irritare potentes:
Nostra inquam portis in regna patentibus intrant.
Si quos Christus habet, si quos in retia mittit,
Sunt ima de face hominum, de plebe profunda:
Qualis hic insanus, qui tot labentibus annis
Nos risit, nec cessat adhuc. cælestia tecta
Ambit, & in nostros sperat migrare Penates
Mentis inops. Vulcane veni, mandata capesse
Nostra semel, tu namque Lares regis atque gubernas,
Qui in cæcis habitant specubus sub montibus altis:
At nos aerios, nostri versutia, & astu
Decertare solent: tua plebs vi, robore, & armis.
Attriti longo nostri certamine cessant,
Fessa Venus, victa est Pallas, Cyllenius artes
Arguit inualidas: nemo est qui in retia phocam
Hanc adigat: hos hæc comites fugat Indica nostros.
Vltima spes in te est, caussam hanc Vulcane parumper
Suscipe: si labor est hominem peruertere tantus,
Vt nequeas, affiige solo: fac verbere multo
Claudicet, atque tuos gressus imitetur eundo.
Hæc saltem in monstro hoc nostri monumenta relinque.
Claudicet, & Diuos non experiatur inertes.
Hanc operam largire Ioui: te semper in omnes
Mnificum Diuos omnis reminiscitur ætas.

Tu

Tu mihi formasti flammas in fulmina semper,
Et facis vt metuar: tua dextra condidit arma,
Quæ dedit Æneæ mater, quæ mater Achilli:
Hoc opus adstanti Diuum largi e corona.
Iupiter hæc: operi accingit Vulcanus iniquo
Strenuè, & assumtis triginta infamibus Vmbris,
Quæ solitæ in tenebris cæcos habitare cuniclos,
Aduolat in thalamum senis, & delubra peragrat,
Exploratq́ domos, instar latronis opaco
Tempore consueti nocturno instare rapinæ.
Tum pater angusto duo testamenta facello
Percurrens sanata modis Thobiana legebat
Lumina mirificis, & versabatur Olympo,
Missus in excessum mentis. stomachatus aniles
Mulciber has curas, sic ipse ferebat & ira
Peritus ardenti concussum verbere duro
Sternit humi, crudoq́; fremens sermone minatur,
Se fore perpetuo exitio, nullasq́ daturum
Ad requiem pausas, pugnamq́ indicit atrocem.
Ille autem, sese Lemures nil pendere Christo
Auspice respondit, nec formidare Satanum
Insidias: illos potius debere Tonantem
Formidare, manum cuius tremit omnis Auernus.
Transierat iam nona dies, & vespera cælo
Cœperat ardentes stellas aperire sereno.
Ad solitum se vertit opus, meditatur honores
Atque potestatum Superum, qui sidera certis
Æternum ordinibus faciunt insurgere ab ortu,

Tendere ad occasum, versóq; occumbere mundo:
Vnde oritur nox atque dies: qui ingentia norunt
Corpora nunc vltra Æthiopes deflectere ad Austrū,
Nunc Boream versus Rhipæum attollere ad axem:
Vnde resultat hyems, æstas, autumnus, & ipsum
Ver Geniale, nouis quod det primordia rebus,
Atque breues longiq; dies, & tempora frugum.
Hæc meditans secum voces prorupit in istas.
O infelices Laruas, quas muneris huius
Reddidit expertes veteris petulantia fastus!
Nec dum finierat. summo de culmine lapsi
Ecce Lares adsunt, & misso in lumina saxo
Lampada confringunt: simulant animalia voce
Bruta: putes vlulare lupos, gannire sagaces
Vulpeculas, grunnire sues, certare canendo
Testiuagos feles, ducta de naribus aura
Ringere mordaces catulos. per culmina motis
Imbricibus cursant, saliunt: ruitura videntur
Tecta, Lares agitat vesania tanta proteruos.
Constet vt ex minimis Laruarum insania rebus
Maxima, ridiculum facinus subiungere fas est.
Vt sarciret acu tunicas, in frustra secauit
Plurima, deposito veniens ad humillima fastu
Munia, Vulcanus proles Iunonia tentans
Irritare senem, flauamq; accendere bilem,
Surripuit partem, bibulaq; abscondit arena.
Sollicitus dum frustra senex ablata requirit,
Secum ait, ille mihi studet hoc imponere furto:

Ille

Ille inquam, cuius spurcum pudet edere nomen.
Audijt hæc tenui latitans Vulcanus in aura,
Atque ait indignans, fateor, furti istius auctor
Ipse ego: priscorum tibi me collegia Diuum
Præfecere: dies in sollicitudine, noctes
In mœrore trahes, & ero tibi malleus atrox.
Tu tibi malleus es, senior respondit, & istis
Ictibus æterni semper cruciabere luctus:
Ast ego Cælitibus fidens, molimina vincam
Hæc tua, & euadam Lemurum scelus omne tuorum.
Sic Pater. impatiens iræ Vulcanus in auram
Transit, & indignans montes discedit in altos,
Fama vbi sub specubus piceis habitare Sibyllam.
His moti ostentis patres dubitare coacti
Quæ potior natura foret, Lariúmne, hominúmne.
Nam si tanta malos vexat dementia Manes,
Quanta nec humanas mentes, quid credimus ergo
Naturæ melioris eos? sine corpore forsan
Esse Lares dices: nos autem noxia membra
Ferre: sed & nostræ viuunt sine corpore mentes,
Nec tamen æquales Laribus concedimus illas.
Si dicas præstare oculis, & sensibus illos,
Ac motu membrorum agili, rapidóque volatu:
Sic quoque præcellunt volucres, Hyrcanaq́ tigris:
Sic aquilæ, vulturq́ rapax, & odora canum vis:
Nec tamen has pecudes nobis præstare fatendum est.
Quòd si morte carent, etiam cum corpore iunctæ
Morte carent animæ: quòd si, quia plurima norunt,

Vis illos præferre homini sapientia & astu:
Id conferre potest longæ experientia vitæ,
Qua Lemures pollent, vt qui sine funere viuunt.
Ingenijs etiam nostris, hæc caussa parentes
Antiquos sapere, & vires cognoscere frugum
Fecit, & ex victu potuisse arcere salubri
Canitiem, longumque dies producere in æuum.
Nos autem præstamus eo, quòd sancta veremur
Numina, quæ Lemures, tāta est insania, taxant.
Quod cæli speramus opes, & Olympica tecta,
Quæ nequeant sperare Lares: quod vertimur ipsi
In melius, postquam nos inconcessa libido
Legitimo de calle gradum deflectere fecit:
Illi autem sine fine iacent in sorde sepulti
Perpetua, nec pacto vllo resipiscere possunt.
Quærebant tali patres indagine verum,
Cùm subitò primas litem hoc sermone diremit:
Omnia, per varias species quæ sparsa vagantur,
In Laribus coniuncta manent, & plurima reddunt
Excellens vnita genus. quod numina taxent,
Quod iaceant in sorde, facit non indiga sensus
Vt pecudum natura rudis, sed acerba voluntas,
Ac vetus improbitas, & inextricabilis ille,
Qui meruit ante noctem caliginis, error.
Finis hic: hæc motam clausit sententia litem.
Est aliud dignum scitu, mirabile visu,
Quod transire nefas, quoties regionibus illis
Ingruit vlla lues deuastatura colonos,

Vt

Vt bellum, vel dura fames, vel pestifer annus
Qui modo conuulsi sunt à thorace lacerti
Ante monent, cladisq́ ferunt ostenta futuræ:
Nam toties sudare solent, imbremq́ cruentum
Fundere: sic sanctus quæcumque pericula fas est
Declinare pater, patrijs depellit ab oris
Continuò: verùm quod ineuitabile telum est
Nuntiat, vt sæuam minuat prudentia sortem.

LIBER III.



N sublime apicem nox intempesta leuabat,
Æquali occasum fugiens discrimine & ortum.
Ecce senex properanter adest ad lumina templi
Erectis in cælum animis, & in atria Diuum:
Nec longe Vulcanus abest: sed idonea nactus
Tempora dat signum famulis, & sibilat acri
Voce sonans, pugnamq́ ciens, illi agmine facto
Assiliunt alis pernicibus, atque seniles
Allidunt telluri artus: ille impiger, ætas
Quantum longa sinit, sordentia puluere multo
Membra leuat, rursum Lemures maiore tumultu
Corripiunt hominem inualidum, pulsantque, trahuntq;
More canum, quoties damam rapuere fugacem.
Ille animi compos submisso verbera tergo

Sustinet

Sustinet, ac tacitus recolit crudelia Christi
Vulnera, & Antoni plagas, indignaque Pauli
Flagra, catenati crepitantia vincula Petri,
Et tormenta animæ, quæ sustinuere potentes.
Assurgit rursum in plantas, atque increpat alta
Voce Lares, audita demum vox illa per omnem,
Auditi strepitus, dum fit concursus ab altis
Ædibus in templum. plebes Vulcania rursum
Sublatum à tellure senem durissima iactat
Inter saxa minax, & cornibus ingruit vncis,
Naribus exspirant ignes, atque ore fauillas:
Sicut in Ætnæis solet exspirare caminis
Igneo ad incudem sudans ardore Pyracmon.
Iam comites adsunt, inopemq́ in tecta reportant,
Atque manus adhibent medicas, liuentia oliuo
Terga linunt, verbisq́ patrem solantur amicis.
Ille vbi conualuit paulum, licet inualidum crus
Claudicet, arrepto redit in delubra bacillo,
Iam senio, & iugi Lemurum certamine fractus.
Venerat extremos vitæ mortalis ad annos,
Multaq́ quotidie mortis præsagia, multa
Ac miranda Deus famæ laudisq́ futuræ
Signa dabat, quæ corde pater defixerat alto.
Sæpius in somnis astrum, flammamq́ comantem
A patriæ tellure suæ transire videbat
Vsque Tolentinum. sacramq́ accedere ad aram:
Ipse vbi consuerat summo libare Tonanti,
Assiduæ & manibus Superos orare supinis.

Lumen idem vigilanti etiam, seséque ferenti
Ad templum toto radians apparuit anno:
Præcedebat enim sancti vestigia patris,
Ac sedens altare super, quasi maxima lampas,
Mobilibus flammis plures ardebat in horas.
Sæpe quoque in somnis obuersabatur imago
Turbarum vndatim venientium, & dona ferentum
Ad delubra, suo quæ sunt modo clara sepulcro:
Votaque cernebat toto suspensa sacello,
Omnia quæ solitus fido recitare sodali,
Esse verebatur Lemurum figmenta, volentum
Talibus illecebris captam deludere mentem.
Sidus ob id, quod sæpe patrem vidisse relatum est:
Pontifici visum Eugenio, qui rettulit illum
Diuorum in numerum, flamma signanda comanti
Pectora. mirifici casus memorabile signum,
Per totum semestre polo cùm Lucifer exit,
Primaq; per tacitas extendit lumina terras,
Ante obitum, summo cantus audire solebat
Æthere, & erectis vigil ad melos auribus illud
Stabat, ad Eoi Solis iubar vsque reuersum,
Tantaq; cum dulci stillabant gaudia cantu,
Vt graue membrorum, quæ dilabuntur in horas,
Fastidiret onus, cuperetq; euadere vitæ
Tædia mortalis, finemque imponere longo
Exsilio, tandemq; epulis accumbere Diuum,
Accitoque domus lucem paulò ante supremam
Præside, per Superos, per summi Numina patris

Sacrosancta

Sacrosancta rogans, illo suo membra locari
Obtinuit post fata loco, quem ostenderat astrum:
Sic fore iudicium Superum, sic ferre Tonantem
Dixit, & ex illo numquam remouenda sacello
Fatidico monuit morti iam proximus ore.
Praeterea (quia multarum me copia rerum
Vincit) vt inuenit latices, & idonea fonti
Seu puteo loca, quae nulla ars inuenerat ante:
Vtque salutares fecit, quas repperit, vndas:
Nam medicamen habent, & adhuc potantur ab aegris.
Vt prece sustinuit templum, terramque ruentem,
Cum putei scrobs alta grauem fecisset hiatum,
Et mouisset humum, quae fundamenta ferebat:
Vt prece restituit lychnum, quem Mulciber alis
Fregerat assumtis, aquilae sub imagine totas
Peruolitans aedes, sanctique habitacula patris.
Vt tenuem victum miserans coalescere fecit
Pauperis annonam viduae, frumentaque saxo
Multa graui, verbis vt tot curauerit aegros
Quot numerare labor. nobis dicenda supersunt
Funera, & innocuae venerabilis exitus Vmbrae.
Venerat extremam vitae securus ad horam
Exiguo languore iacens: fuit ipsa senectus
Morbus, & exhaustis aetas iam frigida membris:
Praecipit adsciri comites, quis nomina fratrum
Fecit amor, dulcique ligans concordia nexu,
Et sic fatus. aue fratrum dilecta meorum
Concio, praesertim tu mi sanctissime praeses,

Viximus vt nostris totos concorditer annos,
Et breue concessi tempus decurrimus æui
Vnanimes: huius Christo qui muneris auctor
Soluimus immensas æterna in sæcula grates.
Aduenit mihi summa dies, consortia cogor
Linquere vestra, sumpictas diuina reposcit
Depositum, nobis opus est astare Tonantis
Ante thronum, vocemq́ eius perferre tremendam,
Quæ cælo, & terris auditur & æquore, & Orco:
Vestrarum mihi ferte precum suffragia fratres,
Et memores estote mei: si forsitan vmquam,
Vt fieri in vita solet, imprudentia læsit
Vos mea, fraterno veniam impertite dolori,
Et date quæ Stygios mihi sint munimina contra
Laruarum incursus solito mysteria ritu
Sacrosancta, nihil trepidans audebit acerbos
Mens istis protecta armis transire per hostes,
Qui nostrum remorantur iter: qui retia tendunt
Semper, & obiectant quæcumq́ repagula possunt.
Sic senior: flentes illi mandata capessunt
Ocyus, & sacra veniunt in veste ministri
Lumine præmisso bini, pæana canentes.
Vt chorus expleto stetit ante cubilia cantu,
Et nouit venisse Deum: surrexit aperto
Vertice, & incumbens genibus sic ora resoluit.
O sacrum quod scire nefas, quod cogimur omnes
Credere: sola fides etenim mortalia corda
Degustare facit, quæ sit tua maxima virtus.

O miro diuina modo persona figuris
Inuelata nouis, & in hac abscondita forma
Visibili, Deitas homini coniuncta sub isto
Orbe breui: quam nec cælum, quod sustinet astra,
Circuit, ô magno maior substantia mundo,
O rerum diuinæ opifex, quem terra, fretumq;,
Quem Titan, quem Luna suum, quem stellifer axis
Prædicat auctorem: qui cùm domineris Olympo
Factus es in terris, dictu mirabile, pauper.
Te nostri te fecit amor tentare labores,
Tædia, & ærumnas hominum, tormenta, necemque,
Infamem crudamque necem. tu sanguinolento
Funere dignatus nostræ succurrere sorti,
Hic te tantus amor talem, si dicere fas est,
Quid deceat regem non est aduertere passus.
Tu Deus es, te sceptra decent, & insignia tanti
Imperij. sed tu ratus es regalius esse
Subiectos curare, tuis succurrere: regni
Signa, quibus nostri reges vtuntur, & arma
Negligis, & pietas visa est insigne superbum.
Tum quoque cùm domita velles ad sidera morte
Tendere, ne tua gens penitus te orbata maneret
(Sic miranda fuit pietas tua) tradita virtus
Est homini, quæ te in terras deducat Olympo.
Sic dignaris adhuc hominum succedere tectis,
Ac teipsum nostris epulandum apponere mensis.
Ergo ades ô sancte quondam sanctissimæ Marthæ
Hospes, & his membris animisque illabere nostris.

Sic ait, & misso sacrum sermone recepit.
Cuncta ministerijs vbi sunt solemnibus acta,
Ferte, ait, huc Christi, precor, huc victricia ferte
Signa, quibus Stygios Manes, & Tartara vicit.
Crux erat eximij cultus, argentea veræ
Theca crucis, partes cuius concluserat olim
Ipse laborato magna ambitione metallo.
Vidit vt allatam, calcem complexus in vlnas
Traxit, & admoto lacrymans ita retulit ore.
O lignum, antiqui quod prædixere parentes:
Vnde orta est humana salus, cui tangere Christum
Cui perferre Deum licuit, quod sanguine sacro
Cui Deitas vnita fuit, regnator Olympi
Lauit, & æterno patiens affecit honore.
Tu comes eius eras, quando reserauit Auernum,
Et nostros eduxit auos: cùm peruia tandem
Fecit clausa prius nobis mortalibus astra.
Te trepidant Erebi Manes: te totus adorat
Orbis. ad imperium duce te sanctissima venit
Progenies Helenæ: Romam tua fecit imago
Ad Christum transire iugum, quæ sub Ioue quondam
Vixerat, & Laribus longo seruiuerat æuo,
Supplicium miserorum olim, modò nobile signum
Imperij, regum & populorum insigne superbum.
O felix & fausta dies, qua protulit illud
Germen humus: tu nata simul cum matre Tonantis,
Tu succedis ei, tu sanguinis illius heres.
Sic fatus lacrymis intonsa rigantibus ora.

At cùm forte foret fato incumbente relictus
In thalamo solus: vox est audita per omnem
Læta domum: qualem reddit qui iubilat ore,
Nec loquitur. tum magna Parens cum prole, paterque
Augustinus ei sese ostendere, vocantes
Ad Superos cælestem animam terrena perosam.
Sic paulo mox ipse pater confessus amœnis
Subridens oculis, & mente arcana volutans
Quæ audierat, quo toto animus se ardore ferebat:
Lætitiæ impatiens igitur properanter adesse,
Qui sacros canerent hymnos, mandauit, & inter
Psallentum diuina choros, modulamina læto
Mens abijt vultu, Diuisque adiuncta recessit.
Nil opus est nobis eius portenta referre
Morborum circa omne genus, circum aera, circum
Fortunas, & fata hominum contraria, circum
Æquora. nam Diuum nemo est, qui pluribus vmquam
Claruerit signis a tempestate recentum
Christigenum, fidei qui fundamenta fuerunt
Tempus ad hoc: nec habent eius miracula finem.
Assiduè fluit hæc virtus vberrima, tamquam
Fontis inexhausti veniens de gurgite flumen.
Sunt qui tercentum referant ostenta relatu
Digna legi: sed nulla potest vigilantia in vnos
Contrahere annales, totum quæ facta per orbem
Hactenus. incertum est, & inexplorabile, quamquam
Insudare velis, totoque assurgere nixu.
Quodque magis miror: namque hæc res ardua plusquam

Conari natura queat, mortalia plus quam
Corda hominum sperare ausint, nisi cognita virtus
Spem faceret: rerum annales post fata reuersas
Tot memorant animas rursum in sua corpora facto
Iam tumulo, cùm iam inciperet procedere pompa
Funeris, vt dici poßit præfectus Auerno,
Et posse ad nutum Manes reuocare sepultos,
Atque tribus leges quas vult imponere Parcis.
Hinc dubitant qui scire volunt mysteria Diuum,
An Deus infundat rebus vim cælitus, vnde
Conari hæc ostenta queant: an protinus ipse
Vi sibi seruata, faciat quæcumque videntur
Humanis miranda oculis, vt surgere Manes,
Extemplo sanari ægros, considere fluctus,
Atque procellarum ventos, lapidosaque solui
Nubila, ab obseßis lemures depellere membris.
Sed labor affluxit diuina arcana volentum
Rimari, & studium in ventos euanuit audax:
Nam quæ scire vetat Deus, explorare nefandum est.
At quia reliquiæ: nam quod post fata relictum est,
Relliquias nostri nomenclauere: nec omnes,
Nec semper curare solent: extrinseca virtus
Forsitan est, labi à solo consueta Tonante.
His ita decursis pro relligione, supersunt
Arma, quibus cælum soboles matricia tangit:
Quippe, velut celebrant, Romam, populosq; Latinos
Scipiadum, & gentis Fabiæ Mauortia facta:
Sic huius splendor generis Picentia regna

Irradians leuat è tenebris & in æthera tollit.
Orta Tolentini domus hæc præclara tetendit
Latius illustrem longinqua per oppida famam,
Atque per ora virum volitans penetrauit Iberos,
Iuit ad Euphratem, Boream peragrauit & Austrum.
Longa patrum series, vsque in prisca illa recedens
Sæcla vetustatis, cuius vestigia nusquam
Iam superant, prima abscondit primordia gentis.
Viuebat stirps illa prius, quàm gloria tantum
Spargeret ista recens lumen, ceu tempore brumæ,
Cùm desæuit hiems, sine fronde & floribus arbor
Viuit, & exspectat tepidi bona tempora veris.
Non clarebat adhuc: erat in radicibus omnis,
Quæ tulit egregias, postquam labentia cælo
Sæcula venerunt, fruges, abscondita virtus.
Primus in hac heroum acie Nicolaus in auram
Venit, agens secum Martem, metuendaq́, Martis
Instrumenta, tubas, & tympana, quadrupedumq́,
Arma, quibus frontem, lumbos & pectora cingunt.
Scuta etiam, longasque sudes, tentoria, currus,
Et tormenta grauem muris latura ruinam.
Nec solùm sortitus erat consortia Martis,
Qui solet ardenter nimis in certamina ferri:
Sed Pallas consueta gradu procedere lento,
Ac frænare animos, & iungere viribus artem,
Semper erat coniuncta viro, cùm bella gerebat.
Imperio primum Romanæ præditus aulæ,
Magna sub Eugenio gessisse negotia fertur.

Nam magno tunc ære merens genus omne Latinum
Implicuit grauibus bellis, quasi Romulus alter
Otia detestans, rigidisque exercuit armis.
Roma sub hoc sibi visa genus spectare Catonum,
Torquatum, & Decios, & vi sublata Camillum
Signa reportantem, Curiosque, & Larte superbum
Ac spolijs Cossum, Fabios, & magna Quiritum
Nomina, qui in pugnam patrijs pro legibus ibant.
Illi adeò fuit ante oculos reuerentia legum,
Et commune bonum, geminique peritia Martis
Scilicet illius, paci qui antiquitus intra
Mœnia, & illius bello qui præfuit extra.
Sed neque tota viri potuit clarescere virtus,
Italiam bellis tunc inuoluentibus omnem:
Quippe vbi Mars regnat, neq; fas, neque iura loquuntur
Tum Veneti contra Insubres, Insubria contra
Tuscorum populos asperrima bella gerebant,
Aruaque belligero flagrabant omnia motu.
Tum Genuæ furor Alfonsum noua regna petentem
Contudit: ingentem meminit Caieta tumultum,
Vertice quæ ex alto vidit concurrere classem:
Hinc Hispanum, illinc Ligurem, salientibus vndis
Cùm fremeret magnis totum clangoribus æquor.
Eugenium verò neque respirare sinebat
Tot casus Fortuna ferens. Germanica regna
Concilium gentes ad Basiliense vocabant.
Pontificemque ipsum, quem seditiosa Columnæ
Factio correptis Roma exturbauerat armis.

Græcis

Graia Romanas longo quæ tempore leges
Oderat, ad nostros cupiens accedere ritus
Tota aderat cum rege suo, qui litora circum
Ægæum, Ioniumq́; fretum diffusa tenebat.
Post Graios venere Syri, gens proxima Ponto
Sidonio, magis expositi Borealibus astris.
Venere Armenij, tellus Aquilonia contra
Sidere sub Cancro residens Garamantas, & vstos
Æthiopas, quos astra premunt antartica, misit.
Has mirata fidem gentes occurrere in vnam
Tot populos vidit, tantas Florentia lites
Audit, & magnis regnorum interfuit actis.
Hunc Veneti, quibus est sollers in rebus agendis
Ingenium, graue iudicium, prudentia, casus
Quæ scopulo velut ex alto circumspicit omnes,
Militiæ fecere Ducem, summumq́ue magistrum.
Continuò velut in celebrem productus arenam
Corda ferens generosa leo, qui fronte superba
Regaliq́; supercilio considerat hostem,
Colligit ingenij vires, sese excitat ipsum,
Atque tot excelsis quot habet sacer ille senatus
Ardet responderi animus: res ardua & ingens,
Cui possunt pauci esse pares: nam parta tueri,
Et fines proferre, labor durissimus inter
Tot Reges, qui rem Venatam circum vndiq́; claudunt,
Imminet à Borea Cæsar Germanica secum
Arma vehens, & Pannonij gens aspera bello.
Gallus ab occasu, cui sunt latissima regna.

Parthenopes autem reges dominantur ab Austro,
Quîs tellus Hispana subest, Sardoaque, & Ætna
Insula, & Italiæ quidquid Diomedis ab oris
Tenditur ad ripas rapidi procul vsque Truenti.
Quodq; magis terrere potest, confinia tangunt
Hinc Otomanorum regum, qui litora Græca,
Atque Asiana tenent: illinc Arabumq; Syrumq;.
Creta subest Turcorum oculis, maris vltima nostri
Insula: Sidoniis Cyprus contermina regnis.
Quæ Sultanus habet rex immansuetus, & atrox,
Et populi nos illi omnes odere, Deumque.
Cerne quibus curis opus est, quo pectore, quantis
Viribus: Alcides isto sub pondere, quamquam
Hesperidum nemus, Antæum, regemque triformem
Contuderit, quamquam vastarit Pergama, clauam
Linqueret, & posito fessum se diceret arcu.
Cuncta tamen præsenti animo Nicolaus ad vnguem
Maturauit, vti fors & natura poposcit
Temporis ac rerum, nunc præsentabat Achilem,
Nunc Fabium, Pyliumque senem: sed iugiter Argus.
Transiit ad Tuscos pro re mutare coactus
Consilium: nec enim possunt insistere semper
Nostræ eadem, sic mos homini, vestigia plantæ.
Tum velut in saltum Nemeæ, siluamque Molorchi
Illa lues famosa leo, Lernamque paludem
Hydra ferens longis septem ceruicibus ora
Rura Arno prætenta ferox intrauerat anguis:
Qui vorat infantem nudum, timidasque per vrbes

Iba,

Ibat, & incessu sinuabat terga superbo.
Anguis erat dux Insubrum, Ligurumque Philippus,
Grandia mente agitans, & non contentus auito
Imperio, Tuscos longa obsidione premebat,
Et similis valido, qui fortia robora quærit,
Cum quibus obluctans exploret cornua, tauro,
Vestigabat opus, neruos vbi tendere posset.
Tunc habuit Medicem trepidans Florentia Cosmam,
Ære, clientelis, astu, ac sermone potentem,
Auspicio cuius populi vtebantur Etrusci.
Hoc duce Romanis igitur Nicolaus ab armis
Soluitur, extemplò Tyrrhenaque transit ad arma,
Atque init imperij consensu insignia magno.
Exsultant Lydorum animi, qui maxima quondam
Regna ministrabant vsque ad Benacida gentem,
Vsque ad Parthenopes agros, Campanaq; rura
Trans Tyberim, per Picentum montana, per Vmbros,
Ante Fluentinam miles quàm conderet vrbem
Sylla tuus, cui post factum Florentia nomen.
Continuò turmas equitum peditumque maniplos
Discutiens, posuit Tyrrhenas ordine gentes:
Nec secus aduersos paucis congressibus hostes
Terruit, ac timidas anates, fulicasque palustres
Exterrere solet quoties Iouis armiger vncis
Vnguibus, & rostro stagnum circumuolat vnco.
Vici, artes, castella, vrbes iam mœnia pandunt:
Iam portis exire audent, errare per agros,
Et qui præda prius fuerant, prædantur, euntque

Vltro laceßitum clausos in mœnibus hostes,
Et raptis paßim exuuijs sua damna rependunt.
Oppida communi dudum squalentia luctu
Exsultant, hostemq́ procul lætantur abactum.
Sed Fortuna viro toties blandita, repente
Induit inuidiam: quia consummata videbat
Omnia, quæ æternam poterant producere laudem,
Et quia se virtus tanto iactabat honore.
Ergo infensa duci, vultuq́ irata maligno
Venit ad Insubres, & sic affata Philippum est.
Res tua apud Tuscos, quæ iam vicina triumpho
Pridem erat, aduentu Nicolai impulsa relabi
Cœpit, & in nihilum tendit: ceu lampadis ardor
Mobilis emuncto sensim tabescit oliuo.
Heic opus est Nicolao alio. si venerit, omnem
Ipsa operam tibi polliceor, fraudabitur hostis
Spe sua, & in casses virtus cadet irrita nostros.
Heic opus est Nicolao alio. nec plura locuta est.
At quid opus multis? quæ sors heroas ab annis
Sustulit antiquis, hunc sustulit. adspice qualem
Turnus, & Æneas, prolesque Euandria Pallas,
Romulus, & frater, Marius, patrioque superbus
Imperio Cæsar, qualem Pompeius, & audax
Hannibal interitum, qualem Telamonius Aiax,
Pelidesque tulit, qualem fortißimus heros
Amphitrioniades, odio Iunonis & astu.
Sic perhibet genus omne hominum. sic omnia clamant,
Secula, Fortunæ grauis est odiosaque virtus.

Insidijs

Insidijs igitur captus post mille triumphos
Clausit in obscuro squalentem carcere vitam.
Hic dum vita comes (tam religiosa, piensque
Cura viro) Nicolae tibi delubra locauit
Magnifico sumptu: bis sex vbi sacra frequentant
Insignes pietate viri, noctesque diesque
Cælituum Patri laudem modulantur ad aras.
Cùm verò Eugenium portenta audita mouerent,
Vt patrem hunc Diuum in sortem numerumq; referret,
Ipse vt festa suo fierent celeberrima ritu,
Quinquaginta auri libras & quatuor huius
Contulit in sumptus operis, regalia dona.
Hec animæ in cælum dos est satis ampla reuersæ.
Stipes heic extenta faciens vmbracula fronde,
Quanta solet quercus longis altißima ramis
Aruit, & moriens tanta cum laude reliquit
Progeniem trinam: quarum quæ maxima natu
Christophorus Venetis patri succeßit in armis.
Hic qualis, quantusq; foret si cernere tentas,
Ipsum cerne patrem: non degenerauit ab illo.
Ille idem vel maior erat: monumenta supersunt
Plurima: nec titulis opus hunc ornare paternis.
Nec micat vt stellæ splendore à Sole recepto:
Sed veluti Sol luce sua, qui clarus & ardens
Surgit, & adscenso noctem depellit Olympo,
Testari Verona potest, nec Brixia tanti
Est oblata Ducis laudes, & fortia facta.
Cinxerat has vrbes dura obsidione Philippus,

Malleus

Malleus Italiæ ſemper ſæuire paratus,
Atque inferre grauem magnis ceruicibus ictum.
Omnia quæ Mauors ſolet intentare, labores,
Terrificos caſus, rerum diſpendia, frugum
Detrimenta, famem, morbos, incendia, mortes
Perpeßi ciues, cum vita & corpore functis
Ducebant præclare actum, & ſupereſſe dolebant.
Lux ſubitò talem tenebram patientibus orta eſt.
Continuò poſitis hoc in diſcrimine rebus
Caſtra mouet ductor, totisq; effulgurat agris
Ingens armatorum acies, auditaq; paßim
Claßica, & horrifico montes ſonuere boatu.
Inſubres metus acer agit, per rura feruntur
Præcipites, tamquam nubes Aquilonibus actæ.
Cingite graminea victori tempora fronde,
Qui colitis ripas Atheſis, qui flumina Mellæ.
Stet claro, illuſtriq; loco ſublime tropæum
Cum ſpolijs: iſto virtus heroica cultu eſt.
Digna: triumphales labor hic ſibi poſtulat arcus,
Inſignes etiam ludos, quos veſtra quotannis
Poſteritas celebret manſuro in ſæcula ritu.
Sicut ad Alphei ripas celebrare ſolebat
Gens magno Piſea Ioui, Nemeæa Lycurgi
Archemoro, Portune tibi tota Hellas in Iſthmo,
Pro meritis Veneti tantis inſignia patres
Oppida Taurifii, campis contermina Sili
Donauere duci. mox tot ſplendoribus auctum
Clauſit honorato mors immatura ſepulcro.

Alteri

Altera Iohannes tanto dignißima patre
Progenies, sub Francisco qui Sfortiadarum
Maximus euasit, teneris incepit ab annis
Discere militiam, duroq; assuescere Marti.
Ipse inter primos Aquilæ sub mœnibus altis
Ductor erat, quando Brachium Franciscus ad vrbem
Subdidit, & quando victus Picentibus iuit
Ad Venetos ære ingenti conductus, & illis,
Vix puber licet esset adhuc, tamen vtilis armis,
Iam tunc in rebus clauum & magneta regebat,
E cùm pro Insubrum populis post fata Philippi
Sfortiades Venetum fregit: regna illa volentem
Vsurpare dolo, patriasq; redegit ad vndas:
Cùm dedit in prædam castris aduersa sequentes
Arma Placentinos, vrbemq; recepit & agrum.
Denique cùm factus princeps in regna Philippi
Venit, & est summa rerum ditione potitus:
Sfortiades iuuenem per tot discrimina vectum,
Consilio, sermone, fide, belloq; potentem,
Insignire aliquo præstanti munere adortus,
Connubio natæ, & generi decorauit honore.
Sic Picena domus tot magnificata triumphis
Venit ad Insubres, & Sfortia signa secuta est.
Postquam contraxit tanto cum principe vinclum
Tale, senatorum præses lætantibus vrbis
Claßibus, & sacro patrum applaudente senatu
Protinus euasit: tandem, vt maturuit ætas
Vltima, cœlesti moriens succeßit Olympo.

Nicolei proles Baldus, si respicis annos,
Tertia, si grandes animos, & fortia facta,
Prima, sub armigero, stellis nisi credere vanum est,
Marte satus fuerat. sic testabatur imago,
Sic studium, sic arma dies trepitantia totos.
Prædia nec tanti, nec dulcia pignora tanti,
Quanti acrem pendebat equum, quem Punica tellus,
Quem Tagus Hesperius mittit, quem Thracius Hebrus,
Quem Calabri saltus, rigido manus aspera ferro
Semper, & assidua tinctum ferrugine pectus.
Quidquid eques niti, quidquid pedes ense, vel hasta,
Aut arcu, iaculisq; potest, audebat, & ipsos
Tyndaridas leuibus poterat præuertere plantis.
Pythia vicisset, si tempestate tulissent
Fata virum prisca: vicisset Olympia, quamquam
Illuc ex toto pubes concurreret orbe:
Isthmiaq;, & ludos Nemeæ. decorandus oliua,
Malo, pinu, apio, ferijs potanda Latinis
Qui biberet dignus Romano absinthia ritu,
Quiq; suam fractis intraret mœnibus vrbem.
Illa ætas tot clara viris, tot splendida rebus
Eximijs, & tot bellorum exercita motu,
Non habuit Mauorte parem. pleriq; feruntur
Ausi hominem tentare armis, quos protinus egit
Præcipites, velut imbellem sine sanguine turbam.
Si dandæ Samijs aures ambagibus essent,
Sicinius Denta ut erat vel fortis, & audax
Progenies tua Sordellus Cadmeia Manto:

Nanque

Namque per Europæ populos Sordellus & vrbes
Iit bella gerens, totoq; rediuit ab orbe
Victor vt Alcides: decus hoc tibi Mantua tantum.
Nec minus à Baldo vencins Antonius, armis
Quim pater impendit studium: meminere Calabri,
Ipsi Dicarchei meminerunt litora Ponti:
Nam ducis Alfonsi. qui rex post fata parentis
Parthenopen tenuit, miles fuit, omnia secum
Quæ faciunt heroa ferens, sublimia corda,
Ingenium præstans, solidum, patiensq; laborum
Corpus, vt Æacides Pyrrhus, quem sustulit Argos:
Vt Tydeus, & qui vidit Stygia æquora Theseus.
Est locus Italiæ prærupta Ceraunia contra,
Sub quibus est Aulon duplici contermina Ponto,
Dicimus Hydruntem: via qua breuis, æquore ripas
Angustante suas, est ad Dodonei regna.
Ingruit heic clades nostris horrenda diebus:
Quæ nisi concursu facto resecata fuisset
Ante recens gangræna pedem quam figeret altum,
De nostris actum regnis erat. arma repente
Miserat huc magno Turcus molimine & vrbem
Ceperat, ac totos compleraт milite campos.
Perculit Italiam subitus pauor: ingemuerunt
Montani Allobroges, in quos velut aggere fracto
Ista lues Italis erat incursura subactis.
Venit in auxilium fidei cum nauibus altis
A Ligurum populis Fulgosus origine Paulus,
Venit & Alfonsus secum, velut alter Iason,

Delectos heroas agens in prælia: quorum
Vnus erat nitidis radians Antonius armis.
Heic terris, pelagoq; ingens vtrimq; tumultus
Factus, & arserunt funesti incendia belli.
Impleuere cauas congesta cadauera valles,
Et fumante solo cruor in vicina cucurrit
Æquora, & humano rubuerunt sanguine fluctus,
Vsque ad Corcyræ cautes, Lilybæaq; saxa.
Vrbs profligato tandem sibi reddita Turco,
Venit Aragonij rursum ad consortia regni.
Gentis habens decus ante oculos matricius heros,
Visus his in bellis contra Machometida turbam
Accepisse nouas vires, & Tydea, Pyrrhum,
Aiacem valuisse vnus: nec enim fuit vsquam
Turbine qui tali premeret, qui fulmine tanto
Sterneret audaces Saracenica semina Turcos.
Talibus Alfonsum meritis Antonius emit:
Emit & æternum quod non delebitur vmquam
Nomen apud celebres rigidi Mauortis alumnos.
Vt bello, sic pace bonus: non aspera tantùm
Arma gubernauit: sed dum regnauit Arago,
Dum sceptro illius gentis Fortuna pepercit:
Præfuit & populis doctus componere mores,
Et tetricas animo leges condire paterno
More Numæ, plebisque graues sedare tumultus.
Dum gradior meditans per nomina clara virorum,
Huius gentis adest decus immortale suorum
Ian Franciscus, agens magno duo nomina in vnum

Omine. nam fortes postquam peruenit ad annos,
Dicitur heroum vires habuisse duorum.
Hic Baldi sobrinus erat: hunc vidimus ipsi,
Cùm foret Italiæ summis de rebus habendum
Concilium, Roma missum, Sixtiq; ferentem
Ad magnos mandata Duces, qui bella gerebant
Aduersum Venetos, vrbem aduentare Cremonam.
Concilij locus iste fuit: Ferraria verò
Caussa mali fuerat: populos inuoluerat armis
Dum cupit aligeri fauces euadere Marci.
Munus id vt magna cum maiestate peractum,
Romulei Martis grandes suscepit habenas.
Tale magisterium, titulos Ecclesia tantos
Tunc homini Romana dedit, quem scire videbat
Pacis & armorum formam, moderamen & artem.
Officio tandem functum, cùm Teutonus arma,
Lue graui super agrorum confinibus orta,
In noua compulsus rueret de montibus altis,
Conduxere virum Veneti: sed fata dederunt
Talibus euentum bellis tristem atque cruentum.
Nam cùm forte pari gentis duo sidera nostræ
Occubuere simul, duri duo fulmina Martis:
Scilicet hic, & tu nostris Roberte Camenis
Deplorate satis. fati cùm nuntia Romam
Venit fama tui: nam tunc ego templa tenebam
Trans Tiberim: fleui misero tua funera cantu.
O funesta dies, quæ vos atrociter ambos
Sustulit: infaustis lux annumeranda diebus,

 Quos

Quos veteres fasti i eprobant, quos aspera fecit
Infames fortuna: velut quæ perdidit vno
Tot Fabios bello, vel quæ Thrasimenia vidit
Prælia, Cannarum exitium, Trebiæque ruinam,
Alliaci lacrymas, infandaque funera luctus.
Vestra Italis virtus erat arx: erat ardua moles
Externas contra gentes, quas nostra quotannis
Contra regna odijs furor immortalibus armat.
Vos fleuere hostes etiam: Germania vellet
Non licuisse sibi tantum: neque gloria, vestræ
Quæ venit ex fato, grata est victoribus ipsis.
Sed Martis facit ista furor. crudelis Enyo
Quid faciat nescit, donec fecisse dolendum est.
Fecistis saltem genus immortale: redundat
Hoc decus in vestros hæc gloria tanta nepotes.
Plura, nec ignoro, memorare propaginis huius
Facta, viros plures, qui præteriere, manentque
Fas mihi: sed virtus tantum pertæsa laborem
Deficit. hoc specimen fatis ostendisse. caracter
Omnibus vnus inest. alij discantur ab istis.
Quippe aliæ gentes aliquos habuere: sed omnes
Hæc tulit illustres, nec auita degener artis
Vllus adhuc generis venit de sanguine tanti.
Neu credas armis tantum valuisse, Gigantum
More, quibus solæ fecerunt nomina vires:
Iustitia, pietate, fide, quæ Numina nobis
Conciliant, quæ nos retinent in pace, valebant.
Tu verò cui nobilitas antiqua Iohannes,
Cui nati, cui res opulens, cui fama, decusque

Multinodum, quamuis ea, quae tua prima iuuentus
Eximia cum laude tulit, dimiseris arma,
Non minus es felix: nec enim secordia rupit
Hanc operam. fortuna fuit, quae regna gubernat,
Quam damnare nefas, magni fortuna Tonantis
Est ancilla: Dei nutum cognoscit & implet.
Sed tamen hoc damnum lucro meliore rependit,
Et facit ut claris aliquod maioribus addas
Non vulgare decus: nam dum tua prouida cura
Haec fieri monumenta iubet: cano namque tuorum
Te impulsore patrum laudes: bene consulit illis,
Et prohibet nasci tantarum obliuia rerum.
Hoc est iure tuum, quod es illustrator auorum:
His titulis, splendore isto fraudabere numquam.
Adde quod in tanto regnorum turbine rebus
Sors tibi seruatis (tecum iam leniter egit)
Tempora, quae grauibus studijs impendere possis.
Gallorum sub rege dedit: dedit otia sanctae
Plena voluptatis, quae sunt concessa volenti
(Quisquis is est: nam Regis amor complectitur omnes)
Degere felices sine seditionibus annos.
Et licet anguigero fueris pars magna senatus
Sub Duce, militia quamquam decoreris equestri,
Non tamen ad sacros clausa est tibi semita fontes.
Nam neque militiam, nec magna negotia regum
Explodit virtus: sanctae verò omnia Musae,
Quae virtus concedit, amant. lege praeteritarum
Tempora, & annales rerum, coniuncta videbis
Martia Pieridum studiis, & cantibus arma.

Iulius armorum columen, qui strauit ab oris
Hesperijs, vsque ad Tigrim, terramq́ fretumq́ue,
Dum gereret totum bella illa audita per orbem,
Scribendis operam libris dabat. inter Eoos
Magnus Alexander populos, arma inter & hostes,
Dum litui clangore tonant, incumbit Homero:
Dum manus vna tenet gladium, manus altera librum,
Perlegit armatus pugnas Danaumq́ue Phrygumq́ue.
Bella suis igitur non interdicit Apollo,
Et sinit Aonides castris assuescere Musas.
Ad Martem Musasq́ simul te gloria patris
Excitat: ipse etenim studium sectatus vtrumque.
Nam tener illustri sub præceptore Latino
Indulsit sermoni operam: genitore sub ipso,
Qui fuit armorum nulli splendore secundus
Militiæ, & virides bellando exercuit annos.
Mox vbi maiori iam maior tempore virtus
Affuit: illustres animo versare triumphos
Cœpit, & ad magnos iter est ingressus honores.
Sicut prima leo cùm iam pertransiit ætas,
Quam primum incuruos dieris mucronibus vngues
Inualuisse videt, iam non dignatur inermes
Debellare feras: tauros prædatur & vrsos.
Sfortiadum princeps, qui tunc victricibus armis
Insubrum Dux factus erat, cùm mittere regi
Vellet Aragonio Campana in regna reuerso
Suppetias contra Andegauos, præfectus agendis
Est pater auxilijs, magnarum exordia rerum.

Hunc

Hunc Picentis adhuc ripæ meminere Truenti:
Fudit vbi Picenine tuas Iacobe phalanges.
Troia virum meminit: meminit Nuceria, quando
Iunctus Aragonijs Gallorum ingentia castra
Fudit, equis tribus in belli feruore peremtis,
Correpto in pugnam clypeo pedes iuit, & hostem
Sic contriuit, vti segetem solet horrida grando.
Rursus ad Insubres rediens, eques atque senator
Primus euasit, duplici decoratus honore.
Mox aduersa virum rapuerunt fata relicto
Semine præclaro sexus vtriusque: sed in te
Tota Tolentini domus inclinata recumbit.
Tu generis columen: tu viua parentis imago:
Vnde, velut quandoque nemus descendit ab vna
Arbore, proueniat series æterna nepotum.
Ergo age sublimes animos, innataque genti
Martia corda tuæ discas, vt tempora poscunt,
Ad placidum vitæ genus inclinare quietæ.

FINIS.

BAPTISTAE MANTVANI COMMENTARIOLVS DE BELLO VENETO,

Anni, CIↃ. IↃ.



Tia ne vacuam facerent vilescere mentem,
Tristia surgentis memorare incendia belli,
Cogor, & atroces carptim perstringere casus.
Vos mea cœlesti perfundite pectora luce
Numina: vos etenim nobis mortalibus estis
Lumen, & à vobis humana industria surgit.
Tu quoque, qui nostros aliquid facis esse labores,
Maxime vir: Iafrede, tuum largire fauorem.
Magnanimus rex Gallorum iam fœdere functus,
Quo Marco connexus erat Germanica contra
Regna, nouis Venetum vires contundere, & ausus
Aggreditur bellis, & init cum Cæsare pacem.
Conspirant in fœdus idem Burgundia, Arago,
Roma sacerdotum domus inclyta, Tuscus, & Vmber:
Picentes, & Flaminij: Ligur, Insuber, Alpes,
Heluetij genus armipotens, Ferraria, Manto.
Tanta fuit raro facinus concordia in vnum
Tot populis. Europa omnis castra vna secuta est.

Solus

Solus in extremis Venetus concluditur oris
Italiæ, solusque Leo, dum indagine tanta
Se videt incingi, ducit suspiria ab alto
Pectore, & elatis oculis, ac fronte superba
Omnia, quæ circum crepitant, examinat arma:
Nec dare terga fugæ, nec venatoribus esse
Præda scit: occulti placet experientia fati.
Caussa ferebatur tam magni hæc vna tumultus,
Oppida, quod Veneti quædam violentia & armis,
Quædam fraude, dolo, insidijs quæsita tenebant:
Multiplicis verò furti, longæque rapinæ
Pontifices partem, partem Germania, partem,
Gallia poscebat, longinqua Hispania partem,
In tellure sitam fecit cui nomina Daunus.
Nam tunc Parthenopes sceptrum retinebat Iberus.
Sic vt fama refert (nec enim mihi cura videndi
Vtrum vera forent) Venetum res publica tantas
Vsurparat opes, tantumque increuerat istis
Artibus, vt terris late regnaret: & alto:
Vtneque finitimas gentes, nec magna timeret
Regna, nec imperium, sperans extendere fines
Assiduè magis, atque magis, rerumque potiri,
Coniuratæ igitur magno molimine gentes
Arma parant, tamen in primis animosa, potensque
Gallia se bello accingit, Regemque Loisum
Magnanimum, fortemq́, ducem tam multa sequuntur
Agmina, vt Hannibalem credas, Cimbrûmue relictò
Oceano fluere vndatim de rupibus altis,

Rursus,

Rurſus, & Italiæ latos deſcendere in agros.
Moſa ruit: feſtinat Arar: mora nulla Garumnam,
Nulla tenet Ligerim: Rhodanus volat alite planta:
Sequana proripitur, celeriq́ue Druentia curſu.
Conſidere locis, vbi rura Inſubria Lambrus
Permeat, & poſitis figunt tentoria caſtris.
Et ſua Romanus vigil expedit arma ſacerdos,
Iratusq́ manu duo tela biſulmina promit:
Vnum, quo fontes animas percellat, & vnum,
Corpora quo feriat: totamq́ effundit Erinnym,
Atque Deum contra Venetos irritat, & Orcum.
Quidquid habent datur in prædam: promittitur æther
Inſidiatori: raptor donatur Olympo.
Ex hominum cœtu quaſi gens Acheruntica, pulſi,
Arcentur procul à ſacris, pelluntur ab aris.
Nec Veneti minus armantur, nec ſegnius audent:
Quippe quibus penus eſt locuples: quibus æris & auri
Copia, & argenti plenis opulentia teſtis.
Tum geminos hab ere duces, ſic fama, bicepsq́ue
Marcus erat: quæ res, quantum conducat agendis
Rebus, in ambiguo, primus iam vertice cano,
Sed ſtrepitum armorum primo ſectatus ab æuo
Nicoleos, ducens genus à primatibus vrbis
Romuleæ: ſatus Vrſinæ de ſanguine gentis,
Alter adhuc iuuenis referebat imagine & auſu
Tydea magnanimo, terra Liuianide natus,
Forti animo, cuius ſi ſors magis æqua fuiſſet,
Euaſurus erat gentis non parua Latinæ
Gloria:

Gloria: sed virtus pugnat: fortuna triumphat.
Concurrunt ad opes tantas Ætolus, Acarnan,
Thessalus: vnde orti Lapithæ, Phlegyæq; nepotes,
Centaurīq; genus Nephele atque Ixione natum:
Dardani, & Emathy: Dryopes, Thesprotica tellus:
Confluit Epirus, quique alta Ceraunia, quique
Scodrenses habitant agros & flumina Drini,
Litoraq; Aulonis: fluit & Dodonea pubes:
Illyricīq; , Istriq; volant, iuga Norica, & arua
Rhetica, Taurisci, Cenomania tota leonis
Aligeri vexilla petunt. exercitus vrbes
Occupat, & campos gradiens depascitur omnes:
Telluri grauis est ipsi: tot ferrea vectant
Instrumenta rotis: tot agunt in curribus arma.
Hinc Venetum vires, animosq; aduertere fas est,
Quod soli fuerint ausi se opponere tantis
Hostibus, & pugnam paribus committere turmis.
Hæc mihi visa fuit nostro res carmine digna:
Vt si forte ruant penitus, quod fata futurum
Sunt plerisq; modis portendere visa, nepotes
Quid fuerint noscant, dum res integra manebat:
Et quam sublimi ruerint à culmine, postquam
Contra illos vertit vultum fortuna minacem.
Grandia metator rapidi sub flumine Erembi
Castra locat: tellus sub papilionibus albis
Tota latet: resonant lituis & cornibus auræ
Vndiq; per campos Mars & Bellona ferocit.
Hic erat incinctus fossis locus, atque præaltis

Mœnibus:

Mœnibus:indigenas fama est de montibus altis,
Vnde fluit Brembus, belli certamine pulsos
A Venetis, illic olim posuisse Penates.
Et quoniam tribus è vicis descenderat ista
Plebs montana, loco nomen fecere Triuicum.
Hi primi ad Gallos Marci iuga dura perosi
Transierant: ideo extemplò Liuianus atroci
Corde fremens, certusq́, locum debere, repente
Arma vocat, conscendit equum pernicior Euro,
Cùm pluuias abigit nubes: violentior igne,
Cùm stipulas vorat arentes agitatus ab Austro.
Arma rapit miles, portarum in limine Gallo
Erumpente furit mauors, pugnatur vtrimque
Acriter, ac Venetis tandem victoria cessit,
Præsidio in portis cæso, Gallisq́ subactis
Aggressi spoliare domos, incendere raptis
Tecta opibus, sacras ædes violare, pudicas
Incestare nurus, rabiemq́ effundere totam,
Quam fera damnati facit inclementia Martis.
Taliaq́ ardenti data sunt præludia bello.
Gallus vt accepit facinus tam immane, repente
Vlciscendi auidus medium processit ad amnem.
Addua descendens Lari de gurgite magno
Ad Phaëthonteas ripis florentibus alnos
Amnis erat medius: sonat hinc clamoribus altis
Marcus, & hinc strepitu respondet Francia magno.
Mens fuerat Venetis Gallo, dum transmeat amnem,
Et se credit aquis, opponere sulfur & ignem,

Atque arcere vadis: sed spes euanuit: antè
Ad vada quàm tractis venisset machina plaustris,
Noctie, quies dum prima silet, confluxit ad amnem
Gallus, & extemplò missis in flumina lembis,
Quos secum vectare solent in bella profecti,
Traycit, & capiunt alias ex tempore ripas.
Iamque solo foret aduentus memorabilis illi,
Ripaltam vicum insignem, multosq; per annos
Diuitijs auctum varijs. gens aspera ferro
Sustulit & flammis, campoq; insedit aperto.
Maius erat, curru nobis Sol proximus alto
Ibat, & ouiparæ lustrabat pignora Ledæ.
Iam bello decreta dies variauerat ortum
Nubibus: & piceo Titan monstrabat amictu
Tristitiam pallens, seniq; sub albidus ore.
Adscendente die, noua res dignumq; notari
Prodigium. liquidò fiebat in aëre quidquid
Accidit in terris. pugnæ apparebat imago:
Certabant ventis venti per inania: victor
Nunc Zephyrus, nunc Eurus erat: sed nubila tandem
Corripiens Auster gelidam perflauit ad Arcton,
Qua miles Marcensis erat: fortuna videri
In nebulis voluit, quod erat factura per agros.
Adde quod in Venetum fontes contrarius Auster
Semper agens imbres oculos sic strinxit, vt ante
Vulnera perferret pugnans, quam cerneret hostem.
Sors fuit ad Gallos nimium propensa: vereri
Visa fuit, ne Rex, quem fortunare volebat,

Forsitan

Forsitan ad patrios fines inglorius iret:
Propterea ventos, pluuias, elementaq; mouit.
Gallia turmatim solitis exibat in arua
Ordinibus, spirans oculis iram, atque furorem.
Nec numero, nec corde minor sese explicat omnis
Adria, & in latos sua porrigit agmina campos.
Classica dant stimulos animis, & tympana, & arma
Ignea, fulmineoq; micans Mars vndique ferro.
Stant habili tormenta loco iaculantia longe
Marmora, & horrifico simulante tonitrua bombo.
Tanta videns armorum illis spectacula campis
Non potuit frenare ferox Liuianus amarum
Virus: it in Gallos, vt fulmen ab æthere missum,
Ac premit aduersos, & tanta mole repente
Inclinat Gallorum aciem, quanta Padus æstum
Cùm trahit vndantem, siluas, segetemq; per agros
Incuruare solet, nostrosq; auferre labores.
Sic Venetum primo fauit fortuna periclo.
Fracta acies in terga ruit, trepidantibus instat
Ductor, & in grandes cæsi cumulantur aceruos.
His ita patratis, victor Liuianus in alto
Stabat anhelus æquo: stabant & sanguine tincti
Victores socij mucronibus, arma suorum
Affore sperantes: nec enim se posse videbant
Ferre tot armatos. cupit ire in prælia ductor
Ocyus, & Gallos vno confundere nixu.
Vritur exspectans: annus mora parua videtur.
Et modò venturum auxilium, modò prospicit hostem

Sollicitus: spes atque metus præcordia torquent.
Gallus vt à longe speculans procedere nusquam
Auxilium vidit, nullamq́ erumpere turmam:
Irruit vlturus cædem, interitumque suorum,
Conuoluitque ducem: veluti cum murmure magno
Æstuat, & puppim fluctu mare circuit alto.
Mox Veneti, quotquot labi de turbine possunt,
Hostibus in medijs domino dant terga relicto.
Nec mora, prærapido post terga fugacia Gallus
Proripitur cursu, stragesque asperrima surgit.
Non est indomito Marti modus: vndique tellus
Strata cadaueribus se totam ingurgitat imbre
Sanguineo, & viridis rubrum induit herba colorem.
Rex vbi cognouit cursu pugnam ire secundo:
Nam veluti residens puppi nauarchus in alta,
Obseruabat vtri annueret victoria parti:
Vicimus exclamat: victis incumbite: vestra est
Magnanimi Celtæ, vestra est victoria: forti
Ite in bella manu: decus immortale referte
In patriam: Venetis opibus ditescite: quando
Nos fortuna iuuat, tempus ne perdite: magnis
Ite animis: hodie Venetorum exstinguite fastum.
Dixit, & amplectens hastam calcaribus vrget
Cornipedem, pugnamq́ subit molimine magno.
Ductor vt aduertit se solum in Marte relictum
Tam atroci, magnamq́ manum fugisse suorum:
Frenat equum, vertensq́ acies ad sidera, dixit.
O Veneti, decus Italiæ, fortuna negauit

Forsitan ad patrios fines inglorius iret:
Propterea ventos, pluuias, elementaq; mouit.
Gallia turmatim solitis exibat in arua
Ordinibus, spirans oculis iram, atque furorem.
Nec numero, nec corde minor sese explicat omnis
Adria, & in latos sua porrigit agmina campos.
Classica dant stimulos animis, & tympana, & arma
Ignea, fulmineoq; micans Mars vndique ferro.
Stant habili tormenta loco iaculantia longe
Marmora, & horrifico simulante tonitrua bombo.
Tanta videns armorum illis spectacula campis
Non potuit frenare ferox Liuianus amarum
Virus: it in Gallos, vt fulmen ab æthere missum,
Ac premit aduersos, & tanta mole repente
Inclinat Gallorum aciem, quanta Padus æstum
Cùm trahit vndantem, siluas, segetemq; per agros
Incuruare solet, nostrosq; auferre labores.
Sic Venetum primo fauit fortuna periclo.
Fracta acies in terga ruit, trepidantibus instat
Ductor, & in grandes cæsi cumulantur aceruos.
His ita patratis, victor Liuianus in alto
Stabat anhelus æquo: stabant & sanguine tincti
Victores socij mucronibus, arma suorum
Affore sperantes: nec enim se posse videbant
Ferre tot armatos. cupit ire in prælia ductor
Ocyus, & Gallos vno confundere nixu.
Vritur exspectans: annus mora parua videtur.
Et modò venturum auxilium, modò prospicit hostem
Sollicitus:

Sollicitus: spes atque metus præcordia torquent.
Gallus vt à longe speculans procedere nusquam
Auxilium vidit, nullamq́ erumpere turmam:
Irruit vlturus cædem, interitumque suorum,
Conuoluitque ducem: veluti cum murmure magno
Æstuat, & puppim fluctu mare circuit alto.
Mox Veneti, quotquot labi de turbine possunt,
Hostibus in medijs domino dant terga relicto.
Nec mora, prærapido post terga fugacia Gallus
Proripitur cursu, stragesque asperrima surgit.
Non est indomito Marti modus: vndique tellus
Strata cadaueribus se totam ingurgitat imbre
Sanguineo, & viridis rubrum induit herba colorem.
Rex vbi cognouit cursu pugnam ire secundo:
Nam veluti residens puppi nauarchus in alta,
Obseruabat vtri annueret victoria parti:
Vicimus exclamat: victis incumbite: vestra est
Magnanimi Celtæ, vestra est victoria: forti
Ite in bella manu: decus immortale referte
In patriam: Venetis opibus ditescite: quando
Nos fortuna iuuat, tempus ne perdite: magnis
Ite animis: hodie Venetorum exstinguite fastum.
Dixit, & amplectens hastam calcaribus vrget
Cornipedem, pugnamq́ subit molimine magno.
Ductor vt aduertit se solum in Marte relictum
Tam atroci, magnamq́ manum fugisse suorum:
Frenat equum, vertensq́ acies ad sidera, dixit.
O Veneti, decus Italiæ, fortuna negauit

 Quem

Quem dabat euentum virtus: sors dira fefellit
Et vos, & totam Italiam. sic inquit, & ensem
Proijciens, ô Marce, ô Dux, ô sancte Senatus
Accipe, persolui, dixit, quæ debita duxi
Officia, heic vitam moriens atque arma relinquo.
At Galli instantes strictis mucronibus hostem
Magnanimum miserati omnes. immisit in illos
Humanam mentem Deus, ingeniumq́ benignum,
Atque virum simul affati. pone inclyte Ductor,
Pone metum: iam noster eris: tua maxima virtus
Non est digna mori. qui te exposuere periclo,
Nec tibi succurrunt, digni grauiore ruina,
Maioresq́ suo soluent pro crimine pœnas.
Inuidere tuo decori: tua gloria visa est
Magna nimis: tibi iam dudum fata ista rogabant.
Viue vale: te in bella Deus felicia seruet.
Sic fati iniectis ducunt ad regia vinclis
Limina. Rex autem, cuius pia viscera portus
Sunt miseris, postquam rediјt, clementius illum
Intuitus seruari hominem mandauit, & vltra
Alpinos traduci apices in Gallica regna.
Hæc, vti rumores illis sparsere diebus,
Sunt digesta. tamen sunt qui certaminis ortum
Longè aliter referant. nam cùm magis edita Galli
Et munita magis peterent loca: protinus illos,
Vt perhibent, armis nitens auertere ductor
Opposuit sese, vetuitq́ adscendere in altum,
Rixaq́ paulatim in pugnam concreuit atrocem.

Nec Gallum certandi animo, sed castra locandi
A[illegible]ius, affirmant primam mouisse cohortem.
Regem autem, postquã nouit succumbere Gallum,
Suppetias misisse ferunt, ne fama pericli
[illegible]ereret in Gallos, faceretq́ metumq́ fugamq́ue.
Nicoleum verò memorant extempore natos
[illegible]te quieturos sibi persuasisse tumultus,
Atque ideo traxisse manum, neque lora furenti,
Nec res in peius fluerent, laxasse Gradiuo:
Sed sors euentu quæ sunt peiora secundo
Certa, facit, quoties placuit, meliora putari.
[illegible]orant vulnus rixa Liuianus in illa
Nuda in fronte tulit: quo conquassante cerebrum
Se[illegible]dens descendit equo, seditq́ sub vmbra
Saucius, & caput acclinans ad saxa cruentum,
Inuentumq́ ferunt á prætereuntibus illac
Hostibus, & magno ad Regem pro munere tractum.
Quod Franciscus in hoc strepitu Gonzaga siletur,
Qui primus solet in magnis occurrere rebus,
Causa duplex: vna est, quòd non per singula belli
Acta feror: sed verborum compendia sector.
Altera, quòd languore graui prostratus agebat
Vitam infelicem: nec morbi pondere tantum
Membra grauabantur, quam mens, quod tanta videbat
Bella geri sine se: dolor hic generosa premebat
Corda magis, nec ab his poterat discedere curis.
Non tamen è castris voluit discedere, certus
Quam primum expulsis posset languoribus: arma

 Induere,

Induere, & toto Regi se impendere nixu.
Hæc igitur currens strinxi certamina, sicut
Ad Nili potare canes vada magna feruntur.
Hæc ratio, quòd in his bellis te tanta gerentem
Carole Caldmontis princeps, Ambasia proles
Prætersam, tamquam exciderint tua nomina mente.
Hæc ratio, quòd in hoc generose Triuultie cantu
Te meritis fuerim titulis fraudare coactus:
Nam neque, quòd referas bellaci Tydea dextra,
Nestora consilio, breue me sinit edere tempus:
Vestro equidem quantum creuit res Gallica nixu,
Non si nostra volent omnes ad carmina Musæ,
Fas modò, cùm paucis complectimur omnia chartis,
Pandere: tam magnæ poscunt magna otia laudes.
Tu verò Iafrede licet non gesseris arma,
Non tamen his operam bellus præstasse minorem
Diceris: adstabas Regi, teque ille gerebat
Omnia consulto: populos vrbesque vocabas
Regis ad obsequium. prudentia fortior armis,
Sic solet humanas quò vult inducere mentes.
Et veluti radijs terras illuminat omnes
Fecundatque solum lampas Titania: sic tu
Ingenio gentes, regem, pugnamq́ regebas.
Sed laudes maiora tuas in tempora seruo.
Vt stragem accepit Venetorum exercitus istam:
Continuò cecidere animi: confusa salutis
Ordinibus castra, vt puppis confracta dehiscunt
Vndiq; promittit pauidis fuga sola salutem.

Il

[illegible]e timor Gallis animos dedit. omnia Gallus
[illegible]cupat: erumpunt totos effusa per agros
[illegible]mina, & incumbunt omnes cædi atque rapinæ.
[illegible]anum dicas fractis in proxima rura
[illegible] ferri, fluctuq; inuoluere montes.
[illegible] Priamo similis, cùm ardentia vidit
P[illegible]ma collacrymans, in tanti turbinis æstu
Rem Venetam seruare volens, collegit in vnum
Qu[illegible]s potuit raptim, seque in loca tuta recepit.
Galli autem madidi nimbis (nam fluxit in imbrem
Tota dies) lætiq; omnes victoria, & auro,
Sunt labente die tandem in sua castra recepti.
[illegible]quam discußis Venetus contabuit armis,
[illegible]pida confestim Gallo Cenomana vocato
Mutauere iugum. quo se fortuna recepit,
Vertit vela fauor. pingunt in turribus altis
Lilia, & abraso mutant insignia Marco.
Bergomeæ gentes Orobiq; in montibus orti
Ante alios: Chineus apex & Brixia regem
Gallorum adsciscunt, celebrantq; per omnia festos
Tecta dies, ineuntque epulis conuiuia lautis
Gallorum de more: canunt animosa Loisi
Pectora, & extollunt Gallorum in sidera nomen.
His Crema consilijs, his & Carauagia tellus
Vsa: Cremonenses solitos in mœnibus angues
Pingere ceruleos, eadem sententia flexit.
Salonensis ager Gallo se subijcit vsque
Ad vada Benaci, quibus est Piscaria nomen:

Ius Gallis huc vsque datum, qua Mincius vndam
Accipit: vnde senex sua colligit æquora Manto.
Cetera quæ tendunt ad Clodia litora Cæsar
Possessurus erat: sic publica fama ferebat.
Tunc etiam nostras leges subiere vetusta
Oppida, quæ Veneti à nostris ablata tenebant
Principibus, legi & iusto dominantibus armis.
Surmio Benaci pæninsula, quæ videt altos
Vndiq, cùm perflat Boreas, colludere fluctus.
Asula campestris, residensq; in colle Lonatum.
Rex vbi compositis Cenomana per oppida rebus
Fœderibus fecisse satis se vidit, ad vrbem,
Quæ caput est regni Insubris, vestigia vertit.
Heic verò insignem populo occurrente triumphum
Egit, & in ludos passim conuersa iuuentus
Exsultauit, vti pubes Romana solebat,
Cum rediens victor Consul Capitolia iunctis
Adscendebat equis ardenti splendidus ostro.
Sors vbi Gallorum rebus tam prospera fulsit:
Tantus erat pauor in populis formidine tanta
Contremuere omnes, vt mox Verona, fugato
Præsidio Venetorum, aquilas insignia magni
Cæsaris ediderit, ventoque agitanda leuarit.
Vicentinus idem, Patauique trifluminis ora
Tota facit. sic omnis ager, sic oppida, & vrbes
Vsque ad Carnorum colles, fontemq; Timaui.
Gens Venetum, quæ tanta potest, quæ porrigit vsque
Ad Syriam fines, sic deglabrata remansit.

Æmiliæ Flaminiæ partem, quam Roma recepit:
Atque quas olim Venetis concessit Arago
Alters, litoreis positas in finibus vrbes,
quas modò rex Hispanus habet. sic fœdere in ipso
Partiti exuuias reges, & bellica lucra.
Postremo hæc Venetus, cùm iam quasi crederet actum
De regno rebusq; suis, quæ debuit ante,
Reddi, sed sero, sperans hostilia posse
His forte officijs paulum mansuescere corda:
Atque istis bis septem in litibus vrbes.
Hæc autem inuexit Galli victoria, & ortus
Inde per Italiam pauor, & præsentia Regis.
Tantum adeo fruticat modò Gallica gloria passim,
Vt redire putes Caroli florentia Magni
Tempora. tam multum debent sua regna Loiso.
Cæsar vt accepit Gallorum ingentibus ausis
Adnuisse Deum, & sibi rerum accedere tantum:
Lætus in Italiam multis cum millibus auxit
Ex Italo, Gallo, Hispano sua milite castra.
Reliquiæ intereà Francum, regisq; Loisi
Conuenere, simul Veneti, sedemque locarunt
In Patauinorum campis ad litora Ponti
Adriaci, vallo & fossæ munimine cincti.
Hæc loca legerunt, vt si vis vlla repente
Ingrueret, pelago possent & nauibus vti.
Tunc quoque felices horas, & idonea nacti,
Tempora, nauarunt facinus memorabile, dignum
Carmine: Troiani cepere Antenoris vrbem

Aurſus, & extorrem Marcum in ſua regna tulerunt.
Tantum animi profugis, ea tanta audacia victis.
Cæſar enim Pataui male cuſtodita ſinebat
Mœnia & arua, metu Venetos ratus eſſe ſepultos.
Id tamen indignans furtum, quæ caſtra tenebat
Sparſa per apricos montes collegit, & hoſtem
Obſidet: extendunt ſeſe longa agmina circum
Multiplices muros: etenim munimine triplo
Vrbs ea ſepitur ductis ad ſingula circum
Mœnia fluminibus, cinctuq́ extenditur amplo.
Non oppreſſa fuit tot bellatoribus olim
Terra Phrygum, cùm mille rates ex Aulidos oris
Aduexere duces Rhœtea ad litora tantos.
Obſidio in longos trahitur fruſtrata labores
Defenſore aditus omnes claudente, viasq́
Hoſtibus, & magnis ad propugnacula ſemper
Aſſiſtente animis, grandique viriliter auſu.
Dum certatur in his ſtudijs caſtrenſibus: æſtas
Tota fluit: fluit autumnus: iam proxima bruma
Fecit ab inceptis feſſos deſiſtere. longa
Soluitur obſidio. Cæſar montana Tridenti
In iuga diſcedit: Gallus Cenomana remigrat
In caſtella: redit requies Patauina per arua.
Læta per id tempus, quo per Patauina fremebat
Arua recens bellum: Venetis fortuna refulſit,
Quæ multos caſus miſeros, & damna rependunt
Plurima. Franciſcus princeps Mantous in armis
Maximus, Italiæ columen, dum permeat arua
Veronæ

Veronensis agri, cupiens se adiungere castris
Cæsareis, dum nil metuit, dum credit amicis
Se populis, sicut se credere debet amicus,
Incidit in laqueos, fatoq; exceptus iniquo est.
Luctus armorum ductor Maluicia proles,
Cuius in egregijs notam se industria rebus
Fecit apud Venetos aliàs, cùm morte Robertus
Infelici obijt montanæ ad flumina Petræ,
Atque per Etruscæ fruticantia pascua Pisæ,
Tunc sub Nicoleo Venetum ductore merebat.
Hic igitur monitus venturam in proxima prædam
Rursi ijsam: confestim Athesis prope flumen in alto
Delituit saltu. turma comitatus equestri:
Atque vbi deuotum spolijs cognouit opimis
Tempus adesse, volat, sicut venatica damam
Prædatura canis. cæli conscenderat axem
Nox medium Phœbo extremum peragrante Leonem,
Cùm subitò incursu vicum circumuenit omnem,
Insula cui nomen, sopitaque lumina Marcum
Vociferans miles clamoribus excitat altis.
Nec mora. eorreptis trabibus clausa ostia pulsant,
Hinc viam faciunt: portis penetralia fractis
Armati subeunt, perque ipsa cubilia pugnant
In iugulos hominum nudos, in pectora aperta,
Et Laribus Stygijs ingenti cæde litatum est.
Namque equites Galli, qui sub ductore merebant
Minciada: quia correptis animosius armis
Præsto aderant: in frusta omnes cæsi, atque relicti,

Hæc vbi facta, rates ineunt, iterumque Cymac
Litora radentes, iterum magalia, vicos,
Oppida depopulant, & quod fuit ante relictum
Dum properant, subitamq́ legunt, celeremq́ rapina
Funditus exstirpant: hominumque, boumque labore
Non contenti, abigunt ipsos homines que, boues
Sors quoque finitimis eadem fuit vndique campus.
Plurima in hoc tanto sunt penetrata tumultu,
Horrenda auditu, dira, atque atrocia visu:
Sed nil tam crudum, nil tam lacrymabile, nil tam
Sensibus infensum nostris, quam tristia magni
Funera Cantelmi, quem, dum velut igneus Hector
Supra annos, supra ætatem molitur & audet,
Principio felix sors, demum infida fefellit.
Ibat in hostiles, velut in pecuaria fortis
Magnanimusque leo, liber formidine turmas,
Intuleratq́ hosti iam non semel eminus hasta,
Cominus ense grauem interitum: quo exterritus
Sic illum vitabat, vti per stagna, lacusque
Diffugiunt aquilam mergi, fulicæq́ palustres.
Sæpe pater, qui dum vires animumq́ ferebat
Vtilior sanguis, fuit æquiparatus Achilli,
Dixerat hæc iuueni. tibi mens nimis ardua, vitæ
Prodigus es: mi nate precor tibi parce, tuisq́
Omnibus: in te etenim domus inclinata recumbit.
Mens nocuit multis nimium generosa: periclis
Te nimium grauibus, nimium iuueniliter offers.
Sic pater ille autem, cui Mars in corde fremebat,
Qu

Detractis raptim exuuijs, in sanguine nudi.
Tunc ego germanum, cuius mihi semper imago est
Ante oculos, miser ammisi: nostro modò factus
Principi ab arcanis, fato sublatus acerbo est:
Ægidio cui nomen erat, dignißimus annos
Viuere Nestoreos, & sæcula longa Sibyllæ.
Tunc princeps, quo nemo alius generosior omnes
Inter mortales (heu, sors contraria semper
Heroum generi) captus stipante caterua
Ducitur ad Venetos: vbi concurrente Senatu
Accipitur, summamq́; vrbis productus in arcem,
Non ignominiam capti, sed Regis honorem
Percipit, & cocco ardenti donatur & auro.
Hæc Venetis instar magni captura triumphi
Et fuit, & casum lacrymans ita iudicat orbis.
Ista ærumna quibus mentem consortis Elisæ
Contuderit curis, non est qui carmine poßit
Edere. pugnarunt dolor & prudentia in eius
Pectore conflictu ingenti: prudentia vicit.
Nam neque se passa est vinci mœrore virago,
Et Phaëthonteas non est imitata sorores,
Nec Nioben, nec te coniux Priameia, nec te
Impatiens Phyllis. longe confinia exus
Feminei transgressa nihil muliebriter egit.
Sed tamen est conata virum seruare: nec vlla
Prætermissa via est. omni à regione marito
Implorauit opem: Gallorum & Cæsaris aures
Aßiduæ fregere preces, Rhodopeia longe

-a maritales est commiserata querelas.
-ificis tandem Iúli sapientia rupit
-ula, & eductum claustris in regna remisit.
-pore brumali postquam redeunte soluta est
-idio: dum Cæsar abest montana peragrans
-etica, peruigilesq́ fugat de pectore curas,
-entina nouas res est ordita iuuentus.
-m iuga detestans Germanica, Cæsareumq́
-men, & insuetos mores, peregrinaq́ verba,
-l Venetos iterum rediit, pulsisque subinde
-esidiis, se in magnum aquilæ vertere leonem.
-ndum multo dies ierat, contraxit in vnum
-uoreas naues Venetus: quibus arua Cymacli
-gnaq́ prædatus classem deflexit ad ora
-minis Eridani, quod præterlabitur agros
-iacos. illis etenim vetus Adria quondam
-ruit in campis, fecit quæ nomina Ponto.
-nc est mersa vadis: eius vestigia in alto
-rgite cernuntur: vitrea piscator in vnda
-a videt. persæpe etiam irretita trahuntur
-a, quibus gens illa dapes antiqua ferebat.
-c classis subuecta, Pado prætenta rapaci
-a manu inuadit. rapiunt armenta gregesque,
-cenduntq́ domos genus implacabile nautæ.
-de quòd ex ratibus peditum vis maxima in omne
-ligiense solum erumpens, quæcunq́ tenebat
-bida Ferrariæ princeps Patauina, subegit,
-que breui totius agri ditione potita est.

Hæc

Quamuis sancta patris tanti documenta videret,
Non poterat tamen ingentem feruentibus armis
Iam cohibere: trabem palma complexus vtraque
Fundebat numerosam vno semel impete turmam.
Hunc tamquam graue supplicium & comune flagellũ,
...s hostes circumuenere locantes
...ue locis pedicas: sed cùm nihil artibus istis
Proficerent: casses alios fortuna tetendit.
I... bellandum tùm Mars atrocior esset,
Dum soli sibi quisque inhiat, vitam vel honorem
Mente agitans, neque perpendens aliena pericla,
Transportatus equo, fracta qui liber habena
...at in incertum, solus peruenit ad vndam
E...ni, sonipesque altis infixus arenis
Corruit. ipsum autem tentantem assurgere Nautæ
(Nam Venetum classis ripas obsederat illas)
Correptus stipant armis, solumque trucidant,
Dilaniant, grassantur: vti cùm in retia traxit
Ingentem venator aprum, Libycũmue leonem
Desæuire solet. sic fato occumbit amaro,
O...hea præsentans: sed in hoc sublimior illo,
Quòd non femineo cecidit, sed Marte virili.
Sunt qui desertum à socijs in vortice pugnæ
...ysse ferant inter densissima Martis
Agmina, dum vitæ indecori præponere mauult,
More suæ gentis, madefactam sanguine mortem.
Heu iuuenis dilecte mihi, pia Numina testor,
Non secus ac patris iuuenis tam grande tuorum,

Tam

Tam sublime decus, cùm te discedere vidi
Tam viridi totum florebat robore corpus.
Tanta genis, oculisque inerat Venus, atque ren...
Gratia, vt æternos possem te credere in annos
Victurum. forma illa fugax nos, teque fefellit.
Mors tua sectando leuibus vestigia plantis
Obseruabat iens tempusq́, viamq́ nocendi.
Heu, quot singultus, heu, quot suspiria patri,
Quot lacrymas miseræ matri Æquicolæq́ relinqu...
Sed quid femineo fletu consumimur? esto,
Esto age, discedis iuuenis: sed prima iuuentus
Par erat ætati solidæ: præuenerat annos
Illa hominem superans virtus heroica, & heros
Consummatus eras, quisquis tibi nomina summi
Herculis attribuit, vates fuit: omnia namque
Hercule digna tibi seu sors, seu sancta dederunt
Numina, & imposuit tibi mors heroica finem.
Quid gemimus? gaudere opus est: sunt omnia nobis
Prospera: nunc inter magnos heroas in alto
Elysio viuis. licet immatura repente
Te mors sustulerit: tecum est insigniter actum.
Quo venturus eras gressu per turbida longo
Æquora, te breuiore tulit mora parua volatu.
Iam vale, & Ægidium fratrem, si forsitan illos
Occurret tibi per campos, saluere iubeto.
Litora Paphlagon prædatus, & omnia rura
Proxima litoribus Pelosellica fertur in arua,
Estensem bello Alfonsum petiturus, & vrbem

Ferrarias

Ferrariam, Marco infensam, Venetisque rebellem.
[illegible] pro Eridani ripis certamina, cædes
[illegible] surgunt: passim Bellona cruorem
[illegible], & longis decernitur eminus hastis,
[illegible], missilibus: vibrato cominus ense.
[illegible] funus crudele illis mala fata diebus
[illegible] uxere tibi longo Mirandula luctu
[illegible] randum. Lodouicus enim de sanguine natus
P[illegible] gentis, tantus Mauortis in armis,
V[illegible] Romanus ei dudum sua castra senatus
[illegible] erit, Venetam classem pulsurus ab oris
[illegible] rrariæ, [illegible] la consedit Phaethontia propter:
Dumq; Paphlagoniam magno certamine gentem
A[illegible] reditur, captisq; adigit discedere campis:
[illegible] velut fulmen grandi pila ferrea bomba
E[illegible] xuit, subitoq; ducis caput abstulit ictu.
Corpus equo labens, visu miserabile, truncum,
P[illegible] at humum, raptus vertex in mille recessit
Fru[illegible] a fauillarum in morem per inane volantum.
Hæc postquam rerum non exspectata nouarum
Nuntia venerunt ad regna Insubria: Gallos
Dum genio indulgent, & amœna hiberna frequentāt,
Saturniq; dies lætos brummalia festa,
Ferrariam properare opus est: namq; illius vrbis
Rex protector erat, tutelaremq; gerebat,
V[illegible] uerat firmata fides in fœdere, curam.
Ergo resumentes appensa Penatibus arma
Te[illegible] ilibus clangunt lituis, & tympana pulsant.

Dumq;

Dumq́ petunt vrbem, ferri de nomine dictam:
Hi per curua Padi labuntur flumina plenis
Puppibus: hi longis onerant equitatibus arua
Cum fulicis acturi hiemem stagna inter, & amnes.
Interea Cæsar patriæ telluris amore
Ductus in aërias Alpes ad frigora Rheni
Transit, & vt fido sua sub custode relinquat,
Veronense solum Gallo commendat & vrbem.
Tempestate merens illa sub Rege Loiso
Ferrariam miles Gallis comes iuit Iberus:
Qui, quòd sit natura sagax astutaq́ genti,
Mox vt conspexit naues, ripasque, Padumque,
Inuenit quod nullus adhuc deprenderat, vnde
Concuteret puppes Venetas, & funderet hostem.
Nocte igitur clarum cùm Luna decendia lumen
Spargeret, aggressi facinus grande, atque superbum.
Fortuna adspirante operi, tormenta locarunt
Pro ripis vtrimque Padi: quæ fulgure, & igne
Irritata, pilas rictu iaculantur aheno.
Tum Padus Alpino fauces compleuerat imbre,
Suspensoque magis tergo tollebat in altum
Rostra carinarum, & latera exponebat ad ictum.
Machina iam tonat ore cauo, crebrisque flagellat
Fulminibus puppes, adigitq́ in flumina nautas.
Radebat vada summa Chalybs, vterumq́ sonantem
Discutiens aditum dabat ingredientibus vndis.
Hac vi tota simul classis quassata repente
Dissiliit: pars mersa vadis: pars capta: per amnem

Pars elapsa cito properauit ad æquora cursu:
Atque ita Paphlagon cædes, furta atque rapinas
... uit excidijs in amaræ turbine noctis.
... trabium magnam, populnaq; robora princeps
... erat Alfonsus cædi, & per flumina trudi,
... peditura hostes, atque offensura carinas.
... rùm in naufragijs, atque in discrimine vitæ
Hu nautæ apprensis se seruauere natantes.
Quodq; fuit classis damno, excidioq; paratum,
Attulit auxilium, miserosque a morte redemit.
Sic fortuna solet studijs illudere nostris,
... larìq; nihil sine se prodesse sagacem
... e Ducem: nocet interdum prudentia. sæpe
... tius it qui luce caret, quam lumina fronte
... lera gerens. viden vt ductor, qui rexit in vndis
... nys classem, qui mille pericula Ponti
Transiit incolumis, venit periturus in amne.
Non est in caussa ducis imprudentia: casus
Hos fortuna facit. quòd si imprudentia forsan
In duce sit, fortunæ opus est. fortuna tenebris
Inuoluens homines, mentem diuertit, & vmbrat.
Hæc Francisce tuos meditans Gonzaga labores
Obscurare, tibi laqueos & ligna tetendit.
Nil vereare tamen: quæ te pessumdedit alto
Gurgite, te in summas attollere cogitat Alpes.
Quanquam bellipotens istis Alfonsus in armis
Strenuè, & vt patriæ decuit patremq; ducemque
Egerit: Hyppoliti tamen, vt vulgata per omnem

Fama eſt Italiam, pietas, & bellica virtus
Supra Italos, ſupra Hiſpanos, & Vaſcones omnes
Claruit, & celebri fuit extollenda triumpho.
Tantum animo valuit, tantum prudentia, & arte
Omnibus in bellis, vt ſeſe oſtenderit ortum
Hercule, & à tanto nil degenereſſe parente.
Quòd ſi purpureo dicas non eſſe galero
Conueniens bellum: dicto quid ineptius iſto?
Ferrariam neſcis Romani antiſtitis vrbem?
Cur pugnare igitur ſacer hic non debuit ordo,
Qui rem Romanam debet, velut oſtia cardo,
Ferre? rubens tegmen ſacri pro iure ſenatus
Significat proprium ſpargi debere cruorem.
Gaude igitur domus Eſtenſis tuta auſpice tali:
Vindice defenſi tanto, gaudete Penates
Ferrariæ. decus hoc annalibus addite veſtris.
Veronenſis agri locus eſt, dixere propinqui
Lignacum populi, muro munitus & amne.
Nam ſedet in ripis Atheſis: modo flumine ſecto
Proxima inundaruut rura vndiq;, & vndiq; bel.
Clauſerunt aditus late ſtagnantibus vndis.
Gens ea bellatrix ſancto deuota Leoni,
Bellorum ſtrepitu in primo cum fulmine tanto
Adria contremuit, fatum commune ſecuta eſt.
Veronamq; imitans aquilarum inſigne recepit
De Venetis actum reputans. vbi viuere vidit
Et conſtare animis Marcum, licet vndique Mauors
Perſtreperet, rurſum dominos confeſſa priores

Seruauit

Seruauit sine fraude fidem. formidine multæ
Stant defectæ vrbes: animis præstantibus isti
Gallorum spreuere minas, & Cæsaris iram.
Tantum Italæ virtutis habent, prædantur & ipsos
Veronensis agri vicos, arua, oppida passim:
Indignantur enim, iuga quod Germanica victi,
Degeneri segniq́ue metu, sine sanguine & armis,
Pertulerint: timidumq́ vocant, & futile vulgus.
Hactenus ista fuit genti constantia: quem sors
Huic dabit euentum magnis spectabimus ausis.
Atqueniam dictum memini cælestia fata
Pluribus indicijs Venetum præfata ruinam:
Altius hæc narrare libet, caussasq́ latentes
Promere, & à Superis casus aperire fluentes.
Stelliferum memorant qui perscrutantur Olympum,
Vrbibus & regnis, vbi nongentesimus annus
A prima ipsorum numerandus origine tandem
Egit sæcla nouem, magnas incumbere clades.
Sæpe quoque interitum, longa obseruantia motus
Ætherij potuit, stellis si credere fas est,
Demonstrare vices nobis mortalibus istas.
Hinc claram Venetorum vrbem tot voluere casus
Commemorant, tot bella pati, tot adire labores.
Nam postquam Venetū populos, qui Antenore quondā
Huc duce venerunt, patrij buxeta Cytori,
Atque Paphlagonias vrbes, & patria rura
Linquentes, metus Hunnorū contraxit in vna hæc
Mœnia, fluxerunt alto tot sæcula mundo.

Sunt & qui Venetos nolint Paphlagones esse,
Sed potius Belgas: populos vbi nominis huius
Esse ferunt quosdam versum Oceanitidas vndas.
Sed fuerit satius: quando male tempora rebus
Conueniunt istis: nec enim tot secula solum,
Vt perhibent hi, qui annales scripsere dierum.
Sed fluxere decem vel circiter: ista Tonanti
Tradere, mundanos orbes qui fecit & astra.
Ipse igitur Pater omnipotens portendere visus
Præsertim tribus indicijs ardentia bella,
Atque infelices casus, & tempus acerbum hoc:
Nam tria quæ Marco suberant loca, grandibus ante
Has clades percussa malis commune periclum hoc
Prædixere. graui terræ Cretensia motu
Arua laborarunt, fractis habitacula tectis
Cum natis, cum coniugibus, res horrida visu,
Ipsos, heu, dominos grandi oppressere tumultu,
Contremuit Gortyna vetus, Cnossosque, Cydonque
Atque cypreßiferæ strepitum nemus horruit Idæ.
Mortales trepidi attoniti per rura relictis
Vrbibus errabant, nulli se credere tecto
Audentes, timuere solum, ne forsan euntes
Hac illac subito incautos glutiret hiatu.
Brixia nimbosæ vi tempestatis, & igne
Fulmineo turrim è scopulo mirata repente
Funditus euelli, vulsamque per ardua saxa
Præcipitem volui: corda, ossa, imasque medullas
Contremuit, noctemq; oculis timor intulit atram.

Fulmen

Fulmen vt armatum radijs, atque igne corusco
Sulfura libauit: nam sulfura turris habebat:
Extulit in cælum flammas, totamq́; per vrbem
Euomuit nebulas fumantia sulfura olentes.
Ista fuit ratio, quòd post ea bella secuta est
Deditio: Venetis communem instare ruinam,
Dum putat vrbs paulò ante istas mirata procellas.
Nam dominis vti externis opus esse putauit.
Tum quoque siue dolo, seu casu euenerit, illud
Tam miri nauale operis, quo nautica in vnum
Tot congesta locum stabulant, incendia damno
Affecere graui: nam magna ex parte redactum est
In cineres, toto patrum lugente senatu.
Additur his rostrata ratis, quæ multa Rauennam
Arma ferens pro Flaminiæ munimine terræ,
Non tulit iratum pelagus: sed turbine in horas
Irritante magis spumantem Nerea, tandem
Obruta in Adriaco ratis est Adriatica Ponto.
Hæc ea, quæ populos ita prostrauere labantes,
Et tantum Venetis superinduxere pauorem.
Hæc ea, quæ misere in spem Gallum, atque Alemanum
Persuasos secum superos in bella venire.
At Veneti postquam tam atrocibus vndique bellis
Se videre præsenti, totam solenniter vrbem
Lustrauere sacris pompis, precibusq́; secundum
Legitimos patriæ ritus, moremq́; parentum.
Sic vbi sancta pijs coluerunt Numina votis,
Continuò visa est aliquam fortuna salutem

 Pandere,

Pandere, & auxilium tacito promittere nutu.
Tum Patavi cœpere vrbem. Vincentia Marcum
Est confessa iterum, veteresq́ue recepit habenas.
Rebus in aduersis non est mortalibus vllum
Præsidium maius, quàm sollicitare Tonantem
Supplicijs. nam sic Diui, qui regna gubernant
Omnia, suscipiunt caussas, & vota secundant.
Sic aliàs etiam Venetum respublica magnis
Est defuncta malis, & atrocibus eruta fatis:
Nam Patavi princeps olim Germanica regna,
Pannoniæ regem, Liguresq́ exciuit, & omnem
Italiam contra Venetos: tum terra, fretumq́
Perstrepuit: vox per campos audita, per Alpes,
Martia, & armisono sonuerunt classica cantu.
Adria tunc tristi vidit Genuensia vultu
Carbasa, & inuitas substrauit puppibus vndas.
Stabat Marcus inops tracta ad calcanea cauda,
Et ductis ad tergum alis latitabat in alga:
Sed mox, vt Superos implorauere, suosq́
Relligiose animos expurgauere, leuauit
Et caput, & caudam, & sublimes altius alas.
Tum Ligures captos apud oppida Clodia portu,
Naufragio, vt perhibent, clauso de industria ad Al
Emporium Riui magno duxere triumpho.
Tunc mare pacatum: sparsæ per litora gentes
Tum festos egere dies. tunc traxit ab vndis
Marcus & in latas misit vestigia terras.
Victores igitur quicumq́ euadere certant,

Auspicibus

Auspicibus Diuis vadant in bella, Deumq́;
Esse sciant solitum mentes prostrare superbas.
Incuruate caput Christo: reuerenter habete
Templa, sacerdotes, census, Romanaq́; iura,
Sunt tamen auctores, quorum sententia terras
Esse velit Veneto aduersas, pelagusque tenendum
Consulat. banc sortem Marco dare numina fantur.
Sic fore felices Venetos: sic posse tyrannos
Profligare omnes, qui lata per æquora regnant,
Si longinqua petant bellis naualibus arua.
Dum fugit autumnus, gelidisq́; albere pruinis
Incipit, insolitum, seu sors, seu prouida Diuum
Cura volens aliquid tali portendere signo
Attulerit, monstrum nostras adnauit ad oras.
Piscis enim, si piscis erat, quo maior in alto
Non fuit Oceano, decies porrectus in octo,
Vt fama est, cubitos, Lunensia venit ad arua.
Nam famis impatiens prædam de plebe natantum
Dum sequitur, dum præcipiti maria alta natatu
Permeat, ad litus magna se mole vadosum
Appulit, ac bibulas aluo compressit arenas:
Nec remeare datum non sufficientibus vndis
Tollere pondus iners vteri sulcantis arenam.
Cùm nare tentaret, tergoq́; leuaret in altum
Æquora: piscator qui circum litora missis
Retibus aucupio sese exercebat aquoso,
Mirabatur. vbi affixum cognouit arenæ:
Affuit, & tracto pedetentim in litora monstro

 Vi multa,

Vi multa nixuq́, graui spectacula cunctis
Mira dedit populis, qui circum litora Lunæ
Palladijs habitant montana virentia siluis.
Bellua diffuso longissima tergora ventre
Distendens, erat horrori spectantibus. vlnis
Applicitis quosdam metiri immania membra
Vidisses: quosdam suspenso adsistere vultu
Attonitis similes: quosdam explorare volentes
Duritiem monstri exanimis contingere summo
Indice squarosum tergus, subitoque relabi:
Non erat hic pistrix, longa quam Perseus harpe
Dissecuit: non phoca fuit, quæ mugit in vndis
More boum: vitulumq́ vocant à voce marinum.
Sed neque physeter, qui gutture sorbet anhelo
Æquora, & in puppes absorptas exspuit vndas.
Non balæna, graui Ionam quæ pertulit aluo:
Quæ visa est humeris lucos portare virentes:
Mirum animal, noua vel raris res cognita sæclis.
Immissis aderant trabibus qui pandere buccas
Compressasque laborarent disiungere malas.
Vix tandem sudando ingens valuere palatum
Tollere: suppositis fulcris panduntur hiatu
Ora cauernoso, dictu mirabile, in antrum
Gutturis obscuri populo spectante subiuit
Totus eques. tanto fauces patuere Barathro.
Multiplices monstro linguæ, quas credere falces
Fas erat incuruas, sic persuadente figura
Aduentantum oculis, &, qua prætendit acutam

Falx aciem, duris pendebat barba capillis.
Clunis erat, qualem sonipes, cùm tergore duro
Ad bellum vestitur, habet: non squamea terga,
Sed cutis obduræ corio nigricantia nudo.
Rictus erat, qualis suibus, porrectus in arctum.
Os minimè mordax, gingiua edentula, prædam
Deuorat, & viuam turpem deglutit in aluum.
Non alæ pecudi, non crus: sed pectore, ventre,
Et tergo in latum fusis: quæ forma lacerto est.
Strata erat in læto deformis bellua campo.
Quid verò genus id monstri, si monstra prophetant,
Venturum ostentet nobis mortalibus, ipse
Differet euentus rerum, quas afferet annus
Alter, & educto belli Mars arbiter ense.
Piscis hic, vt memorant hi, qui portenta fatentur
Significare aliquid magni, fuit illa sequenti
Per Lucense fretum classis, quæ apparuit anno.
Nam veluti nostras illo peruenit ad aures
Tempore, nescio qui Genuam turbare volentes
Nauibus armatis sunt illa ad litora vecti.
Sed Deus inceptis non adspirauit, & ille
Inualidus labor in tenues euanuit auras:
Nec vexata fuit tali res Gallica nixu.
Totus in auctores furor est conuersus, & hisdem,
Si Iafrede notes quo res peruaserit, ipsi
Sunt laqueis capti, quibus illaqueare volebant
Innocuos, oculis Deus omnia respicit æquis.

FINIS.

BAPTISTAE MANTVAN[I] EXHORTATIO AD INSVBRES ET LIGVRES, DICATA VIRO Amplissimo Iafredo Carolo, milit, Vicecancellario, & Delpainatus Præsidenti dignissimo.



Ens æterna, suo tantum quæ condid[it] orbem,
Numine, cum posset factam conuolu[ere] molem,
Sola ministrorum nihil indiget, [sed] huius
Tam vasti, immensiq́ operis committere clauum,
Atque gubernandi caussis dare iura secundis.
Nec modò cæligenas, qui sunt sine corpore, Diuos,
Verum etiam nos mortales in tale vocauit
Officium, magniq́ue dedit consortia regni
Terrigenis etiam, sic est Deus omnibus æquus.
Hinc veniunt, qui res hominum moderantur, & vrbes
Regnaque Sidonio vestiti sanguine Reges.
Qualis in Idæa proles Europica Creta,
In Latio Numa Pompilius: si prisca reuoluas
Tempora, Saturnus, dubiaq́ ab origine Ianus,
Ac similes alij, qui promeruere Deorum
Nomina defuncti tenebris, & in alta relati

Sider[a]

Sidera, in æterno fulgentem lumine mundum.
Hi sunt in terris quædam quasi Numina sanctis
Legibus humanos formare potentia mores.
Inde fit vt felix, & fortunata vocari
Debeat vrbs, cui contingat sub principe iusto
Degere: fortunati homines, felicia regna,
Quæ viuunt sub rege pio. mortalibus isto
Munere nil possunt largiri Numina maius.
Rex bonus est commune bonum: commune flagellum
Rex malus est, vt Busiris, sæuusq; Lycaon,
Et Nero terrarum exitium, mundiq; venenum.
Secula quæ tantum laudant Saturnia prisci
Regis habent nomen: sub quo aurea floruit ætas.
Propterea vobis Ligures, quibus inuia subsunt
Æquora, & inculti nemorosa cacumina montes,
Gratulor, & tibi frugiferis Insubria campis,
Quæ longe lateq; pates, quòd mitia tandem
Sub iuga depulso imperio venistis atroci.
Libertas est mite iugum, pro munere magno
Quale sub Augusto terris indulsit Olympus.
Hic tandem vobis, æqua modò mente feratis
Hoc tam grande bonum, nec vos antiqua simultas
In scopulos adigat, requies est parta diebus.
Scitis, & Italiam res est vulgata per omnem,
Quàm graue seruitium, durum, atque immane tulistis
Hactenus, & casus quos pertuleritis acerbos.
Dum modò vos premit ambitio regnare volentum
Contra iura: dolos dum vult auertere Arago:

Dum

Dum Venetus non fert fastumque, iramq̃, minasque
Sfortiadæ. sic ora fremunt popularia, Mauri:
Errabatis vti naues in fluctibus Austro
Exposita sine remigio temone magistro
Census, opes vestras, patrimonia tota tributum
Hauserat. exactor latrone rapacior ibat
Per vestras impune domos, regnabat vbique hac
Improbitas, & erat pax ista nocentior armis.
Mitto pudicitiæ damna infinita. parentes
Indignis cogebantur coniungere natas
Cum mœrore viris, & erant lugubria tamquam
Funera, prostrato legum connubia ritu.
His Deus erratis cupiens occurrere, tantam
Hanc molem vestris hoc importabile pondus
Depulit ex humeris: nec vos succumbere passus
Cladibus his, aliud tranquillum, æquabile, sanctum
Imposuit sceptrum, Gallosque in regna vocauit.
Orabatis opem lacrymis: vt turbine nautæ
Deprehensi subito: cùm iam sentina dehiscit,
Et labat horrendo ratis absorbenda Barathro.
Misit opem vobis Deus. exorastis Olympum.
In portum hunc tanta de tempestate redacti
Tranquillis gaudete animis, & ponite finem
Insatiabilibus votis, quæ improuida corda
Circumferre solent, & spe deludere inani.
Quòd si fortassis, dum Martia bella fremebant,
Res visa est onerosa nimis, non Gallica gens est
Accusanda, genus non est crudele vocandum.

Nec

Non leue cancer erat quod vos rodebat: agendum
Ferro erat, & flammis: non incantamine, & herbis.
Armorum hæc natura fuit. Bellona fuapte
Ingenio semper grauis est, truculenta, minaxq.
Ira Dei, Mars est, dictus cognomine Mauors:
Magna quòd euertat terra importunus, & alto.
Pygmæi breue vulgus, iners plebecula, quando
Conuenere grues longis in prælia rostris,
Sublato clamore fremunt, dumq agmine magno
Hostibus occurrunt, tellus tremit, Indica clamant
Litora arenarum nimbis abscondittur aër
Omnis, & inuoluit puluis solemq, polumq.
Et genus hoc hominum natura imbelle, quietum,
Mite, facit Mauors pugnax, imane, cruentum.
Si fortaßè greges ouium, leporumq tumultu
Armigero coeant, animoque in bella ferantur
Mutua præcipiti: Dryades nemora alta subibunt:
Naiades in fontes: densa in dumeta Napææ:
Ocyus in montes rapientur Oreades altos.
Turbabuntur agri, preßis viridantia prata
Floribus arescent, & hiems erit omnibus aruis.
Gens Romana volens alias præcellere gentes,
Iustitia, pietate, fide, prudentia, & armis,
Non potuit tantis Martem frenare capistris,
Quin grauis, atque nocens socijs, nedum hostibus esset.
Iupiter atque Venus cunctis mortalibus astra
Mitia sunt. Mauors cunctis malus, omnia gaudet
Sternere. peccandi furiosa silentia Mars est.

Mars

Mars homines amat innitites, in vulnera pronos,
Fronte truces, lingua audaces, animo impetuosos:
Qui neque Cocyti, nec Olympi Numina curant.
Nec Thyrsos vt Bacchus habet: sed acumine duro
Tela gerit spicata manu, non mitrat amictu
Tempora femineo, cristis & casside ahena
Fulgurat, & rigido fortes ferro induit armos.
Non iugat ad currum Veneris de more columbas,
Non iumenta Hecates: sed equos animantia corde
Magnanimo, qui contemnant sonitumq; tubarum.
Clamoremq; virum, & strepitum, quem feruida Enyo
Concitat, in bellum toto cùm se ingerit ausu.
Vos ergo Insubres Gallum inculpare potestis,
Si Martem cohibere nequit. quod Martia Roma
Non potuit: quod nec Reges ab origine rerum
Vlli vmquam valuere, licet clementibus essent
Et sine viro animis: Regum quae maxima virtus:
Quî facerent Galli naturam & sidera contra?
Saepe quoque à vobis belli descendit origo
Insubres, dum fertis opem, dum panditis vrbem
In sua regna Duci caelo indignante reuerso.
Id tamen est forsan scelus excusabile: quando
Non odio Gallorum actum est: sed amore fugati
Principis. vsus enim tam longi temporis istas
Miserat in mentem curas: nec ponere talem
Fas erat affectum subitò, qui tempore fiunt
Tempore discedunt habitus. dediscere amorem
Res grauis est. ita nos finxit natura, Deusque.

Difficile

Difficile est vtrumque igitur: compescere amorem
Scilicet, & rigido leges imponere Marti.
Durus vterque labor: venia quoque dignus vterque.
Vt vobis igitur parcant, vos parcite Gallis,
Vnaque gens estote animis. Phryges atque Latini
Tale sub Ænea celebrarunt principe fœdus.
Vnum estote genus, mixto quod nomine dicant
Gallitalos, vt Gallogræcos, & Samothracas.
Vt fama est Bardis conuincti Lingones vnum
Euasere genus, quæ Longobardo vocatur
Natio: ab his vestri quondam venere parentes.
At postquam positis furor hic elanguit armis,
Cernite quàm faciles in vestra negotia Galli:
Quàm bene consultum plebi, patribusq; videntur
Nobiscum nati atque aliti. victoria factum
Non peperit: paritas vitæ, concordia morum
Facta: nec à vobis fas est discernere Gallos.
Iustitiæ verò quanta obseruantia legum
Quantus honor, quanta cum maiestate senatus
Ille sacer, cuius retinet Iafredus habenas,
In commune bonum vigilet, cognoscitis ipsi,
Et gaudetis opus vobis non esse potentum
Auxilio in caussis, qui nigrum in candida vertant.
Est victor, cui iura fauent. mirabile dictu,
Difficile inuentu, pulcrum & lætabile visu,
Est leuius regem, quàm legem offendere: tanto
Munere sunt terras nostris dignata diebus
Numina: tanta oculis tuimur miracula nostris.

Corruerant

Corruerant mores: exauctorata silebat
Illa vetus probitas, aditum quæ ad sidera fecit
Patribus antiquis, quorum delubra supersunt.
Nec veri respectus erat: petulantia habebat
Numen, & ante oculos scelera impunita per vrbes,
Per fora, per primatum aulas errare solebant.
Parua loquor: scelera imperium, sceptrumque tenebat.
At postquam visum est Superis submittere Gallo
Insubrum, Ligurumq; domos: rediere Solones
Extemplò: rediere Numæ: rediere Lycurgi.
Non aliter, quam post æstiua tonitrua, & vndæ
Præcipitis nimbum volucres à turbine pulsæ
In latebras rursum redeunt, & pascua lustrant.
Ante alios venere duo quasi sidera cælo
Lapsa super terram tenebris dare lumina vestris.
Alter qui leges, alter qui temperet arma.
Sunt leges Iafrede tuæ: tu iura ministras:
Tu regis æquatas lances, neque personarum,
Sed solùm meritorum habito discrimine, tamquam
Alter Aristides, inopum simul atque potentum
Rem geris, implicitus nec spe, nec amore, nec auro,
Nec quouis affectu alio, qui vertere possit
Iudicium, vel quo fiat violentia legi
Tu patrocinium miseris: custodia pacis:
Communis tutela boni. procul exsulat omne
Te censore nefas, & abit Lethea sub antra.
Tu velut Alcides vitiorum informia passim
Monstra domas, & nequitiæ septemplicis hydram,

Centauros,

Centauros, Antæum, Erycem, Cacumq́ rapacem,
Hoc est, infrenos homines, clementiæ inanes,
Iustitiæ immemores, legemq́ue Deumq́ue perosos
Profligas, claudisq́ viam furialibus ausis.
Auspicijs Iafrede tuis sanctissima virtus
Nascitur, & crescit, viresq́ue assumit in horas:
Aruerat pietas sicco iam stipite: rursum
Sub te viuifico madefacta repululat imbre.
Publica religio, quæ conculcata iacebat,
Te cultore leuat conum in sublime comantem.
Tu regis Insubrum, Ligurumq́ negotia, tanto
Non impar oneri: tantæ tu auriga quadrigæ.
Ad tua Pierides veniunt conuiuia Nymphæ,
Ambrosiasq́ dapes adhibent, quas diuite campo
Hippocrenæis Phocis parit humida lymphis:
Quas Libethra tulit, durisq́ in montibus Ascra,
Pieriumq́ solum: nec non vicina Heliconi
Thespia, & Aonij montes: quas inclyta Pimple,
Et quæ Phœbeo nemori cognomina fecit
Grynia: quas Dirce, Stoa quas habet, atque Academi
Pascua: Apollineæ quas gignunt litora Cirrhæ.
Hæ tua nectareis cumulant conuiuia donis,
Atque tuas omnes celebrat laudes Aganippe.
Vranie in primis, quæ contemplatur Olympum:
Quæ docet astrorum radios, quos accipit aër,
Et vehit in terras, & in omnia semina rerum.
Et Clio: cui fama subest, & gloria regum:
Quæ Heroum decora æternos extendit in annos,
LIII *Assyrios*

Assyrios memorat reges, clara acta Scytharum, &
Quæ Persæ veteres exant lauere Tyranni:
Græcia, & Ægyptus: Romana & Punica bella.
Tu nocturna Pharos, cuius de vertice lampas
Ardet, & errantes lato regit æquore nautas.
Tu populis magnes, qui tempestatibus atris
Scire facit Syrtes, & saxa latentia Ponto.
In Labyrinthiacis tu filum ambagibus illud,
Thesea quod docuit cæcas exire latebras.
Accola te Rhodani desiderat, accola Rheni,
Accola Ticini, tua fama audita per orbem,
Allicit omne genus, meritis tu præmia ponis,
Et sub te virtus est fortunata. poëtas
Non sinis, vt solet hæc corrupti temporis ætas,
Exsecrari operas, & deplorare laborem.
Carolus arma regit, Caldi clarissima montis
Cognomenta gerens, soboles Ambasia, grandi
Indole vir: cui plena oculis prudentia, & Argo
Persimilis, circumspiciens longe omnia, regno
Apta gubernando: cui mens excelsa vigorem
Cæsareum spirans: animis formidine nulla
Victus, Alexandro similis: qui solus ab altis
Mœnibus armatos saltu se misit in hostes.
Sic facilis natura fuit, sic mitia cæli
Astra viro, talis genitali exiuit ab aluo:
Sic etiam puerum clari studuere parentes
Formare, & teneris sic est affectus ab annis.
Nec deforme animo per mille pericula corpus

Martia

Martia duratum: quali Telamonius Aiax:
Quali Pelides: quali Priameius Hector,
Et proles Iouis Alcides se in bella ferebant.
Illa tribus nuper fatis explorata periclis:
Et cùm triste gemens videt feruere tumultus
Felsina Serranos, populumq; in bella ruentem.
Tantam vrbem, tam magnanimam, belloq; potentem
Non minus attonitam fecit, quàm Mummius Isthmũ,
Et mare quæ duplex disterminat Acrocorinthum:
Quam Macetum regem Paulus: Didonia regna
Scipio: Laomedonteam Troiam, Oechaliamq;
Maximus Alcides. vti tum Cæsaris illo
Fas titulo, Veni, vidi, vicique, fuisset.
Tam felix fortuna fuit. victoria Gallum
Tam celeri dignata ducem celebrare triumpho.
Tum quoque, cùm subito Ligur induit arma paratu,
Et coniurati venere in prælia montes.
Sed magis atque magis cùm descensura iugosis
Alpibus Arctoas mouit Germania gentes.
Tunc Itali fremuere omnes varijs agitati
Consilijs, & erant qui belli incendia malent,
Et qui præferrent pacem bello, atque quietem.
Carolus in tanto bellorum turbine magnum
Induit Atlantem, cælo qui dicitur altos
Supposuisse humeros: grauiterq; frementia forti
Pectore sustinuit populorum murmura, & iram
Incendentem animos: ceu, cùm freta concitat Auster,
Sustinet erectos cautes Marpessia fluctus:

Firmauitq; vrbes studia in contraria pronas.
Sed neque te titulis Iacobe Triuultie possum
Heic fraudare tuis. cùm dux, qui Gallica castra
Duceret in valles Athesis Germanica contra
Agmina, turmatim ex altis volitantia saxis,
Quærendus multis hominum de millibus esset,
Te tanti fecere omnes Galliq́ue, Italiq́ue,
Quanti olim Graiorum vrbes Agamennona magnum.
Te solum voluere ducem: quo bella magistro
Tam violenta pati, cladem q; euadere possent.
Tu verò (virtus tam firma senilibus annis
Affuit) ætatem oblitus properanter in armos
Antiquum thoraca trahis, quo mille tulisti
Pugnando telorum ictus. complecteris hastam.
Quadrupedem corde elatum capita alta leuantem
Scandis, & in bellum turmas agis ære micantes.
Nec plus est Cæsar, nec plus est Hannibal vmquam,
Aut Marius, Cimbros illic qui sustulit, ausus.
Fama erat ex illis Rhenum descendere & Albin
Rupibus, & currentem vndis pernicibus Istrum.
Addebant aliqui Dacos, & Cimbrica castra,
Sarmaticosq; equites sumtis equitare pharetris
Italiam versus: terrorq; inuaserat omnes
Tantus, vt ex agris fugerent in mœnia villæ.
Iam Venetus trepidare altum, diffidere pugnæ
Ceperat, & percunctari, Fabiumq; imitari,
Frustrariq; mora tantos decreuerat hostes.
Tu firmasti animos, venientia fulmina contra
Direxisti

Direxisti acies, & in ipso signa locasti
Limine Teutonicæ gentis super inuia saxa.
Sic contriti hostes traxere reciproca tandem
Consilijs de pace habitis vestigia retro.
Tu verò ad Gallos rebus feliciter actis
Vndiq; & in patriam victricia signa tulisti.
His itaque Insubres vestras rectoribus vrbes
Temperat, hac Gallus vos tempestate gubernat
Consilijs ducibusq; istis. quos credere fas est,
Si belli, & pacis præclara negotia cernas,
Tot Curios, tot Scipiadas, totidemq; Catones.
Nunc igitur, quando leges, & iura tuentur
Imperium sancto populi sub principe florent,
Atque dies agitant festos: per compita saltant
Ciuiles vrbana chori: triuialia ruri
Mobilibus plantis certant ad præmia Nymphæ.
Heic locus est Genuæ casum memorare recentem,
Qui doceat regis elementia quanta Loisii,
Quantáue in aduersis animi præstantia rebus.
Castalides Nymphæ precor adspirate canenti,
Et date veridico rem gestam includere versu.
Vrbs, Genuam dicunt, sita curuo in litore vasti
Æquoris, Europam Libycis quod partit ab oris.
Vrbs terris, pelagoq; potens, quæ brachia quondam
Vsque ad Sauromatas, vsque ad Cypri arua tetendit.
Nunc quoque in Ægæo Chium tenet: Apennini
Partem habet à Varo longe vsque ad flumina Macræ
Porrectam, à Gallis vsque ad Tyrrhenida gentem.

Virgilij natale solum: cui præsidet ingens
Bellorum ductor, nulli cessurus in armis
Franciscus Gonzaga Ducum caput Ausoniorum,
Hic operam nauauit in hoc certamine grandem:
Liuor abi, quantum Tydeus Cadmeia circum
Mœnia: Pelides Phrygij Simoentis ad vndam.
Ventum erat in vallem, quæ nomina ducit ab amne
Portifera, Genuæ & vasto loca proxima Ponto.
Hic magnis certatum animis, & sanguine multo
Abluit hos montes sæui violentia Martis.
Heic praclara ducum virtus, & fortiter acta
Ac duri laudem egregiam meruere labores.
Sed neque in his virtus tua Pallauicine periclis
Antoni sopita fuit: sed agebat Vlyssem
Consilio & lingua, quoties opus esset Vlysse:
Ibat in aduersos hostes, & agebat Achillem
Hastili & gladio, quoties opus esset Achille:
Et Regi officium vigil impendebat vtrumque.
Gallica vt accepit Proteus resonare per altum
Classica, Tyrrhenas totum pecus egit in vndas,
Et virides, quæ rubra legunt corallia, Nymphæ,
Delituere diu subter caua Tethyos antra:
Tethyos, albentes nando quæ porrigit vlnas.
Tunc orbus ductore Ligur, cùm cerneret hostem
In foribus, iamque ad muros accedere Regem
Intrepidum, summo montis de vertice pulso
Præsidio, quid agat nescit, trepidare, suíque
Incepit tædere ausus, & ponere fasium.

Mittun

Ipsa mari similis, fluctus quod surgere in altos
Sæpe solet: gaudet crebros excire tumultus.
Quòd si concordes agerent sine litibus annos,
Induti Venetorum animos, res publica maior
Non foret. Exercent odium immortale: sepulti
In rixis vires, & opes, & tempora perdunt.
Hos igitur paucis traxit furor ante diebus
In noua bella. patres populus submouerat vrbe
Caussatus fastum immodicum, moresque superbos.
Mœnibus exacti patres, ad regia tendunt
Limina, restitui in patriam propriosq; Penates,
Atque premi populum orantes tam imane furentem:
Namque opibus primum ablatis incendia in ædes
Miserat, & totam Furijs subuerterat vrbem.
Annuit his precibus Regis clementia caussam
Suscipiens, tantasq; parat componere lites.
Missi oratores igitur, qui flectere plebem,
Et sedare animos studeant, furta atque rapinas
Restitui, recipiq; patres in mœnia curent.
At postquam frustra multumq; diuq; monentem
Recta, videt seq; à populo falli, atque refelli:
Indignum ratus est tam immane relinquere, multum
Tam crudele nefas, & non adsistere passis
Damna tot, & tam magna sui dispendia honoris,
Suscitat ingentes animos, & regia corda,
Vt leo qui longo latratu incessitur. ergo
Arma mouet, gentemq; parat frenare superbam.
His Ligur auditis, tanta est audacia cordi,

Vsque adeo furor insanit, molimine magno
Accingit pugnæ, & certus non cedere cunctos,
Festinant munire aditus. vrbana iuuentus
Cogitur, armatisq́ ruunt in mœnia turmis,
deriæ rupes, & ab altis oppida saxis
Concurrunt: veluti quoties sub sidere Cancri
Soluitur acris hiems, lapsi de montibus amnes.
Proxima præcipiti rapiuntur in æquora cursu.
Iamq́ ingens erat in castris exercitus hostem
Exterrere potens. sed quid ratis orba magistro
Remigio, quamquam valeat, molirier ausit?
Dux deerat: quem si casu fortuna dedisset,
Longe anceps euentus erat. certaminis huius.
Non aderat Fulgosa domus, nec Adorna propago:
Factio quæ duplex Genuæ intra mœnia semper
Alternis regnare solet, populumq́ue tueri.
Vt memorant Graium annales, Lacedæmone quondam
Nos erat iste. duæ gentes in mœnibus vnis
De solio regni semper certare solebant.
Belliger aërias iam rex transmiserat Alpes,
Italiæ in campos: vbi descensurus in æquor
Adriacum, flexo Padus it per pascua cursu.
Ex Italis sese Regi iunxere Salassi,
Itaq́ fulgentes ducens Insubria turmas.
Atque vrbes, quæ nomen habent à monte Feraci:
Has Padus à Borea, mons Apenninus ab Austro
Terminat. & Mutinæ princeps, qui mittit in vndas
Adriacas regni fines. tuq́ue inclyta Manto

Mittitur orator pacem, veniamq́ue rogatum
Innocuæ ſaltem ætati, populoq́ minori,
Et nuribus, ſenioq́ graui. ſe in regia mittunt
Brachia: ſe dedunt Regi: regaliter omnes
Suſcipiat, cum fletu orant, atque arma relinquunt.
Interea triſti proſtrata Liguria caſu
Luget, & atrati exſpectant aſperrima ciues
Imperia: vt ſubitò erumpens poſt fulgura fulmen
Exſpectare ſolent nautæ, cùm turbine nigro
Sæuit, & iratum pelago tonat vndique cælum.
Miſſus vt expoſuit populi mandata rebellis
Nuntius, afflictam Rex clementiſſimus vrbem
Ad ſua proſtratam veſtigia cernere viſus,
Viſus & infantum voces audire, parentum
Singultus, populiq́ omnis ſuſpiria, & altos
Cum lacrymis gemitus, tenſasq́ue ad ſidera palmas:
Languit, & pietas fecit placabile pectus,
Et prior in dulcem euaſit truculentia vultum.
Rex Genuam vicit, vicit clementia Regem,
Et victor victus fuit. laudabile vtrumque.
At vinci pietate opus eſt diuinius: armis
Vincere regale eſt. victori gloria. victo
Gloria danda: minor victori, maxima victo.
Quæ leuitas vobis, quæ tanta inſania veſtra eſt,
Rex ait ô Ligures, vt compeleretis ad iſtos
Transmigrare locos à finibus vſque Britannis
Gallorum regem: qui vos pietate paterna
Proſequitur: qui vos veritus turbare reliquit

Hactenus in manibus vestris mare, litora, & vrbes.
Verùm agedum. satis impensas moliminis huius
Pendere. sit populus quicquid peccauit inultum,
Parcimus ætati teneræ, populoque minori,
Et nuribus, grauibusq́ annis, & denique totam
Soluimus his hodie coram ductoribus vrbem.
Dixit, & adspectu subijt tentoria læto.
Adspice qualis in hoc animi moderamine virtus
Fulgeat: in priscis non est heroibus vllum
Par huic exemplum. Romana diaria volue,
Græcaq́. Romani nónne euertere Corinthum,
Atque Numantinas arces? Carthaginis illud
Tam sublime decus flammis vltricibus arsit.
Arsit & in Phrygia Priami domus, atque superbum
Ilium, & ardentis nocturna incendia Troiæ
Tangere visa polos, & lambere sidera flammis.
Nobilius certe est, & magnificentius vrbes
Vincere parcendo, quàm eradicare furendo.
Hi Celtis mores: hæc indulgentia Gallis.
At neque quod victam Rex ingressurus in vrbem
Inscriptum chlamydi generosum insigne ferebat.
Prætereo: quando id cunctis memorabile sæclis.
Ibant ostrati proceres, longoq́ equitatu
Læta suburbanos implebant agmina vicos:
In medio Rex victor equo sublimis in alto
Murice conspicuus, rutilanti splendidus auro.
Signabatur apum sparsim toga tota figuris,
Cumque apibus regnator apum fulgebat in ostro

Pictus acu, scriptumq́ notis epigramma Latinis:
Rex mucrone caret. quo significare volebat,
Rex pius & clemens qua mente intraret in vrbem,
Quóue animo debent populis conuiuere Reges.
Viuite felices igitur sub principe tanto
Insubres, Liguresq́ simul: neu quærite vestrum
Amplius interitum. sub Rege quiescite sancto,
Ponite præteritis iam finem affectibus: ista
Tempestate Deus vobis hæc ocia fecit.
Quòd si forte aliqui latrent, persistere in isto
Cardine res non posse diu: compescite linguas,
Cordaque, & hanc alto curam permittite cælo.
Sunt quædam quæ quisque potest: vt scindere terram,
Mercari, curare domum. cælestia quædam
Sidera, & in rebus latitans natura gubernant:
Vt frondere nemus, campos herbescere, fruges
Maturare, gelu, ventos producere, & imbres.
Sunt quoque quæ populi possint: vt condere leges
Castigare malos, & ponere præmia laudi.
Sunt quædam seruata Deo, quæ ponere solus
Et mutare potest: vt dispensare coronas,
Et reges dare, qui paci dominentur & armis.
Ponite mortales curam de regibus omnem,
Neue Dei officium nixu vsurpate superbo.
A Superis veniunt, quales humana videtur
Poscere conditio. labuntur ab æthere Reges:
Vt Saul & Dauid: numquam sine Numine fiunt.
Quòd si contingat discordia regibus vmquam,

Quæ fuerit belli arbitrio dirimenda duobus:
Bella erat miles: priuata negocia ciues.
At neque Gallorum pudeat sub legibus æuum
Ducere, & imperio regis parere Loisi.
Gallia de primis immensi gentibus orbis
Vna fuit semper: Galli domuere Latinos,
Pannonas, & Gaios: Asiatica litora Galli,
Quos Galatas dicunt, pertransiuere fugatis
Inde Gomeritis: gens Gallo græca vocari
Cepit, & est Phrygijs regio contermina campis.
At vicina magis sæclo si tempora nostro
Vestigare velis: Gallos Hispanica regna
Inuenies à Gætulis à gente Libyssa
Asseruisse. siti bellis Orlandus in illis
Arruit, vt fama est. & erat tum Gallia sub te
Carole magnorum domitor fortissime regum,
Qui Magni cognomen habes: quod Græcia regi
Contulit Emathio, ciui Mauortia Roma:
Qui maris & terræ bellando exterruit orbem,
Tu Longobardos, tu Saxonas, atque Triballos
Marte domas, læsam annixus defendere Romam.
Inuenies Pipinum etiam, genitore creatum
Carolo, in his oris longos regnasse per annos.
Galli etiam domuere Syros, domuere Sabæos.
Et Solyni illustrem regni gessere coronam.
Adde quod antiqui posuerunt mœnia Galli
Plurima in his agris: fuit heic quoque Gallia quondam,
Alpibus à gelidis vsque ad superi maris vndas.

Tu quoque quæ media retines cognomina Lanæ,
Vt perhibent veteres, tua qui incunabula norunt,
Gallica es, & Galli tibi fundamenta dederunt
Iacta duos amnes inter: quorum vnus ab ortu,
Alter ab occasu labens tua terminat arua.
Regem autem de gente tua, de stirpe tuorum
Descendisse ducum fama est vulgata Loisum.
Ac iustè, quando est hæres, succedere regno.
Si verò, quantum valeat pietate, vel armis,
Quæsieris: non hac solum ditione, sed orbis
Imperio dignum inuenies. prudentia certat
Iustitiæ: grandes animos, & fortia corda
Vincere molitur virtus: cui nomina fecit
Temperies. adiuta istis quasi quatuor alis
Mens rapitur supra humanæ fastigia vitæ,
Et subit heroum fines: quos prisca vocabant
Sæcula semideos. cælestificatur in horas
Amplius, & Diuis sese immortalibus æquat.
Desine scrutari quæ magnificentia, qualis
Relligio, & superos imitans clementia Diuos.
Expediam paucis: Regem coguntur in vnum
Quatuor, Augustus, Titus, & pater, & Traianus.
Cæsar vt edomuit Gallos, deuicisse putauit
Se totum terrarum orbem: quia cuncta videbat
Cætera, si ad Gallos spectes, imbellia regna.
Quòd si Romanos quondam fortuna leuauit
Altius & Graios: hoc non obscurat honorem
Galliæ, & egregiam laudem: quæ in longa propagat

Sæcula

Secula se, & grandem ramos extendit in vmbram.
Hac Deus in gentes dispensat dona vicissim
Vt libuit, non pro meritis. quid Persia quondam,
Quid Scytha, quid Medus meruit? quid Barbara Memphis
Dedita Dis Stygijs, subiecta procacibus vmbris?
Quid meruere Gothi, gens illaudata? quid Hunni,
Vandali, & atroces Mauri, infrenesq; Sueui?
Regnauere tamen. sic alternantibus astris
Res hominum, rerumq; vices: nec quærere caussas
Fas alias, regit exlegi Deus omnia nutu,
Et cælo, & terris lex est diuina voluntas.
Est aliud, quod vos opus est aduertere: magni
Quandoquidem res momenti est, & mente sagaci
Perpendenda, bonos perimat ne incuria mores.
Ausoniæ gentes, verum mihi dicere fas sit,
Natura diuisæ, animis in litibus omne,
In rixis, bellisque trahunt ciuilibus æuum.
Infensi Venetis Ligures, Insubria Tuscis,
Tuscia Campanis, Latio Campania, Daunis
Græcia magna, Vmbro Samnis, Picentibus Vmbri.
Vrbs vrbi, vicus vico, gens æmula genti:
Et domui domus, & nurui contraria socrus.
Mille simultates vna intra mœnia certant.
Nec sedare animos, nec ducere fœdus in vnum
Vlli hominum fas est: odia immortalia regnant,
Atque homines pariter dominandi ardore feruntur,
Vsurpantq; magistratus, fiuntque Tyranni,
Iuraq; regnandi caussa regnare decorum

Esse

Esse putant: sancta hæc docuit stratagemata Cæsar.
Hanc quoque Lethæam patitur Germania pestem.
Scinditur in partes: studia in contraria turpi
Dissidio rapitur: nec sentit currus habenas.
Hinc opus est illos aliquo grauiore teneri,
Ac subigi imperio: nec libertate potiri:
Quæ vitio gentis corrupta, licentia paruo
Tempore fit, pariens cædes, incendia & vsque ad
Templorum venit incestum, domuumque ruinas.
Altera conditio Gallis præstantior: omnes
Deposito regnandi animo concorditer vnum
Suscipiunt Regem: parent concorditer vni:
Sicut apes, quas humanæ natura creatrix
Finxit in exemplum vitæ. nam quæ sua regum,
Hoc ratione carens animal, reuerentia monstrat,
Quod nondum pleriq; hominum didicisse videntur.
Ast hic apud Gallos mos obseruatur ad vnguem.
Nec quid seditio, quid sit discordia norunt.
Adijce quod nulla est gens relligiosior. omnes
(Non ignota loquor, nemo est qui nesciat) omnes
Mane susurrantes tremulis altaria labris
Circumstant, & emunt auro libamina multo:
Quod nostri ridere solent, & pendere parui,
Vt qui sacra minus delubra, & Numina curant.
Vos ergo Ausonij, quos vel disglutinat vlla
Factio lethalis, vel momentanea semper
Commissura ligat. Deus omnibus arbiter æquus,
Vos inquam, velut infantes dedit erudiendos
Gallorum

Gallorum generi, vobis exempla daturo
Optima viuendi, fastumq́, odiumq́ domandi,
Ac maiore Deum studio, Superosq́ colendi.
Qui faciunt pluris Superos, diuina Deumque,
Mortales alios debent præcedere, leges
Ferre, magistratus legere, & regnare per orbem.
Est etiam quod non debent aduertere tantum
Ausoniæ gentes: verùm & Germanica regna,
Et quicumque sacrum tetigerunt vertice fontem,
Turcorum impietas nubes Acherontis opaci,
Quæ duce Nestorio quondam Nabathæa per antra
Exijt, æternis vt solem inuolueret vmbris,
Debet agi Stygiam in noctem, nigrumq́ sub Orcum.
Dorica gens implorat opem: Byzantia luctu
Mœnia significant, cum Trapezunte dolorem.
Hæc ea, quæ nostris sunt vsurpata diebus:
Quæ verò fraudem antiquam, veteremq́ rapinam
Sunt perpessa: gemunt altum, Genijque locorum
Sollicitant Superos pro libertate suorum.
Magnus ab Assyrijs auditur ab vsque Damasco
Clamor, & à tota sacri regione sepulcri:
Clamor ab Armenijs, à Medis, à Nabathæis:
Clamor ab Ægypto: renuunt ea regna teneri
A Machometeis, cupiunt ad vera reuerti
Numina, & auxilium nostris à Regibus orant.
Nostri autem Reges populis rixantibus omne
Tempus, vt exstinguant bella hæc intrinseca, perdunt.
Sic sparguntur opes: sic vis elabitur omnis.

Grande nefas opus hoc sanctum, quod pendere nostro
Debent regna Deo, studijs tardare malignis,
Priuatis turbare odijs, obstacula tantis
Obiectare bonis, sesequeopponere Christo.
Tanta hæc improbitas, tanta hæc insania firmat
Rem Machometeam, Stygioq; inseruit Auerno:
Cui studium latè Turcorum extendere gentem.
Nostrorum quoties Regum audiuere tumultus
Bella Cappadoces, Phygij, Cilicesque, Syrique,
Atque alij, quibus impietas Machometica cordi est,
Exsultant: sibi promittunt tutissima cuncta.
Non secus ac pecudes, quæ tum securius agros
Pascuntur, cùm forte lupos in mutua bella
Aduertere rapi: nec agendæ incumbere prædæ.
Cùm nos arma premunt, rident ea Barbara regna,
Votaque suscipiunt, Superosque impensius orant,
Vt nostræ lites æterna in sæcula tendant.
Regum autem, quibus hæc magnæ prouincia molis
Ingruit, hic primus: cui sunt latissima regna,
Cui fidei Zelus, cui tanta opulentia rerum,
Cui Deus & cæli sunt omnia sidera præsto.
Hunc igitur vexare nefas. cum Cæsare tandem
Et reliquis, quorum Christus præcordia tanget,
Bella hæc ingenti claudet suscepta triumpho.
Sacrosancta canunt nostrorum oracula vatum
Venturum ex Gallis regem, qui nauibus altis
Nauiget in Syriam, Solymasque adscendat in arces
Victor, & asserto statuat noua regna sepulcro.

Est alius languor, quo res Romana laborat
Haud minimum. Nam temporibus generalia certis
Concilia, vt leges perhibent iteranda, videntur
Desita, & omnino nostris exstincta diebus.
Hæc autem sancti patres celebrare solebant
De fidei rebus, de relligione loquentes,
Deque reformandis toto mortalibus orbe.
Vt cessit labor iste, malis data moribus ampla
Ianua, & ingresso facta est ecclesia Ponto
Atra palus, vbi nant angues, vbi rana coaxat.
Fac redeat mos iste: simul collapsa redibunt
Priscorum decreta patrum: sanctissima vitæ
Disciplina. velut pratum, quod temperat vnda
Opportuna, feret frugum incrementa bonarum.
At quia tam latè regnat discordia, tanto
Tempore, dum reges aduersi regibus, vrbes
Vrbibus, incendunt bellis flagrantibus orbem,
Concilijs non est istis locus: altera mentes
Cura trahit nostras, quæque esse potissima debent,
Vltima sunt studia, atque modis eludimur istis.
Heu damnum fidei graue, & irreparabile: Christi
Dedecus incurrit tam detestabile regnum.
Huic operi pulso tandem Mauorte vacandum.
O populi, ô reges, retro sublapsa refertur
Cymba nimis. Christi domus inclinata ruinam
Significat. primæ tanta sub mole columnæ
Iam cedunt oneri: nec sustinet ostia cardo.
Vos autem Insubres animos componite: pacti

Indulgete.

Indulgete. bonis quæ fert iustißima tellus,
Quæ Deus impertit, sancto sub Rege fruendum.

FINIS.

BAPTISTAE MANTVANI AGELARIORVM LIBRI SEX, AD CONSALVVM FERDInandum Agelarium, ducem inuictißimum.

LIBER I.



Mnia quæ volucri fugiens vertigine mundus
Circuit (omnipotens ita res discriminat Auctor)
Accipiunt mortalem habitum, sensimque fatiscunt.
Hæc ea quæ à primo cæli labentia motu
Tempora mensurant, & quæ sua terminat ætas.
Si tamen inspicias rerum incrementa nouarum,
Tam validum dum crescit opus, genus omne futurum
Immortale putes, & nil debere sepulcro.
Hinc fetura recens ignara volatilis æui,
Et spe elata, cauas Plutonem extendere fauces
Non videt: ac vitam ad Manes iter esse sepultos.
Ast vbi iam fortes sobolem prouexit ad annos,

Extemplo mutata grauem natura nouercam
Induit, atque odijs prolem insectatur adultam.
Deperit ex vultu roseus decor: aspera sulcat
Ruga cutem: fuluo quondam coma concolor auro
Accipit inualidæ canos insignæ senectæ.
Nec tamen est cunctis eadem mortalibus ætas.
Nam Deus in lucem cùm res produceret, æuum
Protulit & tempus. dedit immortalibus æuum,
Ambrosia innectens illi caput, atque amarantho.
Occiduis tempus, diuisum in sæcula & annos,
In menses fusum atque dies: quod imagine numquam
Cernitur integra: sed pars abscondita semper
Quæ sequitur: quæ verò abijt, vestigia tamquam
Somnia quarundam rerum peritura relinquit.
Et subiecta tribus fecit mortalia Parcis.
Sunt quæ stare diu neget Atropos. ista seuero
Mors atrox premit ingenio, raptimque sub vmbras
Corripiens elementa diu coeuntia soluit.
Id flores herbæq; docent, quas parturit æstas:
Quas abradit hyems glacialibus aspera ventis.
Sunt medium sortita modum, quæ mitia fata
Esse diu, pluresq; sinunt se extendere in annos:
Quale genus fruticũ: quale est pecudumq; ,hominumq;,
Et quæcumque natant vada cæco abscondita Ponto.
Sunt quibus ætatis dederint longissima Parcæ
Tempora concordes: qualis vita illa parentum
Ante maris primam illuuiem, cùm sera propago
Mirabatur auos, & anus tot sæcula natas:

Ceu

Ceu veteris regna illa Nini, quæ protulit vxor
Longe vsque ad fines armata Semiramis Indos.
Vt Romæ imperium, quod adhuc, licet imbecillum
Atque exsangue, manet, bis denaque sæcula vincit.
Diui immortales, Deus immortalis, & ipsum
Immortale Dei cælum domus, axe citatum
Perpetuo, æternisq́ polis sine tempore fertur.
Progenies nonnullæ etiam transmittere semen
In longos potuere dies, rerumq́ videre
Occasus ortusq́ alios aliosq́: ruinas
Regnorum, antiquas vrbes concedere fatis:
Ebullire alias: terrarum motibus amnes
Hos cessare, illos nasci, mutata profundi
Litora. tanta ferunt æterno sidera cursu.
Vsque sub infelix Maxenti Cæsaris æuum
Se tulit annorum locuples, ditißima vitæ
Gens antiqua Lagi, Pharias dominata per vrbes.
Laomedonteæ soboles Priameia gentis
Vsque ad regna Titi longam extendisse senectam
Dicitur, & molem immensam cumulasse dierum.
Gens vetus Æneadum finem sortita, Nerone
Ad Stygios amnes, & ad infima Tartara pulso,
Fertur, vt excussa lauri nemus aruit vmbra.
Vna ingens domus heroum Lacedæmone nata,
Passa iram fortunæ omnem, passa omnia cæli
Quæ sunt cruda viris atque inuida fortibus astra:
Qualia quæ magnum Alcidem, quæ Bellerophontem
Æsonidemq́, Ithacæq́ ducem tot casibus actos

 Attriuere

Attriuere diu: superest, & clara potensque
Floret adhuc missa Europam propagine in omnem,
Fundamenta illi sic inconcussa, pedemque
Tam solidum magni statuit Dominator Olympi.
Me longæua virum recolentem sæcula, & annos,
Ac generis pene æterni longa inclyta fama
Tot decora, & titulos paucis memorare volentem
Tu rege, qui sancto facis ac regis omnia nutu,
Summe pater, nec enim fas est sine Numine talem
Ire viam, & sulcare breui vasta æquora cymba.
Et quamquam valeant à te hæc aliena videri,
Vt pote quæ infami sub relligione Deorum
Facta, sub incesti Iouis infelicibus annis:
Tu tamen Auctor eras, moderãs terrã, æquora, & astra,
More tuo, terrisq́ sinens illudere Manes.
Nec labor oblitus laudum nouus iste tuarum est.
Namque vbi tempus erit rebus miscere profanis
Sacra, tuum numquam decus immortale silebo.
Non ego Phœbeus vates, nec Delphica noui
Limina, nec tripodas, nec puluerulenta recepi
Ex nigris responsa adytis. sequor ipse trif.rmem
Pane litans vinoque Deum, cœloque Tonantem,
Ad Christum Stygio Musas ab Apolline duco.
Sparta vetus, terræ Pelopis pars magna, Laconum
Regia, quo quondam famæ splendore per orbem
Claruerit, nescire nequit qui legerit acta
Inclyta Græcorum, magnæque incendia Troiæ,
Ac res Thebanas, & clara Agamemnonis arma.

Fama refert Agesilaum de sanguine magni
Herculis, in toto qui monstra coercuit orbe
Deriuatum: illic circumstantesque per oras
Imperium tenuisse olim, primosque tumultus
Sustinuisse ducum Persarum in Graeca ruentum
Littora per Lelegas, Halicarnassensiaq; arua.
Ipse etenim Graios animo prudentia & ore
Praecellebat, vti volucrum regina columbas:
Vt leo Marmaricus reliquarum armenta ferarum.
Huius regna armis, opibusq; potentia longo
Tempore, fortunae tandem subuertere visum est.
Et quamquam alternis duplex regnaret in vrbe
Factio, ab Alcida tamen vtraque venerat vno
Atque eodem geminae exierant de sanguine partes.
Sic coeptis inuenta via est. Rex inclytus armis
Antigonus post Magni obitum Macedonica adeptus,
Sceptra graues iras contra Lacedaemona claram,
Et Galatas sumtis bellando exercuit armis.
Spartanis infensus erat: quia gloria semper
Inuidiosa malas mentes, & liuida acerbat
Corda hominum, quibus est virtus aliena flagellum.
At Galatis: quia praecipiti temeraria nixu
Ausa erat Emathios ea gens incurrere fines,
Contriuitq; vtrumque genus. qui cladibus illis
Functi euaserunt: sedes mutare coacti,
E patrio fugere solo, freta lata secantes
Per Libyae fines, per regna Asiatica fusi,
Vt fortuna tulit, ventoq; obnoxia Tethys.

Tunc Agesilai duplex de gente propago
Spartanas curabat opes, & regna, Cleomnes
Et Leonicus: ab his & pax, & bella duobus
Pendebat. maior natu capta vrbe Cleomnes
Fugit in Ægyptum, mortemq́ incurrit acerbam:
Sicut & oppressus fato Pompeius iniquo.
Alter vt Ausoniam peteret sua carbasa ad Eurum
Soluit, agens profugos peregrina in litora ciues.
Nam plerique viri captæ ex primoribus vrbis
Elegere pati potius cum principe iusto
Exsilium, quàm turpe iugum tolerare sub hoste.
Vixque Corinthiaco classis depulsa Lethæo
Cœperat ire viam, cùm lapsa per æquora cymba
Litore ab Ætolo, magnis clamoribus orat
Reliquias Macedum Gallos, qui rura tenebant
Proxima litoribus, recipi, latumq́ per æquor
Transferri quocumque velint fors, Numina, & astra.
Mox igitur casus moti paritate Lacones
Frenarunt classem, missaque ad litora puppe
Accipiunt miseros, iterumq́ prioribus Euris
Carbasa dant. & iam classis cursu acta secundo
Transierat Patras, vicinaq́ rura Triunti:
Tunc acies vertens ad Chaonis arua Nicanor,
Vt nitidos montes, & summa Ceraunia vidit
Nullas ferre iugis nubes: gaudete Lacones
Protinus exclamat: sine tempestate silebunt
Æquora, feliciq́ diu gaudebimus aura,
Hic puer ad Persas Sparta translatus & Indos,

Vt sua fata ferunt homines, arcana magorum
Eusdicit: factus mantes, non aëra solùm
Nouerat, ast linguas etiam Diuum, atque volantum:
Qualis Tiresias, qualis fuit Amphiaraus.
Cecropijs autem Polemon versatus Athenis
Inter Socraticos, & rura academica cernens
Æquoreos fluctus placido gestire sub Euro,
Et quodam veluti claudo proserpere gressu:
Ecce ait ô comites, salis inconstantia sortem
Humanam fert ante oculos. vt pellitur vnda
Succedente prior, nec habent freta lubrica pacem:
Sic labor exemplo sequitur sine fine laborem,
Nullaque luctificis transit sine casibus ætas.
Sic ait. inuitati istis Gallusque, Laconque
Præloquijs ora in varias soluere loquelas.
Prosperitas maris, & cœli, rerumq; nouarum
Quas volucri via cursu aperit, spectacula mœstos
Exhilarant animos: memorant genus Æacidarum
His solitum regnare agris, Heleniq; receptos
Hic comites olim post victæ incendia Troiæ:
Andromaches narrant populis fecisse Molossis
Nomina, progeniem, Dodoneasq; columbas,
Quæ hospitibus responsa ferant, quercusque loquentes.
Tunc sic Herculeus fari Leonicus, & omnes
Incipit hortari socios, ac talibus infit.
O comites, cùm vos animum subit esse Lacones,
Ac Spartæ genitos: vbi fert ingentia virtus
Corda ipsis etiam nuribus: contemnere casus

Vos reor aduersos, atque infortunia ferre
Fortiter inuictisque animis, ac more parentum:
Dulce tamen quid sors alijs quoque gentibus olim
Attulerit meminisse: nouum ne forte putemus
Quod fortuna viros peregrinum inuisere mundum
Magnanimos adigat: vetus atque ab origine rerum,
Quando recens hominum tellus animata recepit
Effigiem primum, sors hæc peruenit in orbem.
Namque aliæ ex alijs gentes regionibus ibant
Quo sua fata dabant. nati sub montibus altis
Armeniæ (nam rura homines habitasse feruntur
Illa prius) Nili ad ripas, ad Cyniphis amnem,
Ad vada Mæandri, prope Thermodonta locabant
In nuda tellure Larem, circumque ferebant
Pignora connixæ sitienti in puluere matres.
Nulli certa domus. patria in tellure sepulcrum,
Natalive solo nullis erat: vltima semper
Cura sepulturæ, cùm mors incumberet ori.
Maxima terrarum pars desolata, nec vlla
Mansuefacta manu, sola atque ignota fuisset,
Ni soboles heic orta alias migrasset in oras.
Præsertim postquam montes absorbuit altos
Antiquo pelagus sub Deucalione profusum:
Siue sub Ogyge, qua tempestate marinos
Latius extendit fluctus Neptunia Doris.
Túm sobolis partem mox vt venisset ad annos
Pubis, vt implerent terras & inania rura,
Mittebant noua quæsitum sibi regna parentes.

Tum ratibus tentare fretum, perdiscere ventos,
Obseruare polum, stellis imponere nomen,
Exiliumq. pati genus est mortale coactum.
Conditio communis ea est: non nascimur vni
Aut Spartæ, aut Asinæ, terrarum nascimur orbi,
Terrigenæq́. sumus: tellus patria omnibus vna est.
Thebani venere Tyro : Sidone profecta est
In Libyam Dido: Solymos Babylonia misit.
Maßilij Phocense genus. quibus aspera Pisæ,
Elideue est alijs melior fortuna sub astris.
At quia vicini saltus, vbi fama volucres
Esse Ioui sacras, scitari oracula sanctum:
Et nobis fatale solum patriamq́. futuram
Discere: flectendos Epiri ad litora cursus
Censeo, & à magnis sumenda exordia Diuis.
His dictis animati omnes, clauumq́. magistro
Inflectente latus leni ratis obijcit Euro,
Et qua tuta vadis via, terræ allabitur altis.
Pone legunt aliæ puppes, prorisq́. teguntur
Litora. continuo Galatæ & Spartana iuuentus
Prærupido in steriles saltu effunduntur arenas.
Protogenes, cui longa quidem si videris annos,
Firma tamen, nec adhuc vires oblita senectus,
Vnus erat comitum, miles bonus ore manuq́.
Ipse locos omneis quondam lustrauerat: ipse
Viderat & Tomaron: Tomaron, cui viscera lympis
Humida perpetuis, & fontibus inclyta centum.
Sæpius acceptum bella inter Persica fortes

Venerat

Venerat huc patria orator Lacedæmone missus.
Hoc duce cum paucis rupem Leonicus in altam
Scandit: vt in summos æquata cacumina cælo
Euasere apices: oculis legit æquora longe
Versus ad Auroram, patriæs qua liquerat oras,
Et quamquam exsilium virtus heroica grandi
Mente ferat, pietas tamen intima pectora pulsat.
Terram animo voluunt, bimares quæ tendit in vnda
Persimilem folio platani, caua litora propter,
Et sæpe in sese finibus redeuntia crebris.
Quo nequeunt oculorum acies attingere: pergunt
Vota virum, spectantq́ animis ardentibus omnem
Spartam, vrbesque alias. recolunt caput Acrocorith
Cyllenen, & Parthenium, longeq́ Maleam
In freta currentem: Scyllæ de nomine dictum
Scyllæum, qua fama refert ad limina Ditis
Esse per antra viam nigros adeuntia Manes.
Hyrminæ meminere iugum: meminere propinquum
Taygetum Spartæ: cuius pendentia in vrbem
Saxa ferunt olim grandem traxisse ruinam.
Omnia luminibus, quasi sint subiecta, tuentur
Mente loca, & notæ cælum regionis adorant.
Sic ergo affectis patriæ dulcedine terræ
Ora madent fletu, surgunt suspiria ab altis
Pectoribus, patriamque iterumq́ iterumq́ salutant.
Mox iter vmbrosam in vallem declinat opacum
Per nemus ilicibus densum, perq́ inuia lustra.
Iam subeunt quercus siluam Iouis: vnde volucres

Respondere solent. haec sunt quae quaerimus, inquit,
Protogenes nemora, & magno loca sacra Tonanti.
Omnes extemplo sacris proni oscula figunt
Quercubus, & voce hac Numen Leonicus adorat.
Iupiter omnipotens, quo caeli sidera nullum
Numen habent melius: tanta infortunia postquam
Ferre iubes, & vis aliena in regna Lacones
Ire tuos: aequa exsilium mente omne feremus:
Sed tamen extorrum miserere precamur, & oras,
Quo nos fata vocant, profugis ostende, viamque
Da facilem: da sancte Pater: tua sola sequemur
Auguria, &, qua nos dederis consistere terra,
Templa aeterna tibi, & sollennia sacra dicabo,
Saecula quae nostri seruent in longa nepotes.
Huc ades, inque auium sanctas illabere mentes.
Sic ait. Ecce fragor volucrum per inane volantum
Ingruit, alarum plausu strepit aura, subintrant
Iam nemus, & vox haec per lucum audita silentem.
Magnanimi ciues Pelopis saluete Lacones,
Tuque nepos nostri Alcidae Leonice Deorum
Progenies: patrio quamquam de litore pulsi,
Non tamen inuisi Superis. tibi fata secundum
Dant iter ad Gallos: Galatas ibi sistere mando,
Et patrio residere solo: transire Pyrenem
Hesperiam cum gente tua te sidera cogunt.
Vade alacris: statues illis regionibus vrbem
Haud minimam: tua posteritas foecunda virorum
Visura Oceani fluctus, visura Britannos,

Visura

Visura Italiam: magnaeq; simillima viti
Radices missura procul ramosq; comantes
Nomen aui referet: vulgoque vocabitur olim
Semen Agelarium, cognomina clara per omnem
Hesperiam, qua fuluo vndam Tagus inficit auro:
Clara per Italiam, Gallos domitura, Calabros
Defensura Lares, & regna Neapolis olim.
Ite, & fatales dextro Ioue quaerite terras.
Haec vbi dicta, refert grates Leonicus, & ore
Ad volucrum voces & opacae culmina siluae
Verso ait. ô magnum sacra quod in alite Numen
Audio: iam nullum nobis amissa dolorem
Sparta feret, quando tua summa potentia certam
Spondet opem. quidquid dederis, Lacedaemone nobis
Maius erit: melior nobis mille vrbibus vnus
Iupiter: ô profugam Genitor ne desere gentem.
Haec ait, atque viam carpunt ad litora laeti,
Atque alacres: sociosq; docent oracula Diuum.
Mox sumtis de more epulis, ducentia noctem
Sidera languenti presserunt lumina somno.
Lucifero surgente dies albescere ab ortu
Coeperat, & clauso Boreas successerat Euro.
Se accingunt operi nautae, & concorditer omnes
Vela trahunt, faciuntq; pedem. nauarchus Aristo
Neptunum, & ventos, & sidera doctus, in alta
Puppe sedens inter Lilybaeum & Punica regna
Vertit iter, fluctusque equitant Aquilone sereno.
Ecce procul, quantum se acies extendere possunt,

Igneus apparet per prima crepuscula candor,
Flammicomumque iubar. proceres ad lumina versi
Plurima coniectant: sunt qui Lunam esse cadentem,
Cornua quae nondum duodeno impleuerat ortu:
Sunt qui fatidico dirum fulgore cometam
Affirment. ignes alij magis esse putabant,
Quos solet ad caulas vigilans accendere pastor.
Talibus attentas adhibens sermonibus aures,
Vt tandem inualido vidit contendere nixu:
Illi ignes nauarchus ait Dux magne Laconum,
Qui procul ad dextram rutilant in nubibus, Aetna est:
Aetna dies noctesque ardens. spectacula Pontus
Nulla magis miranda offert: in finibus ingens
Mons Siculis apicem leuat vsque ad sidera, & intus
Aeternum ex imis voluit fornacibus ignem.
Hinc ad Stygios amnes, ad Tartara fama est
Ire vias: illic Manes audire fatentur
Indigenae: rapta est illinc Proserpina ad Orcum.
Heic Erycem vester genitor Tirynthius olim
Strauit. Eryx erat immani graue corpore monstrum.
Strauit, & Herculeam, famae si credimus, vrbem
Condidit, vt regnum heic domus Heraclea teneret.
Nec solum haec Siculis insunt miracula terris.
Hic Cyclopas quosdam, genus ore tremendum,
Vnoculo, caedis sitibunda animalia nostrae,
Inuenisse olim profugus narratur Vlysses.
Hi nisi membra ferant atra & procera, Gigantum
More, sati inter gryphes erant Scythicos Arimaspi.

Sunt

Sunt quoque qui memorent vstos Iouis igne Gig
Illic viuere adhuc, & sub tellure sepultos
Cùm tentant mutare latus, iuga & arua mouere:
Cùm spirare volunt, ignes accendere in Ætna.
Est breue, quod Siculos Rhegynaq; littora partit,
Æquor, in angustas fusum magno agmine fauces:
Sed graue naufragijs, monstrisque infame duobus.
Illinc Scylla canum latratu infesta carinas
Corripit in cautes, mersasque sub æquore rursum
Euomit: ac procul eiectas aduersa Charybdis,
Si maris exspirat fluct⁹s, longe eijcit inter
Luctantum fremitum vndarum: si glutit aperto
Ore fretum, sorbet, vastaq; voraginis antro
Claudit, & integras rapit vsque in Tartara puppes.
Territus audito terræq; marisque periclo
Heu fugito, Charippus ait, tam horrenda magister
Monstra precor: procul à Siculo preme litore clauum.
Di læui, Manesq; mali regna impia perdant.
Altior in sextam iam Sol peruenerat horam,
Prorupit cum verba iocans in talia ductor.
O comites fama est Superos accumbere mensis,
Et curare dapes, & nunc Ganymede ministro
Pocula, quæ quondam Iunonia miscuit Hebe,
Exhaurire Iouem, & cœtu gaudere frequenti.
Nos quoque mortales fas est exempla Deorum.
Magna sequi, & positis ire in conuiuia mensis.
Sic ait. extemplo famuli pœnus omne per altas
Expediunt puppes, fusiq; in murice & auro

Se exhilarant fuso nautas nidore per omnes.
Nec tamen interea sistunt iter: æquora prora
Scindit, & aura sinus onerans facit otia nautis.
Leucadiæ ex oculis rupes abit: Actia saxa
Diffugiunt: templa in nebulis sua condit Apollo.
Trans Adria vasta ora volant, fugiuntq́ vadosis
Infamem Sasona locis: vicina Pachyno
Æquora velificant: monti cognomina cælum
Pingue dedit, densaq́ grauis caligine nubes.
Apparent Libyæ montes, ceu nubila quædam
Plumbea. nauarchus famosa pericula Syrtes
Signat, & Arcadica dictos à virginē campos.
Hanc Graio genitore satam narratur Apollo
Compreßisse prius, mox alta in nubila raptam
Trans mare vectasse, & statuisse in montibus illis.
Monstrat & antiquas aras, quas fama Philænos
Construxisse refert inter confinia fratres.
Gallorum dux Celtus erat procerus, eburna
Cæsarie latos humeros vmbrabat, & ora
Candida: quem blandis affari vocibus orsus
Eudamidum princeps Grais astantibus inquit.
Maxime Gallorum ductor, quem fata peracto
Exsilio ad patrios cogunt remeare Penates,
Scire velim, nisi lugubres euoluere casus
Mens refugit, quæ sors (etenim sors omnia versat)
Vos tulit ad Graios, & tam longinqua coëgit
Arma pati, ac latum profugos errare per orbem.
Num victi bellorum aliquo fortasse tumultu,

Vt quoque nos, tam multiplices migrastis ad oras?
Sic Laco. tum cœtu præstante silentia toto
Gallus ait, caussamq; fugæ tali inchoat orsu.
Herculeæ gentis decus, & spes alta Laconum
Dulce mihi quæcumque iubes, non dicere tantùm,
Verùm etiam facere, atque pati. Nam sic tua virtus
Maxima de nobis merita, & de stirpe nepotum est.
Hi nostri errores, nostra hæc tam longa per orbem
Exilia, à nullo ducunt exordia bello.
Pax magis in caussa est: adeo fecunda malorum
Vita hominum, vt fiant non solum tristia, & atra:
Verùm etiam, quæ sunt bona præstantißima nobis,
Noxia, & euentu sint perniciosa maligno.
Nam dum pace omnis fruitur late vndique tellus
Gallica, tanta hominum soboles increuit, vt arua
Consita, & aßiduis cultorum exercita aratris
Pascere vix possent teneros cum matribus annos.
Propterea populis simul in commune vocatis
Concilium, missæ sortes, Diuisque litatum
Omnibus, & terga icta notis humana cruentis:
Consultæ volucres, exsta explorata per aras,
Et demum ex Laribus patrijs emissa trecenta
Millia trans Alpes, Italosq; infusa per agros:
Arua quod illius magis esse feracia gentis
Audierant, brumæque minus subiecta rigenti.
Congeries ea tanta virum, quia nulla per vnam
Copia sat poterat magnis dare sumptibus oram,
In partes diuisa duas: pars vna per Vmbros,

Atque

Atque per Etruscos, Tiberim, gentemque Latinam
Versus iens, circumsedit magno agmine Romam.
Regibus exactis solas pro principe leges,
Et consulta patrum liber Romanus habebat.
Fortibus heic bellatum armis: neu singula narrem,
Sola domus seruata Iouis, Capitolia molem
Immensam appellant, Tarpea in rupe sedentem.
Incendere vrbem Galli, spolioque potitos
(Sic alterna homines ludit fortuna) Camillus
Aggrediens prædam, captiuaque signa recepit.
Illi autem victi, atque inopes petiere Sicanum
Litus, & istorum pollens Dionysius armis
Ante fugam multa est terris molitus & alto.
Altera ad Illyricos iter ostendente volucrum
Augurio (namque augurijs gens dedita Galli)
Perueniens grandi armorum certamine victis
Pannonijs Istri gelidum consedit ad amnem.
Ast otij impatiens pubes durata sub armis,
In duo castra iterum, tamquam duo concita ventis
Nubila tempestatem, atram voluentia cælo
Mox abiens, petijt Rhodopen: per Thracia rura
Debacchata diu, nil non molita malorum est.
Brennus ad Ægæum ducens mare litora longe
Attica & arua graui exitio vastauit & vrbes.
Belgius Emathiam penetrans, cui Solis ad ortum est
Thracia: ad occasum Veneto contermina Ponto
Illyris: ad Boream Nestus, Pangeaque rura,
Pæoniumque solum: Peneus Olympus ad Austrum:

Sæuijt, omne solum ferro populatus, & igni.
Quæ domuit terras, Asiam quæ vicit ad Indos
Vsque: iacet tellus Gallorum afflicta furenti
Turbine. sic hominum spes lubrica, & irrita vota.
Fortunæ instabili sic est rota mobilis axe.
Sors Brenno blandita prius, mutata repente.
Audierat Delphis Phœbi illa immania templa,
Immensis feta esse opibus: qua Græcia, & omnes
Europæque Asiæque vrbes ad Apollinis antrum
Contulerant. Nam maiestas Fani illius ingens.
Auro igitur captus sacræque libidine prædæ
Castra mouet. dumque infausto nimis impius ausa
Nititur in montem, rupes Parnassia grandi
(Heu demens, cui vile potest genus esse Deorum)
Mugitu insonuit latè, & conu: Ipsa ruinam
Castra super dedit ingentem, qua multa virorum
Millia, & ipse ferox Brennus sub molibus altis
Saxorum contrita animas egere nocentes.
Relliquiæ Gallorum omnes in castra coactæ.
Vna iterum facta fugere per æquora classe
Ad Phrygias, ac demum concordi fœdere iunctæ
Mygdoniæ Regi metam inuenere viarum,
Errorique modum posuere in finibus illis.
Hi sunt quos vulgus Galatas vocat, aspera bello
Progenies, stricto genus implacabile ferro.
Pars cui Pannoniæ cessit custodia, regno,
Nescio cur nisi quòd fat.s impell. mur. vltro
Neglecto in turmas coit, atque ambagibus acta

Multis

Multiiÿs duce me vicit Triballica regna.
Portio par sa tamen renuens vestigia ferre
Longius, ad ripas Istri tentoria fixit,
Constituensque Lares inter duo flumina sese
Scordiscam æterno dixit cognomine gentem.
Venimus Emathiam tandem, bellumq́ inituri
Consulimus Diuos. cædem malefausta cruentam
Exsta canunt. Diuorum iras ita posse putantes
Placari, extemplo nostrorum in vulnera versi
Cædimus infantes: primos vlciscimur annos.
Sic nostri aduerso delusi à Dæmone sensus
Post immane scelus pugnam exordimur atrocem.
Antigonus victor. pauci, quos Iupiter illo
Traxit ab excidio, ferimur circum omnia dudum
Arua vagi vim Graiorum insidiasq́ timentes.
Omnibus inuisi mortalibus, omnium egeni
Dardanios montes, Epiriq́ue inuia lustra,
Thessalicos saltus habitauimus. antra ferarum
Pro Lare: pro Baccho fontes: siluestria poma
Pro dape: nudi hyemes extremaq́ue frigora paßi.
Vt vos auditum est classem vsurpasse Lechæam:
Nescio quis nostras mentes Deus impulit, omnes
Litus ad Ætolum confluximus agmine facto:
Vt tua conspecta est claßis, tuaq́ agnita signa.
Mißimus oratum veniam. prima ista reluxit
Spes miseris. tua nos longis clementia tandem
Liberat ærumnis, & ab imo educit Auerno.
Has animas tibi debemus, vitalibus auris

 Quod

Quod fruimur: tanti nobis tu muneris auctor.
In patriam duce te ferimur: quam si, bona faxint
Numina, fas fuerit cursu contigere, grates
Soluendæ tibi pro patriæ, pro munere vitæ.
Hæc vbi spumantis pelagi recitata per vndas,
Democrates Spartæ teneris nutritus ab annis,
Mox ad Cecropias cùm iam pubesceret, arces
Missus, & astriloqui stellas edoctus Arati,
Incipit effari. Siculæ præsentia terræ
O comites annos veteres, priscosq; reducit
Ad mentem annales eius de nomine gentis,
Deque loci fortuna huius, quam euoluere paucis
Expedit, vt segnes abeant cum tempore curæ.
Nautica postremis hæc sint bellaria mensis.
Vltima pars orbis terrarum Hispania nostro
Cincta mari versum Mauros, versumq; Britannos
Oceano immenso, vicina cadentibus astris
Vt fama est, odijs quondam ciuilibus arsit,
Atque diu rixis capitalibus (omnia namque
Sæcula, & ætates quædam mala sidera passa)
Afflicta, indigenas, Sicoris qui rura colebant,
Turbidus admixto Sicoris qui labitur auro,
Egit in exsilium, patrios mutare Penates
Compulsos, longoq; maris vada verrere cursu.
In Latium tandem Zephyris venere secundis,
Inde ab Originibus pulsis tenuere Latinos,
Campanosque Lares, longe lateq; vagati,
Vt generi humano dominandi innata libido,

Ac fors læta tulit. verum mutata repente
More suo res in melius fortuna Latinas
Rettulit, & Tiberis contra hostem armatus Iberum
Vindicat amissas pulsis raptoribus vrbes.
Hesperij rursum, tamquam sua regna, carinas
Ingressi legere diu freta, nunc Aquilone,
Nunc Austro illusi: tandem tenuere Sicanum
Litus, & audentes animis bella altera contra
Trinacriam cælo, ac Diis gessere secundis.
Namque breui rebus Siculis, regnoq; potiti,
A patrio Sicori nomen fecere Sicanum
Trinacriæ: quam nos Graio de more vocamus
Siciliam, mansitque datum per sæcula nomen,
Talis de Siculis, Siculis Spartanus in vndis.
Iam quater occasum Titan, quater egerat ortum,
Cùm freta Sicaniæ, sinuosaq; litora tandem
Egressis, mare Tyrrhenum vasta æquora pandit.
Detegitur latus Italiæ, quod respicit Austros,
Siue quod à prima sextam decurrit in horam.
Et pars illa prius, quæ quondam Græcia maior
Dicta: peregrinis gaudent sua nomina terris
Inueniße, optantq; illud lustrare Lacones
Litus, & hinc latices Cereremq; & cetera longe
Opportuna viæ petere, atque agnoscere mores
Gentis, & antiquas Graci cognominis vrbes.
Ergo aliud radunt Siculum latus, alta ferente
Vela Noto: sed post paulò redeuntibus Euris
Mutauere viam vento parere coacti:

Ventus enim pelagi dominator, & imperat vndis.
Æoliam subeunt, & qua statione resedit
Troius Æneas quærens Lauinia regna,
Vela legunt, proramque adigunt, vbi concaua vernes
Litora myrtetis, lauroque vmbrosa virenti.
Heic magno armari rursum molimine Romam
Auditum aduersus Ligures, gentemq; Liburnam,
Aduersum Insubres genus intractabile Gallos.
Sic cecidit cura Italiam, studiumq; videndi.
Sed gelidum nemus ingressi videre per herbam
Pascere siluestres capreas, & magna ferarum
Agmina turmatim per opaca silentia saltus
Tendere nescio quo: seruant, tacitiq; sequuntur.
Fons erat introrsum siluis absconditus altis:
Fons gelidæ fœcundus aquæ, quo tendere potum
Omnibus ex siluis sitibunda armenta solebant.
Dorcades ex altis demissæ montibus, vrsi
Ore truces, ciliosus aper, damæq; fugaces,
Fidentes pedibus lepores, & tergore lynces
Versicolore, leuis surgensq; in cornua ceruus,
Quotque sub vmbroso stabulant pecuaria saltu.
Mittitur ad naues, socijs qui nuntiet amplam
Offerri (mox arma ferant venatica) prædam.
Extemplo accinctus pharetra Leonicus & arcu
Emicat, & comites sumtis iuueniliter armis
Saltu agiles, ausi plantis præuertere, quando
Raptorem insequitur redimenda ad pignora, Tigrim.
Parua loquor: mens est Boream præuertere, & Austrũ.

Læti, alacres, venandi auidi, pernicibus omnes
Aßimiles pardis. longam pertæsa quietem
Viuida vis cupit ex membris arcere Veternum.
Continuò socios, quasi longa indagine tendat
Retia, partitur geminas Leonicus in alas.
Dextrum Celtus agit cornu: tenet ipse sinistrum,
Signaque decernens, quando duo cornua in vnum
Se reuocent clausura feras, per frigida gressum
Fert condensa leuem, cunctisq; silentibus intrat.
Nil canibus, nil casse opus est. animosa iuuentus
Conscia virtutis fidit sibi, & acriter audet:
At pecus herboso pascens in margine fontis,
Audito à longe strepitu, ceruice leuata
Stat pauidis suspensum animus, & lumina figit.
Suspicit, ac rectas in frontem porrigit aures.
Dux Eurotæus, cùm iam pecus autumat alis
Conclusum, lituo clangi iubet. ocyus agmen
Funditur in circum rediens: armenta repente
Huc illuc trepidanter eunt: virgulta fragorem
Vi subita complosa cient. caua spiritus implet
Cornua: silua graui late intonat vndiq; bombo.
Quo fugiat pecus hac tam atroci indagine clausum
Nescit, it in gyrum præceps, latebrasq; subintrat.
Insequitur iaculorum imber, Cretensia nerui
Tela fugant, & lustra rubis defensa sagittam.
Exhaurit pharetras lætus furor: omnia versis
In varias cædes volitant mucronibus arma:
Quo nequeunt, acies, penetrant hastilia & arcus.

Spe elati satagunt omnes, imbellia nulli
Brachia, certatim saliunt in vulnera cæcum
Per nemus, in dumeta ruunt, ac sentibus ora
Obuia dant. sequitur strages ignota ferarum:
Fit minor in campis strepitus, cum fulminat agros
Grandine Rhipæus Boreas, & turbidus Auster.
Laudis amor vires acuit, furit æmula virtus,
Et loca quisque subit magis inuia: plurima saltus
Fortia facta operit: nam quis magis acriter ausit,
Inuida silua oculos inhibens, sciri atque notari
Non patitur: speratus honos irascitur vmbris.
Scitur ab euentu virtus. vt iam satis actum
Ex feruore operis ratus est Leonicus, in vnum
Castra vocans positis pacem denunciat armis.
Tum prædam censere iubet: per cornua densis
Expediunt dumis immani corpore ceruos
Quatuor: hærebant perfosso hastilia tergo.
Hirsutas iaculis damas pendentibus octo
Semineces, & adhuc spiranti gutture septem
Dorcadas, ac totidem lepores, cum pignore bino
Fetam vrsam, rabido mandentem spicula morsu,
Et trahere annixam manibus de vulnere ferrum.
Tris quoque producunt versuta animalia vulpes,
Ac lyncem maculis insignem pluribus. aprum
Terribilem, quem congressu Leonicus aperto
Fixerat: hastilis mansit quæ in pectore partem
Agnouere omnes: sic facti proditus auctor.
Sic data palma duci. Iuuenes, Agis, Archidamusq́,
Eudamidas,

Eudamidas. alijque simul Galli, atque Lacones
Perfusi sudore artus, ignem ore ferentes
Per dumos amissa legunt venabula, & arcus
Exonerant neruis, & cædem in gramine tergunt.
Mox humeris prædam inuoluunt, classemq; petentes
Siluanum, & Dryades, venatricemq; Dianam,
Archemorumq; canunt celebrem Nemeæa per arua.
Interea Oceano Titan vicinus Ibero
Cœperat inclinare diem: locupletibus ergo
Cum spolijs & onusti omnes ad litora tendunt.
Partem epulis cœnæq; parant, & tergora in vtres
Diripiunt: partem prædæ sale condit Acestes
Præfectus penori, stratisq; in litore mensis
Exhilarati omnes pinguem absumpsere ferinam.
Altera lux terræ humentem conuerterat vmbram
Subter aquas pelagi: placidum mare vela recusat.
Æolus Æoliam ventos adsciuerat omnes,
Et freta tranquillo stabant æquissima tergo.
Insurgunt igitur remis, Tyrrhenaq; frangunt
Æquora, protractis ad pectora nuda lacertis.
Mille vident arces in collibus, oppida mille.
In freta proijciunt turres, & imaginis vmbram,
Illudentem oculis. citro sa videtur Amalphis,
Palladis, & Bacchi domus inclyta. mille colores
Arua ferunt: ibi ceruleum ver, purpureumque
Semper, & hibernis ignota rigoribus ora
Semper olet: Venus & Nymphæ per rosida ludunt
Prata, Ceres grauibus culmos inclinat aristis,

Et

Et centena animat pingues in fenera sulcos,
Turba salax Satyri, Dryades per opaca sequuntur
Laurorum nemora, & myrteta silentia furtis
Apta volant, alii circum cursu atque recursu.
Per virgulta sonant volucres: Philomena perenni
Carmine: nec canis Icarij mala sidera sentit:
Nec timet hibernæ glacialia frigora Brumæ.
Scindit iter classis, ventoq; impulsa retortos
Ad Capreas abigit fluctus, spumamq; natantem.
Iam procul Æneæ nutrix, procul albicat Anxur,
Et Circæus apex: sinuosa Neapolis vndis
Vapulat æquorea: fumos attollit Auernus,
Sulfureasq; vomit nubes. confusa Vesuuus
Vitifer eructat nebulis incendia nigris.
Euboicas fauces, Baiani litoris oram
Prætereunt, cupidi patrias cognoscere Amyclas:
Quas fama est, dum forte nefas animantia cædi
More putant Samio, nocuas seruasse paludes
Et perijsse, vrbem diro inuadente veneno.
Tybridis ora vident, radunt loca proxima Romæ,
Miranturque nouas arces super Ostia nuper
Exstructas, & litoream cum mœnibus vrbem
Turrigeris, auctor fuerat cui belliger Ancus.
Iam dudum ingenijs, & maiestate locorum
Democrates motus, Diuum sate sanguine dixit,
Spartanæque salus, ac spes amplissima gentis,
His quoque nostrorum superant monumenta parentum
Magna locis. etenim (versant sic omnia sors,

Sed

Seu Diui, siue æternus cælum ignibus ardens)
Litore ab Arcadico soluens Euander ad oras
Appulit has quondam, pōsuitq́ in collibus arcem,
Quos modò fama refert intra sua mœnia Romam
Claudere, & amplecti. mater Carmenta sacerdos,
Et vates Phœbea fuit, ferturque Latinis
Ingenuas artes, ac prima elementa dedisse.
Rex fuit Arcadiæ Pallas, Nicostrata coniux,
Filius Euander, qui seditione coactus
Hos annare locos, genuit Pallanta secundum,
More hominum tali renouans in pignore patrem
Nomine, & exemplum perhibens imitabile nato.
Quæ Carmenta fuit, fuit & Nicostrata, duplex
Vni nomen erat. Turnus Pallanta secundum
Acrisioneæ Danaes à sanguine Turnus
Sustulit, & Turnum Æneas. Lauinia virgo
Caussa mali. Nam dum Æneas & Turnus ad vnum
Connubium adspiciant, post longa atque aspera bella
Sic amor eludit mentes, inire duellum.
Prætulit Æneam mater Venus, atque Deorum
Concilium: fuit at Turno tamen addita Iuno.
Vna sed in cœtu poterat quid fœmina tanto
Cælituum? caussati omnes sic voluere fata.
At si fata Deos vincant, & Numina, si sunt
Numina, non præsint Erebo, cœlo, atque elementis.
Talia Democrates, cùm protinus ore diserto
Antiqua veniens Periandri à gente Lycophron
Doctus Aristippum, medijsque imbutus Athenis,

Adde

Adde quod Alcides dixit, de semine Cadmi,
Dum redit extremo spolijs ditatus ab orbe,
Venit ad Euandrum, furemq́ in collibus illis,
Furem immanē, oculis flammas atque ore vomentem,
Illisit manibus, quibus omnia monstra subegit.
Sunt quoque qui referant istis regionibus Argum,
Dum parat insidias Euandro & fata, necatum.
Adde Themistocles, dum strenua ferueret ætas
Inter Olympiacos, pugiles clarissimus, inquit,
Quod Iouis arma pater fugiens Saturnus ad arua
Ausoniæ euasit: tellus regio Saturnia ab illo
Dicta est Ausoniæ regio, & Saturnia dicta
Sæcula, ab antiquis quæ fortunata vocantur.
Sidera qui explorant Diuumque oracula, iurant
Deberi Romæ imperium terræq́, marisque:
Et fore Romulidas domnos Aquilonis, & Austri:
Gloria tanta manet genus hoc: vrbemque Latinam,
Vt leges latura alijs sit gentibus, atque
Se mundi visura caput rerumque potentem.
Martigenæ fratres facturi nomina Romæ
Consuluisse Deos gentis de morte feruntur,
Templaq́ metati ter sex vidisse volucres
Carniuoras, oculis solitas occurrere rarò,
Mole graui tardas, prolem sine patre ferentes,
Longaque tradentes in seram sæcula mortem.
Nomen aui vultur, nidi cui tertia semper
Pars perit, & natis fetat contenta duobus
Rupibus in summis parit, & præsaga futuræ

Cadis adit tepido spargendas sanguine terras.
Ille sacer numerus portendere creditur annos
Vrbi. at imperium certis capitolia signis
Ostendisse volunt. nam dum primordia Priscus
(Priscus enim vouisse Ioui Capitolia fertur)
Poneret, humanum fama est tellure subacta
Inuenisse caput, quod nomina fecerit arci.
Omine dixerunt illo gens dedita sacris
Tyrrheni veteres Diuos ostendere Romæ
Imperium, & terrarum illic caput esse futurum.
Forsitan Eurydamas, cui fata arcana reuelat
Iupiter, his aliquid potis est adiungere fando.
Ista Themistocles vbi dicta, silentia fecit.
Continuò Eurydamas iam dudum in verba paratus:
Vt pote qui veteres sæclorum euoluerat annos,
Mente valens memori toto admirante Laconum
Concilio, & Galatis suspenso hærentibus ore:
Dux Spartane, licet si credere sortibus, inquit,
Fatidicis. Diuum nisi vana oracula, Romæ
Dis aliquid surget, veniam date Numina, maius.
Magna loquor, maiora fide: tamen omnia possunt,
Quæ latitant magno mundi hoc in corpore, caussæ.
Romæ aliquis Ioue maior erit, qui sæcula ducat
Vltima. qui ritus alios, quiq́ue altera templa,
Altera sacra ferat. terrenoq́ imperet orbi,
Forsitan & cælo. sed cur ego forsitan addo?
Immo etiam cælo, venietq́ue incognitus ore
Sub nostrate latens, & habens mortalia membra,

Qualia

Qualia terrigenæ felix ea, sed neque felix
Quæ delere virum, si fas hunc dicere, si fas
Esse virum, vi, fraude, odijs, conabitur ætas.
Talia iam dudum mirans præsagia, grandem
Rem Eurydama, miram, insolitam: cui credere forsan
Impietas, Leonicus ait. de principe Diuum
Fatus es, heu. quid nam nostro Ioue maior in orbe
Est, aut esse potest? si Iupiter omnia complet:
Si Iouis omnipotens complectitur omnia Virtus?
Vt perhibent omnes, etiam Garamantes, & Indi?
An tua Socraticæ mens est sibi conscia culpæ,
Et male de Superis sentis? num forte Gigantes
Bellaturi iterum, pellendaque Numina Olympo:
An sua quæsitum veniet genitalia forsan
Saturni pater antiquus, cui nomina cælo?
Sic ait indignans, vultuque vmbrosus acerbo.
Tum vafer, & doctus tumidas compescere mentes,
Parce animis, ait, Eurydamas: sermone vagari
Fas vario Nautas, & fallere tempora fando.
At, quoniam vulgata tibi, reliqua omnia noram:
Vt pote qui Martem fueris simul atque Mineruam
A teneris foris atque domi sectatus: habebam
Nil aliud, quo te possem oblectare loquendo,
Et gressum qua trita minus via visa, ferebam.
Sic bonus Eurydamas, animo sedatus & ore.
Continuò Eudamidum princeps: iniuria Diuum
Eurydama mihi visa grauis: sed cetera dixit
Exsequere, & Diuum in primis decus adspice fando.
Sic igitur rediens ad prima exorsa locutus.



Va Solymos vates, satrapas Babylonis, & Indos
Inter prima ferunt habuisse arcana sophistas,
Prosequar: audite æquanimes, quæ credere dignum
Credite: quæ indignum, ridendo explodite. vestrum
Est censere: meum censuræ accedere vestræ.
Di nostri maiorum animæ: quos dicere Manes,
Seu Geniosfas est. istæ mortalia quondam
Membra pares nobis habuere, & funera passæ
Deposuere. solum, quod adhuc habet ossa, videri
Testariq; potest: superant monumenta Deorum.
At quoniam magnis olim, dum vita superstes,
Versatæ in rebus visæ præcellere, & vltra
Mortales alios longe se attollere, vulgus
Credidit orbe alio in numerum transisse Deorum
Cælituum, qui corporea sine mole vagantur
Cuncta, peragrantes terram, maria, aera, & astra.
Credimus id: nec enim Diuos explodere mens est:
Nec graue credulitas ea quod rediuiua perennet
Semper, & excelsis ea spes nos eleuet ausis.
Est etenim nobis ad magna negotia calcar
Ista fides: posse in sortem nos ire Deorum.
Sed numen quoddam esse aliud contendimus astris
Altius, amplectens magnis cælum omne lacertis:
Quod mundi ætherios quondam incuruauerit orbes
Cuncta immortali claudens mortalia cælo.

Nam neq; rectorem magna hac in mole putandam
Defore, qui cælos verſet, qui tempora certis
Digerat ordinibus, qui accommodet omnibus annum
Frugibus, & totum hoc opus admirabile curet.
Sic quoq;, ſi quando excelſam per cærula puppim
Artifici greſſu videas incedere, quamquam
Te lateant qui vela regunt clauumq; gubernant,
Vim tamen aduertes, motum quæ temperet vllam,
Hoc ego prætulerim Diuis, digniſsima riſu
Res audere hominem rerum componere Patri,
Omnipotens cui ſit ſine fine, & origine virtus.
Fare Themiſtocles, ille inter Numina Memphis
Harpocrates (ſcio dum ſtudio noua regna videndi,
Et iuges in menſa epulas, & Memnona primo
Mane ſalutantem, cùm ſurgit ab æquore, Phœbum,
Latus es aduerſo quondam Nilo vſq; Syenem,
Vidiſti Harpocratem) quid vult ſibi, cùm premit ora?
Quæ digitis mento admotis arcana notantur?
Nempe alios ritus, alias occultius aras,
Quæ veniat furtim nullo aduertente, ſilendo
Innuit, & ſigno illo aliud prænuntiat æuum,
Quo Deus excluſis nouus euocet orgia Diuis.
Hæc igitur vis illa ingens, quæ ſidera nutu
Quæ cauſſas, quæ fata regit ſine fine, ſine ortu:
Atq; ideo noſtro maior Ioue, Iupiter ipſe
Non, reor, inficias ierit, ſi Iupiter adſit:
Huic regnum Diuorum etiam mutare poteſtas,
Et noua pro antiquis Erebo, tellure, & Olympo

Imperia, & totum leges excire per orbem,
Atq; magistratus exauctorare vetustos.
Ipsum igitur, cui tota subest natura, putamus
Venturum auxilio terris, nec tempus in omne
Passurum in tantis conuolui erroribus orbem,
Ut domino rerum nulli referantur honores.
Subijciendum oculis hominum sub imagine quadam
Inculta, atq; rudi fas credere, quod genus atrox
Temporis illius putet exsecrabile monstrum:
Indignum cui thura ferant, cui sacra litentur,
Et quod posthabitis habeant pro Numine Diuis.
Utsi quando greges domini, quibus agnita nondum
Ora sui, raptorem illum furemue putantes
Aufugiant, aut oppressum facto agmine mactent.
His etiam grandi ostento Capitolia quondam
Attestata ferunt Rex augustißime, vosq;
Magnanimi proceres animos adhibete canenti
Grandia, & aetatis referanti arcana futurae.
Cùm iam structa forent immania templa Tonanti
Consecranda adytis, iussi discedere Diui
Quotquot erant omnes, mora nulla, videntibus ipsis
Pontificum turmis omnes Diui agmine facto
Discessere locis, & concessere Tonanti.
Terminus inter eos aderat sub imagine saxi
Grandis, & inculti sine maiestate iacentis.
Ille Iouem nostrum visus contemnere numquam
Declinauit. adhuc manet hoc immobile saxum,
Et Ioue contemto, numquam vestigia mouit.

 Pontifices

Pontifices moti casus nouitate, nec ausi
Pellere vi templo: verum admirabile quiddam
Esse in mole rati, toto adstipulante senatu
Decreuere aditum fieri, & testudine in alta
Delubri ingentem speculam iussere relinqui:
Vt si quando animus fuerit, discedat in auras
Sponte sua, nocte ipsa etiam, cum nullus eunti
Sit rubor in tenebris: ita relligiosa vetustas
Illa fuit: sic est soboles male cognita Diuum.
Hic lapis, hic aliquis maior Ioue: sed rude quiddam
Ante oculos, ante ora hominum, quod cedere Diuis,
Atq; Ioui forte illa velint temeraria secla.
Ille scit, ille feret, cælo cùm fluxerit ætas
Debita tam miris venturi legibus æui,
Terminus hic nimirum ille est, quem dicitur olim
Commendasse suis, & præcepisse colendum
Maximus Alcides à posteritate nepotum.
Sic fore progeniem longam, sic regna canebat
Tuta, nec hostiles formidatura tumultus.
Quot varij rerum euentus, quot bella per orbem
Ante illos arsura dies? quibus illa tueri
Tempora fata dabunt? etenim longissima rerum
Hæc series & nos cum posteritate sub Orcum
Tota aget: illa nouæ spectabunt secula gentes.
Spero equidem Leonicus ait, si sidera quidquam
Tale ferent, aliquem nostra de stirpe futurum
Qui videat, qui pars rerum sit magna nouarum.
Nos neque enim frustra geniti, moribundáue turba, Di

Dijs inuisa. Iouis volucres vocem hausimus istis
Auribus, esse monent rebus super æthera diuos,
Qui inuigilent nostris, & nos quoq; Iupiter audit.
Audiat, & si quis Ioue forte potentior, oro,
Et si quid proauo credi Ioue grandius est fas,
Terminus ille quidem, fateor, celebratus ab alto
Dicitur Alcida. sic nos docuere parentes
Protestati illo miranda arcana latere
Nomine sub: sed quæ, incertum: ventura docebunt
Sæcula: ab his longe semota hæc cura diebus,
Sic Leonicus. Agis longo iam grandior æuo,
Et quamquam sermone Lacon, tamen ore diserto
Continuo fatus postquam de gente Latina
Mentio iam dudum volat ora per omnia, quædam
Subijciam, & vestris aliquid sermonibus addam.
Legimus, & fama est, nostrum genus esse Sabinos,
Qui vicina colunt Romæ loca. nam Lacedæmon,
Cum fremeret quondam bellis ciuilibus ardens,
Pars populi compulsa nouas sibi quærere sedes
In freta se misit, diuis & fluctibus ausa
Credere se, primo explicuit sua carbasa vento:
Atque ignara viæ casu Saturnia regna
Contigit, & tractis aduerso nauibus amne
Constitit ad Tiberim, Tuscum qui partit ab Vmbro.
Hac igitur Spartæ ciues regione potiti,
A ductiore Sabo sese dixere Sabinos.
Inde vbi Romanæ iaceret noua Romulus vrbis
Fundamenta nurus rapuit. quæ tempore matres

Euasere breui: fluxit genus inde Latinum.
Quo fit vt affinis nobis Romana propago
Facta fit. hæc ratio quod seditiosa tumultus
Gens tantos Romana feret. nam semine constat
Argolico & Phrygio. gens ex discordibus orta
Gentibus instinctas iras odiumque duorum
Seruabit populorum, & aget non extera solùm
Et foris: ast interna domi, & ciuilia bella,
Vim Lacedæmonian Troiano in pectore voluens.
Sic Agis. oranti simul applausere Lacones.
Ista recensentes Italis in fluctibus ibant
Cum procul incipiunt cælo apparere sereno
A dextra Tyrrhenæ vrbes, Pyrgi, atque Grauisca,
Mœniaque à priscis Alsij fundata Pelasgis.
Ecce vetus Cæræ vestalibus hospita sacris
Cum Iouis obsedit victor Capitolia Gallus.
En Telamon: fluit en pelago iam proximus Vmbro,
Montanosq́ ferens iam prospicit æquora fontes.
Ilua metallificis semper fumosa caminis
Raditur, ostentatq́ nouos Populonia muros.
Quarta dies contra Pisas in fluctibus orta
Humenti nimbosa Austro subducere naues
Suasit, & aduersis Tyrrheni in faucibus Arni
Sistere iter Cereremq́ & dulces quærere lymphas.
Dux, & Erichthonius, Crates, Menelaus, & Alcon
Conscendere leuem modico cum remige lembum
Argolicam petituri vrbem, placidumq́ per amnem
Alpheimemores Tuscos adiere Penates.

Mœniaq́, intrantes excelso in limine portæ
Græca vident elementa, cauis incisa figuris,
Quæ memorent Pelopem Tyrrhena ad litora vectum,
Hic prima nouæ posuisse exordia Pisæ.
Fit mora, & in viuo spectant certamina saxo,
Totaq́, per postes legitur Pelopeia superbos.
Concubitus primos fraudis pro munere pactus
Virgineos auriga salax plumbo impedit axes.
Hippodamia rotis vehitur pernicibus, aura
Obuia fert crines, agitatque per aera amictus.
Tantalides irritat equos, & verbere crebro
Sollicitans prono fugientibus ingruit ore.
Ardor inest oculis, animumq́, ostendit imago
Anxia feruentem. volucres desiderat alas.
Iam iuuenis tergo incumbens quadriga parentis
Hippodames sequitur Pelopem, iaculumq́, lacerto
Eleuat in vulnus senior. Iuga segnius vrget
Myrtilus, & cursum Neptunia terminat ara,
Litus ad Isthmiacum celsæ subiecta Corintho.
Pellitur in fluctus clamans Auriga: puellam
Tantalides curru rapit in sua regna citato.
Demum vrbem ingressi vicos, fora, templa peragrant.
Graiorum inueniunt passim vestigia morum,
Incessumq́, habitumq́, grauem, vultusque seueros.
Menta intonsa Virum, dimissam in pectora barbam.
Sermo erat Arcadicus linguæ confusus Etruscæ.
Festa dies tum forte fuit sacrata Lycæo:
Nam Deus Arcadiæ Deus hic, turbæque frequentes

Ibant ad sollenne sacrum. lux omnibus illa
Religiosa fuit. Grai quoque Numen adorant
Poscentes mare tranquillum, cursusq; secundos,
Mox dape libataredituri ad litora, limen
Vrbanum exierant: illic Pisana iuuentus
Præmia tum casu tria suspendebat ab alta
Arbore lucentem galeam, leuibusq; pharetram
Horrentem iaculis, ductamq; in cornua taxum,
Signaq; certantum leuibus ferienda sagittis
Fixerat excelsæ rugoso in cortice Fagi.
Cuncta notant Grai, generosaq; pectora pulsat
Laudis amor. certare arcu si copia detur
Ingenio iuuenili ardent Menelaus & Alcon,
O Alcon Menelaus ait certamine in isto,
Si fortuna locum dederit, sunt præmia nobis
Debita, ni virtus tua te, mea meq; reliquit.
Sic iuuenes. casus fecit felicia vota.
Talia dum secum fantur, vir Cnosius aurem
Argiuo sermoni adhibens compellat amico
Vultu ambos, caussamq; viæ patriamq; requirit,
Miles erat cinctus longo latus ense, senectæ
Proximus, armorum ferrugine tinctus, & æstu;
Quem pilata cohors circum stipabat euntem.
Ad patrias voces Alcon conuersus aueto
Miles ait preclare. sumus Lacedæmone nati,
Eudamidum de stirpe sati. Tum vertice aperto
Cnoßius, & prono fatur reuerentius ore.
Heu, quænam iuuenes tantis genitoribus ortos

Ad nos caussa tulit, Tyrrhenaq; appulit oræ,
Tum iuuenis fato patrys de finibus acti
Venimus, & forte extremas annamus ad vrbes
Hesperiæ: sic sancta monent oracula Diuum.
Nos etenim longis postquam vexauimus vrbes
Finitimas, bellis assueti vincere: tandem
Regna, potentatus, & Martia vidimus arma
Casu, non virtute regi, & fato omnia vinci.
Si magnis me hercle animis. si viribus atq;
Consilio niti satis, & victoria in ipsa
Sola esset virtute: Lacon sua regna teneret:
Nec foret errandum, nec tot freta voluere remis
Esset opus: Regem atq; Ephoros Spartanus haberet.
Sed fortuna hominum vani aduersante labores,
Cum prolapsa foret Lacedæmone sancta Lycurgi
Relligio, & tetricas iam longa incuria leges
Ablegasset: erat probitas infamia: honestas
Sordida: viuebant vt erat sua cuiq; libido.
Visum igitur nobis nostros accendere rursum
Ad decus antiquum ciues, Sybarimq; subortum
E nostris turbare adytis, ac more parentum
Degere. & ex legem primorum exstinguere luxum.
Principio res visa quidem factu aspera: verum
Venit vt in morem, facilis fuit: orta repente
Disciplina vetus: gymnasmata aperta palæstræ
In populum missæ: priscis pulsa ocia ludis.
Castigata Venus: diuisa æqualiter arua.
Hoc Agis: hoc Agidis fecit post fata Cleomnes,

Rex armis, Rex pace ingens. confessa Deorum
Progenies, vtq; a magno genus Hercule ductum.
Tantum igitur facinus, sanctum, atque imitabile trax
Vicinas ad Spartam vrbes, & legibus hisdem
Submisere caput regnumque auxere Laconum.
Prosperitas tãta hæc fuit inuidiosa: superbum
Hoc decus immisit quorundam in corda venenum
Acrius, ac stimulis liuorem incendit amaris
Pestis ea in primis crudelem inuasit Aratum,
Qui senio grauis, & princeps erat inter Achæos.
Hunc malus obiecit Dæmon sapientibus orsis:
Nec potis ipse tamen Spartanam exstinguere laudem
Vt pote cui virtus aderat generosa Cleomnis,
Et Leonicenæ vigilans prudentia curæ.
Emathios igitur Reges, quos egerat ipse
Iampridem ex Pelopis regno pertæsus auaram
Atque superbam hominum rabiem, sibi fœdere iungit,
Antigonumque ciet, qui nunc Pellæa per arua
Imperat, & veteri Macedum dominatur in aula.
Ipse prius Galatas, quorum pars maxima nostris
Nauigat auspicijs. patrios aditura Penates
Fuderat infestos illis regionibus, ausos
Mygdonios fines crudeli inuadere bello.
Hic igitur Gallis magno certamine fractis
In nos vertit iter, bimarisq; ingressa Corinthi
Ora angusta, ingens peditumque equitumque caterua
Occupat omne solum, totisq; infunditur agris.
Rex Macedum numero maior, virtute Cleomnes
Certauit

Certauere diu bellis vtrimque cruentis.
Coniuncta titubare vrbes, magnasq; vereri
Regis opes Macedum cæpere, & segnibus armis
Rem gerere, ac sumtu impensas restringere auaro.
At quid opus multis? tandem malefida Cleomnem
In præceps fortuna tulit, Lacedæmone pulsus
Cum socijs. quos non potuit fortuna tenere,
AEquore transmisso Lagidarum in regna recessit.
Nos vero qui tum procul a Lacedæmone nostro
Cum duce Cenchreum versus mare, & Hellada versus
Castra tenebamus, quibus expugnare Phliuntem
Mens erat, audita Regis patriæq; ruina
Dilapsi extemplo ad litus, nauesq; repertas.
Quotquot erant clausæ portus in fauce Lechæi,
Capimus, & captis iniecimus arma virosq;
Et procul in latum classem subduximus æquor.
Nec mora, suspensas dum sustinet ancora puppes,
Cymba volans paribus remis de litore Graium
Soluit, & oratum venit vt tellure vagantes
Gallos, relliquias Macedum regisq; superbi
Perfreta nobiscum diuersa in regna feramus.
Annuimus miseris, & tempestatibus hisdem
Iactatos vehimus pelago, ventisque secundis
AEquora sulcantes his tandem allabimur oris.
Stant sale vicino classes in faucibus Arni
Nos lembo Arcadicam visuri ascendimus vrbem.
Talia Spartanus. contra sic Cnossius orsus.
O iuuenes genere insignes regum atque Deorum

Conditio

Conditio vetus heroum est contendere contra
Fortunæ insidias, & vincere cuncta ferendo.
Progenies id tota Iouis testata: sed ipse
Ante alios vestri generis Tirynthius Auctor
Nam fama est illum semper sudore madentem
Puluere conspersum domuisse immania monstra
Omnibus in terris, & tum finisse labores,
Cum subijt cælum, & mortales exuit artus.
Quid Laertiadem memorem? quid Thesea? quid te
Diuorum Saturne pater? per multa vagari
Nil opus, ad Superos iter hoc heroibus vnum est.
Sic Diui, sic fata ferunt. qui ignaua sequuntur
Otia: degeneres, & nil cæleste nec altum
Mente volutantes curas & tempora perdunt,
Et tandem obscuri, quasi bruta, in fata feruntur.
Fortunam bene ferte igitur. cum viderit alto
Vos animo duros casus contemnere, fiet
Prospera, & euentus faciet mutata secundos.
Antigoni pugnas, & Spartæ immania fata
Scimus, & inuiti dura illa audiuimus arma.
O iuuenes ego iam senio veniente fatisco:
Sed cum sanguis erat melior, Spartana secutus
Olim castra fui: vester Xantippus habebat
Me comitem, iunctus patriaq; & sanguine vobis
Xantippus, cum pro obsessa Carthagine missus
In Libyam vestra vicit Lacedæmone Romam.
Ille nihil sine me bello attentare solebat:
Noctes atque dies aderam. cum Regulus astu

Captus in hostiles laqueos ruit, ipse tetendi
Insidias, vinctumq; ducem sub mœnia duxi.
Heu, quantos illis gemitus, quot funera campis
Vidimus! hæc tantos possunt meminisse tumultus
Litora, & hoc illis infectum cædibus æquor.
Romanos etenim melior fortuna secuta est
Post ducis interitum. bellis naualibus orta est
Horrida tempestas: victrix Romana Iuuentus
Imposuit iuga ceruici Carthaginis altæ.
Confractis stratum tabulis mare. Gaza per vndas
Punica ad extremas Gades ad nostra natauit
Litora, & Eois furor iste auditus ab Indis.
Di pelagi tantum armorum expauere fragorem,
Et procul a strepitu cæco latuere profundo.
Finibus a Siculis, vsq; ad Sardoa cruentum
Saxa, mare in spumas ibat fluctusq; rubentes.
Nunc quoque peruenit nouus a Carthagine rumor
Molliri Hannibalem bellum graue, & aspera contra
Cogere Romanos odijs flagrantibus arma:
Propterea recto fatalia tramite regna
Quærite, ne tanto deprehensi turbine rerum
Imploretis opem frustra Diuumq; hominumque.
Vidi illum pæne infantem: memini illius ora.
Frons, oculi, labra, ingenium versatile, & atrox
Acrem animum gaudentem armis, ac bellipotentem
Significant: corpus solidum. patiensq; laborum.
Sed tandem orbatæ passurum incommoda frontis,
Atque procul patrijs moriturum a finibus olim.

Vidi alium Romæ iuuenem, cui vincere Byrsam
Fas fuerit: tantam astrorum, tantam ore Deorum
Vim gerit. hic Romæ mucro est: Carthaginis ille.
Sic Diui inter se certant, sic sidera contra
Sidera, terrigenisq́ gerunt hæc bella ministris.
Si rursum hæ gentes ineant certamina, Mauors
Asper ad interitum alterius desæuiet vrbis.
Quæ victrix bello euadet: ceruicibus altis
Ibit, & omnem animis terræ amplexabitur orbem.
Romanos ego prætulerim: quia publica Romæ
Quæritur vtilitas, atque obseruantia legum
Maxima. relligio & Diuum reuerentia nusquam
Maior, in aduersis animus sublimis, & audax:
Non præceps tamen, aut vano temerarius ausu.
Afris nulla fides, nulla est clementia, nulla
Relligio. immanes mactant sua pignora ad aras,
Infandum, ritúq; fero gens Barbara censet
Oblectare Deos. quem morem sustulit olim
Eudamidum pater Alcides a gente Latina:
Iussit enim pro corporibus sub Thybridis vndam
Demergi humanis simulacra carentia vita.
Vtque feris tergus varium: sic gentibus Afris
Subdola mens, vafrum ingenium, & mutabile in hora.
Propterea quocumque feret vos aura Latinum
Obseruate genus, quod Di quoque & omnia seruant
Sidera: quod genti probitas alte insita poscit.
His, fateor, cum bella olim me in Punica misi,
His infensus eram. sed postquam cognita virtus

Romulidæ

Romulidum, visa est terra mihi Cnosside Roma
Dulcior, & vino addictus Latialibus armis,
Non secus, ac natus Gabijs mediáue Sabura.
Hactenus hæc. Verum, quia mens certare sagittis,
Idq; opus ingenuum, ludis accedite nostris.
Sic ait, ac Iuuenes ore alto, atque indole magna
Conspicuos trahit in medios: accommodat arcum
Læua habilem, & rostris dat tela Cydonia ahenis.
Ille arcus tractio pertentat robora neruo,
Et paribus crisiata legunt hastilia pinnis,
In loca decretus pugiles distantia iussi
Ire simul spatijs, & sors super ordine missa.
Tum Pelopis fortuna videns audere nepotes,
Fauit, & in Venerem fecit decurrere talos:
In quibus est felix signum Venus. ergo Lacones
Molli animis, Alcon primus, quia grandior æuo,
Prima petunt loca: stant circum Pisana iuuentus,
Seq; premunt digitis innixi, & lumina contra
Signa intenta tenent. flexis iam cornibus Alcon,
Pressa acie, fronte admota, leuat & premit arcum:
Nunc telum, nunc signa notans, atque omnia caute
Metitus mente atque oculis, dat lora sagittæ.
Fallit iens oculos, volat aura abscondita arundo,
Nec dum visa stetit. scopuloq; affixa pependit,
Vndiq; ab extremo fugiens æqualiter orbe.
Continuo in populis ortus clamorq;, fauorque,
Et iuuenem vulgi voces ad sidera tollunt.
Subridens Menelao Alcon dum porrigit arcum,

Te

Te Menelae, inquit, similis fortuna sequatur.
Ille sui compos totum se colligit, ictum
Librat, & ô dixit, fueris mihi dexter Apollo
Arcitenens, tuq; alma soror. cui Cynthia curæ
Litora, cui Dryades & Oreades arma ministrant,
Tela regas. vix finierat, cum visa repente
Altera sic primæ se coniunxisse sagittæ,
Vt neq; si plures sit fas, aut vna videri.
Certa ratæ talem euentum miracula turbæ,
Certatim danda Argolicis ea præmia iurant.
Tum miles. quid opus longo certamine clamat
Cnoßius. hi Diui duo sunt: duo pignora Lædæ
Credite, qui sub nostra hodie se lumina mittunt.
Ite, sagittandi melius cum nulla superstit
Spes cuiquam, date Amyclæis, date præmia Diuis.
Voce fauent turbæ: pugiles quoq; cedere sese
Confeßi Argolicis. galeam Menelaus, & Alcon
Cum iaculis arcum, & pharetram, quernasq; coronas
Accipiunt, plausu turbam resonante per omnem.
Continuo allata in medium spumantia Baccho
Cymbia, & adducti veniunt ad pocula Grai.
Inde iter ad Tuscum populis comitantibus amnem
Vertitur, insiliunt proram, fluuioq; secundo
Ad socios inter vernantes gramine ripas
Cymba volat, rapido radens vada cærula cursu.
Dum redeunt: radiere Euri, mare lenibus vndis
Ludit, & in Ligures iter expedit. ocyus omnes
Annixi erecto tendunt caua carbasa malo:

Æquor arant læti: socijs victoribus omnes
Arrident: super hoc illi certamine iactant
Plurima, signantes vrbem, populiq́ docentes
Ingenia & mores, Graiaq́ simillima Pisæ
Mœnia, iucundumq́ canunt pæana volantes.
Consita myrtetis redolent Lunensia dextra
Litora: vernantes oleis ac palmite multo
Mirantur colles, mirantur & æmula Olympo,
Æmula Rhipæis iuga molibus Apennini,
Et per saxosas errantia nubila rupes.
Vt venit a Gallis Italas vt diuidit oras,
Hic tam vastus apex, vt sese porrigit vsque
Ad Calabros Siculis tandem finitus in vndis.
Commemorans rector, docet & candentia Lunæ
Saxa, Carysteos lapides æquantia, regum
Ornatura domos, decus allatura Theatris,
Insignesque Deum templis factura columnas.
Vrbem in secessu Genuam speculantur ab alto:
Egregiam portu, populis, ac mœnibus vrbem.
A Zephyro vada Porciferæ, quæ ex Alpibus altis
Neptunum ingreditur resonans. Feritoris ab Euro
Alueus, alterius fluxu torrentis adauctus,
Qui fert vere niues, æstu in freta proxima nubes.
Idcirco indigenæ vallem dixere bisamnem,
Quod gremio accipiat binos ex montibus amnes.
Tunc aduersa graui prospectans litora vultu
Democrates, sic ora iterum facunda resoluit.
Hanc in litoribus Comites quam cernitis vrbem,

Monte ſub aëreo poſitam non vbere glebæ
Credite, non pecorum fetu pinguem, atq; opulentam:
Aret enim ſaxo ſus ager, neq; ſentit aratrum.
Terra inculta feras paſcit: ſub vallibus altis
Siluicolæ degunt homines venabula docti,
Acre genus, bell oq; bonum: durata iuuentus
Fert longas ſub diuo hiemes, fert vertice nudo
Æſtatis flagrantem æſtum, pluuiaſq;, niueſq;:
Brachia ſetoſi, ſetoſi pectora, & omne
Corpus: eunt venatum omnes, per ſumma ſequuntur
Saxa feras, gelidaſq; cubant in marmore noctes.
Ante caſas ſibi quiſque ſuas ſuſpendit ab alta
Arbore relliquias prædæ. truculenta luporum
Ora vides, capita aprorum cum dentibus vncis:
Vrſorum obſcuros vultus, ramoſaq; multis
Cornua ceruorum mucronibus. atria tali
Nobilitant cultu: montanæ hæc gloria genti.
Sed neq; litoreis deſunt vineta colonis,
Quæ noſtris certare queant, queLeſ bia vina,
Cnoſsia quæ ſuperent, fruticans in cotibus aſpris
Vinea palmitibus modicis, breuibuſque lacertis
Nectareas fruges parit, ambroſicſque racemos.
At capiti Ligurum Genuæ ſollertia tantas
Fecit opes, parcæq; ſagax induſtria vitæ.
Nam mare ſollicitant remis, atque æquora tranant
Grandibus inuecti proris ac puppibus altis.
Multaq; per Libycos, & circum littora Ponti
Vndique non tenui tractant commercia lucro.

Huc veniunt Libycæ merces, Europica gaza
Heic habet emporium. tantæ quis conditor vrbis
Ambigitur: longum abscondit primordia tempus.
Rectius a Genuo positam sentire videntur,
Qui priscos legere dies. fuit ille Gigantum
Progenies, satus antiquo de sanguine Noe,
Cui Iano cognomen erat. nam repperit vsum
Vitis: ab inuento traxit cognomina vino:
Namque quod Hebræi Iain dixere, Latini
Appellare solent vinum: de nomine Iain
Formauere Syri Iainum. viciata parumper
Vox ea ab Ausonijs est facta bisyllaba, sicq́;
Pro Iaino mansit Romana per oppida Ianus.
Hic fuit humani generis pater ille, refuso
Æquore diluuium passus, qui fugit in altos
Armeniæ montes, & in ipsa cacumina Tauri.
Ipse homines defunctus aquis transmisit ad vrbes,
Quas mare, & immodico cælum deleuerat imbre.
Mallotages Tuscos, Alemanica regna Tuiscon,
Atque alij sedes alias ten: ere per orbem
Tunc vacuum, leges Noe imperiumq́; secuti.
At quia dum bellum terris inferret Olympus,
Ac maris illuuies: cunctis animantibus arcam
Præbuit hospitium, foribusque recepit apertis
Vnà hominum pecudumque genus. cum bella gerebat
Roma foris, Iani valuas aperire solebat.
Sicq́; Dei poscebat opem, memorabile tantæ
Significans pietatis opus: sed tempora caussam

Absconde re sacri ritus: ignota remansit
Gentibus Ausonijs prisci obseruantia facti.
Forma biceps ideo quoniam duo sæcula vidit.
Ante maris fluctus vnum, dum conderet arcam:
Post pelagi fluctus aliud: mare litora postquam
In sua se cohibens altam remeauit in aluum.
Ianua sacra Deo: fuerit quod Ianua sæcli
Alterius, dederitq́ noua primordia genti.
Saturno pater ipse fuit: descendit ab illo
Et Phaethon, nostris factus vaga fabula Grais.
Hic regnum penes Insubres, Venetosque tenebat:
Et quædam Italiæ loca conflagrasse sub illo
Fama antiqua refert. Ideo finxere volantes
Nactum Solis equos terram incendisse Poetæ.
Discedens discessit enim: quia naue per amnem
Eridanum vectus numquam in sua regna rediuit.
Indigenæ dixere hominem sub flumine mersum.
Et, quia quidquid inest istis annalibus ortum
Traxit ab Armenijs, qui post veterem cataclysmum
Primi hominum sese vacuum effudere per orbem,
Pauca super prima fruticantis origine mundi
Adijciens, quos nam primos Europa colonos
Nacta sit, & quæ sint regnorum exordia pandam.
Arcadus Emathio comes in nostratia primum
Litora descendens, Pelopensia rura, solumq́
Omne, quod a Grais colitur (genitura duobus
Tam bona) natorum impleuit fruge, atque nepotum.
Thracia regna Tyras, Tyriam qui condidit vrbem.
Pannona

Pannonas, Illyriam, Mæsos, & Pontica circum
Litora dispersas gentes Babylonius Ister
Protulit, & Mæsi, Iapeti generosa propago.
Hic est ille Tyras, rapido qui vortice raptus,
Icarus vt quondam, necnon Tiberinus, & Helle,
Tradidit aeternum nomen fatalibus vndis,
Ac fluuio, qui Dacorum confinia lambit.
Primus in Italiam ventis, auibusq. secundis
Venit, & Ausonijs Comarus consedit in oris.
Sarmaticos primus campos habuisse Tuiscon
Fertur, & a Tanai longe vsque ad flumina Rheni,
Belgarumq. domos gelidas regnasse per oras.
Transijt ad Celtas, & Gallica regna Samotes:
Scrutator naturæ ingens Diuumque Samotes:
Vnde volunt Dryidas ortos, & sacra Deorum.
Hesperiam vero magnus Tubal armiger omnem
Est sortitus, iens quantum vestigia tellus
Ferre potest, ipso duce ad vltima litora Phœbo.
Saturnum veteres Nemrod dixere Gigantem,
Exstructorem vrbis primæ. Babylona vocarunt
Armenij, Medi, Assyrij, Persæ, atque Sabæi,
Quem Dianos, Italique Iouem, Babylonia bellum.
Dixit, ab Assyrijs omnes venere colonis.
Tum Genuus cum prole sua peregrinus ad istos
Naue locos veniens, posuit sub montibus vrbem.
Et quamquam commenti aliter Grai atque Latini,
Omnia mutantes primæua vocabula rerum:
Hi veri tamen annales, quos Persia, & omnes

*Assyrij, Medique tenent ab origine prima.
Plurima versato iam sæcula neuerat orbe
Sol noctes vigil, atq; dies, ac cetera mundi
Sidera. tum Phrygios post diruta mœnia Troiæ
Huc annasse viros fama est, gentemque Phrygosam
Heic fecisse, genus belli molimine & armis
Ac pietate, procul nostra vsq; ad litora notum.
Has igitur petiere oras ductore Bagæo.
Hic Troiæ auxilio missus cum Memnone duxit
Vxorem. at Phrygijs postquam de regibus actum est,
Quidquid nocturno potuit subducere ab igne
Transtulit in naues proprias rediturus ad oras:
Sed mutata viri mens est a coniuge Procri:
Quæ magis Ausonias, postquam discedere in orbem
Sors dabat externum, migrare optabat ad oras.
Cum soceris igitur, tenerisque infantibus illum huc
Coniugis egit amor. tanti est mortalibus ardor
Femineus: sobolis pietas ita pectora cogit.
Omne suum genus, & patrios Oriente Penates
Linquit in extremo, profugusq; per æquora transit
Solis ad occasum. sic Di, sic sidera voluunt.
Hic tandem excelso paruam sibi condidit vrbem
His in colle locis, & ab ipso auctore Bagæam
Posteritas dixit: claris genus inde Phrygosis,
Qui se primates Ligurum fecere merendo.
Dumq; ea Democrates recitans tenet ora virorum
Plurima prætereunt fama loca cognita: Cyrnum,
Coralio insignem Cyrnum, Sardoaque saxa,*

Id-

Ichnusæq; domos, & Sandaliotica rura:
Quæ quondam incoluit magno satus Hercule Sardus,
Tres padumq; genus, quod progenuere sorores
Quinquaginta vno factæ de semine matres
Luce vna: luce vna omnes sua pignora nixæ.
Abicat ad dextram muris Albinga superbis,
Herculeusque sinus, portum dixere Monæci.
Iam Nicæa patent procul arua sub Alpibus vltra
Nubila porrectis: quæ Gallica regna, domosq;
Teutonicas amplexæ abeunt in Thracia longe
Litora, visuræ Euxini vada frigida Ponti.
Iam sua regna vident Galatæ. Nicæa salutant
Mœnia, mox fractum pelagus fluuialibus vndis
Vt videre, rati Rhodanum: conuertite, clamant,
(Sic amor est præceps) proras conuertite ab alto
Ocyus ad terras, & litora prendite nostra.
Tum gnarus terræ atque maris, quisnam furor inquit
Rector agit mentes? non sunt Rhodanensia, non sunt
Ostia: sed Vari fauces. confinia iungit
Ipse Itali, Galliq́ue soli: durißima passus
Saxa, venit pelagi ventos passurus in vndis.
Venerat in summum cœlorum altißimus orbem
Sol, caua litorei currens per brachia Cancri,
Cum Phocense solum, positamq́ue in litore prendunt
Maßiliam: vela antemnæ posuere cadentes,
Optatisq; diu portu potiuntur & vrbe,
Tum Galatæ in patrios certi remeare Penates,
Tectosagumq́ue Lares terrestri inquirere gressu,

Cum Grais suprema parant conuiuia ritu
Sollenni celebrare. Alij mantilia longis
Expediunt mensis: pateras, aurumq́ repostum,
Quod Diuum ex adytis varias rapuere per oras,
Ostentare parant. abacis argentea in altis
Vasa nitent, & tota patet pretiosa supellex.
Fulcra leuant alij, cæsisq́ vmbracula texunt
Frondibus: important alacres spumantia Baccho
Cymbia, lætitiamq́ cient crateribus haustis,
Fumantes vocat hora epulas: pincerna cubandi
Tempus ait: iam stricto ineunt conuiuia ferro.
Prosilit in medium penori præfectus Acestes,
Nescio quid portans patinis regaliter altis,
Atque ait, ecce tuæ partem Dux maxime prædæ,
Quam sale condieram Campanæ in litore siluæ.
Sic memorans, infert apri femur, atque morantem
Ista sitim dixit reuocare opsonia possunt.
His mihi nil opus est, cui fumo arentia semper
Guttura, & hæc referens, magnum cratera rubenti
Spumantem Bromio leuat, & se ingurgitat auro.
Laudauere hominem, meritumq́ ea præmia mensæ
Dux quoque testatæ. rediens vestigia visus
Ferre incerta: pedes, & crura labantia casum
Significare: ruit præceps in puluere figens
Lumina, & extenta tellurem verberat aluo,
Ac iacet exanimo similis. ciet icta repente
Nubē humus, absconditque volatilis vmbra iacentem.
Casu obliti epulas, dulci exultantia pascunt

Cord

(rda ioco, atque alacri resonant conuiuia plausu.
urrunt famuli, & tentantem surgere tollunt
tormenta grauem somno, vinoque calentem.
sedata fames: Galatæ, Argoliciq́ per ampla
Litora se exercent ludis. hi brachia lato
Disco onerant: illi nudæ dant membra palæstræ.
Pars leuibus plantis, cursúque fatigat harenam:
Pars operam impertit iaculis: pars litore factis
Carceribus longo se tollit in aera saltu:
Pars natat in pectus: pars palpitat ore supino.
Sunt qui præcipites summi de vertice mali
In freta se mittant, cedit mare & vnda reclamans
Spumat: eunt imo quæsitum Nerea fundo,
Mox procul egressi ductis vada summa lacertis
Nando equitant, madidosq́ue abigunt in terga capillos,
Et sale membra lauant tepido. iam pulsa tenebris
Læta dies, resident clausis maria omnia ventis,
Inducuntq́ue graues nocturna silentia somnos.
Lucifer exoriens tremulis radiabat in vndis,
Totaque iam pleno lucebat Cynthia vultu
Hesperio vicina freto, dare vela Lacones:
Ire parant Galatæ: faciunt lacrymabile gentes
Dissidium geminæ. felix concordia, longæ
Pax tranquilla viæ, similis fortuna virorum
Vnierant animos, & erant præcordia nexu
Iuncta pari, & morem iam consentanea in vnum.
Oscula dant igitur flentes: dant mutua dona.
Accipe dicebant nostrum testantia amorem

Qualiatumq; finit tempus, testantia casus
Dona pares, longamque viæ testantia pacem,
Æternamque fidem. monumenta exilia certe,
Verum quanta finit præsens fortuna, locusque.
Hæc nostri agnoscant post funera nostra nepotes,
Quæ loca cumque dabunt illis fors, Numina, & astra,
Conspirent que animis, & amore ferantur eodem.
Talia magnanimæ celebrant diuortia gentes.
Arua secant Galatæ: Grai æquora. Gallia nostris
Litoribus prætenta, fides si annalibus vlla est,
Dicta olim Braccata fuit. noua nomina Narbo
Martius induxit genti, quam longa Gebennæ
A reliquis dirimunt iuga, & alta cacumina Gallis.
Vt patrios tandem Galatæ tetigere Penates,
Heu, grauis ærumnam morbi, tabemque veneno
Pestiferam grassante, virûm per corpora passi.
Sanguifluas febris venas, carnem, ossa, medullas
Ignibus inflammans Stygijs, torquebat atroci
Supplicio miseros. Liparæa incendia, & AEtnæ
Ardorem leuius, leuius Phlegethonta tulissent.
Pectora Pulmonem vix eluctata meatus
Aura per angustos tussi laniabat anhela:
Sternebatur humi ægrotans, membra omnia, & ipsam
Mordicus inuadens linguam, crudelia clamans
Numina præ rabie, atq; doloribus intestinis.
Relligio casu funebri excita per vrbem
Continuo: pauidæ matres altaria circum
Sese in vota ferunt: prece sollicitata frequenti

Numina respondent caussam scelus esse malorum.
Placari nec posse Iouem, nisi noxia turba
Sacrilegum raptas templis in gurgite vasto
Mergat opes, Barathroq; nefas abscondat opaco.
Non procul obscuris lymphas stagnare lacustres
AEquoribus memores, atque inscrutabilis vndæ
Sacrum Erebo Ditique lacum, facto agmine ciues,
Quidquid erat prædæ externæ, vasa aurea, gemmas,
Signa, ebur, argentum, tripodes, opobalsama, vestes,
Expediunt, & subter aquas simul omnia mittunt
Manibus, & Diti, sacrum sollenne ferentes.
Has tantas Romanus opes (nam fama per orbem
Vndique peruolitans omnes impleuerat oras,
Non secus ac Boreas, quoties emissus ab Arcto
Turbine præcipiti terras, atq; æquora perflat)
Cæpio eum patriæ ingenti discrimine iussit
Expiscari omnes, fundoque retraxit ab imo.
Indignata ferunt hac improbitate Deorum
Numina Romanis diro incubuisse flagello,
Nam veluti vates facti atque oracula passim
Attestata, huius noxæ exsecrabilis ergo
Motus ab extremo terrarum cardine Cimber,
Ceu turbo agrorum demoliturus honorem,
Protinus Italiæ in foribus tentoria fixit.
Continuo vt subiti peruasit fama tumultus
Trans Alpes, trans Euganeos, trans Eridanumque:
Tinniuere aures Italis, Ligur, Vmbria, Etrusci,
Picenteśq; fremunt, & gens Mauortia Samnis

A:

Ac Campanus ager titubant: volat vsque Tarentum
Rumor, & audito questa est Trinacria bello.
Quod nisi tam vastis vndarum molibus ingens
Obijceret vallum Arpinas, Capitolia forsan
Seruasset, neque tempestas nimbosa, nec anser
Interea Argoliti caua vela ferentibus Euris
Alta secant maria, atque oculis ad litora versis
Prospiciunt magni claros bello Herculis agros.
Hæc etenim penetrans olim Tirynthius arua
Incidit in geminos, Neptunia semina fratres,
Ingenio immani solitos armenta, gregesq;
Prædari, iugulare homines, ac viuere rapto.
Hos contra Alcides veniens consumserat arma
Omnia, nec telum quod mittere posset in hostem
Conspiciens, dextra in pugnam tendebat inermi:
Vis ea diuino demissæ à sanguine proli.
Iupiter extemplo Natum miseratus ab aura
Saxa pluit, quibus armatus fera monstra peremit,
Herculeæ in campis signum memorabile pugnæ
Restat adhuc. saxis late loca grandibus horrent.
Sexta rubescentes radios Aurora per vndas
Sparserat, & vento mare vela vocabat Eoo,
Cum procul a dextra quædam contermina cælo
A longe iuga prospiciunt, & in æquore terras
Fluctibus ambitas versus Maurusia regna.
Ecce Pyrenæi clamat nauarchus ab alta
Puppe apices. heic extremos Hispania campos
Inchoat, & longe in fines fugit vsque Britannos.

Terra armis, opibusq́ potens: terra inclyta toto
Orbe. duæ frontem contra Liba vertite, terræ
Ecce velut maculæ duplices, Balearica regna
Argolici dicunt, populis habitantur Iberis.
Finierat. cum Democrates sermonibus ora
Sic iterum soluit. genus hoc Leonice vagatum est,
Et varios casus ipsum quoq́, & aspera sensit
Sidera. mortales eadem complectitur omnis
Conditio. aduersis fiunt regna inclyta rebus.
Gens Hispana igitur casus longe ante Sicanos,
Et prius Hippotades quam sceptra teneret in vndis
Æolus Æolijs, nondum Cyclopibus AEtna
Nota erat, Antiphate nondum mala venerat ætas,
Seditione graui, rixisq́ue agitata colonos
Finibus eiecit patrijs, & in æquora misit.
Illi autem longis inuecti nauibus omne
Ionium, AEgæumq́ fretum sulcare coacti,
Trans Phrygas & Thraces per mille pericula tandem
Litora venerunt ad Pontica, regnaq́ Colchos
Inter & Armenios pulsis cepere Colonis,
Et fecere suo terris cognomen ab amne.
Subdidit Endymion Rhodius Cleobulica proles,
Herculeam qui se sobolem iactare solebat.
Sunt & qui memorent, post diruta mœnia Troiæ
Laomedontiadem Teucrum genitoris ob iram
E patria pulsum venisse ad litora tandem
Hesperiæ, dictamq́ suo de nomine Teucram
Hoc vrbem statuisse solo, gentisq́ relicta

Parte

Parte suæ procul ad Cyprios annaſſe Penates,
Ac poſuiſſe nouam Salamina in finibus illis.
Continuo Eudoxus magni ſcrutator Olympi,
Qualis auus quondam, cauſſas qui ſcripſit, & annum,
Legimus Heſperio poſitas in litore Gades
Phœnicum genus eſſe: ſuis quod ſedibus olim
Fugit, & extremo poſuit ſibi mœnia mundo.
Verùm a finitimis cum vexarentur Iberis,
Conduxiſſe ferunt miſſos ab origine eadem,
Ac ſibi congeneres vſque a Carthagine Pœnos:
Quorum ope rixoſos agerent de finibus hoſtes
Hæc via prima fuit Pœnis in Iberica regna:
Quæ illecti meliore ſolo dum ſubdere tentant,
Exciuere Italos, Romanaque protinus arma
Iam ſemel, ac rurſum, ſi veri nuntia fama eſt,
Nunc excire parant arſuræ incendia Byrſæ.

LIBER III.



Er varios caſus ſic alternantibus i-
bant
Colloquijs, cum mox alium videre ſu-
perbo
Vertice porrectum pene vſque ad ſidera
montem:
Tum maria, & terras, ſcopulos, & litora doctus
Rector ait, tantam hanc molem, quæ nubila tranſit,
Indigenæ Iouis appellant, quia ſacri tonanti

Tem-

Templa gerit, montem, quo relligiosa quotannis
Dona ferunt vrbes, & qui maris æquora verrunt.
Rex pius audito raptim Ioue surgit, & ora
Versus ad aereas rupes, bone Iupiter inquit,
Auspicijs cuius legimus freta, quærimus arua,
Ac fatale solum, scis quid promiseris ante
Chaonio in saltu: tua Numina sancta precamur
Heic quoque summe Deum, profugam ne desere gentem
Talia Dux. subito celsi de vertice montis
Nasci ignem videre omnes sidusq; coruscum
Crescere in ingentem flammam, cæloq; volare
Instar auis, ferriq; procul per nubila: demum
Stare Valentinæ super arua virentia terræ.
Omnibus hoc signo supplex immissa repente
Relligio, se submittunt, ac Numen adorant.
Ista Therapnæus mirans ostenta leuatis
Euridamas oculis, nam somnia doctus & omnes
Diuinandi artes erat a iuuenilibus annis,
Taliter horrendæ narrat miracula flammæ.
O comites nobis bona Iupiter omnia monstrat:
Iupiter omnipotens qui æqualiter omnibus oris
Regnat, & est miseris Numen mortalibus æquum.
Flamma situ terras, vbi surgant mœnia, signat,
Quod vero minor orta ignem se effudit in amplum,
Augendam latè gentem quod splendida lucem
Creuit in immensam, nostra de stirpe nepotes
Significat fore præclaros, in nomen ituros
Perpetuum. dum sic fatur, res mira tetendit

Ignis ad Oceani fines duo brachia contra
Litora Cimbrorum: caudam mox tendere visus,
Qua via per Gallos venit alta ad mœnia Romæ,
Trans iuga, & excelsam radijs transire Pyrenem.
Viderunt hucusq; iubar, si forsitan iuit
Longius: infirmo mortalia lumina visu
Non valuere sequi, tandemque euanuit ardor.
Tum rursum Eurydamas, ô fortunate Laconum
Dux Leonice, nepos magni Herculis, aspice sacra
Quod tibi in Epiro dudum cecinere columbæ:
Iupiter heic rursum cœlesti enuntiat igne:
Ibit ad extremas nostrum pars maxima terras,
Ibit & ad Gallos: Italas migrabit ad oras.
Talibus Eurydamas in spem certam erigit omnes.
Lætior augurijs Diuum Leonicus, & omnes
Quotquot erant in classe viri, descendere in agros
Hesperiæ, explorare locos, & discere gentem
Constituunt. duo Democrates seniorque Lycophron
Argolicus missi vicina per oppida pacem
Quærere, & hospitium. tum regem Hispania nullum
Forte habuit gentes in libertate trahebant
Tranquillos sine Marte dies: res gentibus illis
Rara, quibus semper ferrum & certamina in vsu.
Lecti oratores multa cum pube suorum
Re suscepta abeunt, circumpositasque per vrbes
Hæc mandata ferunt: sese genus esse Laconum
Vi armorum patrijs depulsum sedibus: ista
Auspicijs Diuum venisse ad litora tandem,

Pat-

Pacificos sese non vi, non fraude Penates
Quærere: telluris tantum se poscere, quantum
Vrbs velit: vrbs leges obseruatura, Deosq.
Præterea esse sibi regem, quo iustior alter
Non fuerit, postquam fratres Rhadamanthus & ingens
Iustitiæ cultor Minos iuere sub vmbras.
Antiquo regem demissum a sanguine magni
Herculis, in toto qui monstra peremerit orbe:
Nec sibi, sed populis solitum regnare: Deorum
Cultorem, belli insignem, pacisq. magistrum:
Vt pote qui Spartæ genitus, qui sancta Lycurgi
Iura puer tulerit: cui sit placabile & æquum
Ingenium, patribus socium, plebiq. parentem.
Talia narrantes casu venere Saguntum.
Continuo ciues, postquam didicere Laconum
Esse genus, regemq. satum de semine Diui
Herculis, assurgunt omnes, & in oscula tendunt,
Et fletum elicuit pietas: mox talia fantur.
Si fortuna fuit vobis aduersa Lacones
Gens augusta, solo dum vos eiecit auito
Prospera in aduentu tali, deponite curas,
Esse parat: vobis factum satis. omnia namq.
Quæ tunc surripuit vobis bona, reddidit vrbis
Huius in ingressu. vobis hæc mœnia, vobis
Accipite has animas. & nos a sedibus illis
Venimus: Alcides nobis hanc condidit vrbem.
Nostri atauì. comites eius, quos legerat ipse
Spartæ Argis, fidens tales excellere bello.

Viuimus auspicijs eius. sub numine tanto
Creuimus his agris, rerumque opulentia nobis
Maxima. per nostros fruges vberrima campos
Vos etiam ditare potest. communia iure
Arua, quibus commune genus. succedite vestris
Mœnibus audenter, vestris succedite rebus.
Sunt & in his pleraque aliæ regionibus vrbes,
Quas posuere olim Grai cum rumor ad illas
Venerit aduentasse nouam Lacedæmone gentem,
Occurrent læti hospitibus dona ampla ferentes.
Xantippi auspicijs vestri Spartaria quondam
Condita in his agris. At mox ab Amilcare Pœno,
Qui vobis infensus erat, deleta recessit
In nihilum, & noua Carthago surrexit eodem,
Quo stetit illa, loco: sed mox deletus Amilcar
Vindice Xantippo soluit pro crimine pœnam.
Hic à gente Numæ venisse Numantia fertur.
Vnde Deum memorant sortes post plurima quendam
Sæcula venturum, Romam qui vendic et vrbem,
Et premat imperio terras, ac iudicet orbem.
Sunt Abdera labor Thracum. cernetis Iaccham
Bacchi opus antiquum. vestras venistis in oras.
Sic fati inuoluunt plaustris amplissima regi
Dona cados Bromij grandes, cereremq́ quadrigis
Impositam, taurosq́ decem. pernasq́ suillas
Grande onus, ac modo deductos a matribus agnos.
Missi etiam qui certa ferant mandata senatus.
Dumq́ ea tractantur, profert de classe iuuentus Cas

Cum Duce & annosis patribus vestigia longa
Tarda mora, & plantis vadunt titubantibus omnes,
Visaq́ sub pedibus tellus nutare. suauitrans
Iugera, prætentosq́ marinis fluctibus agros.
Naturam Geniumq́ loci, florentia rura
Collibus ex altis riuos potare cadentes,
Et iuga prospectant Baccho vernantia, oliuis
C.nsita paulatim molli se attollere cliuo.
Cuncta probant, mirantur, amant: sua regna videntur
Sortiti, & positas alio sub sidere Amyclas.
Montibus arcetur Boreas, exponitur Austro
Tota vligneis tellus vberrima glebis.
Et iam tum xenijs aderant ex vrbe Sagunto
Ordine legati longo, pompaq́ frequenti,
Dux redit ad naues reptans, vestigia longo
Lenta moue: passu meditans, & vt agmina sensit,
Continet extemplo gressus, ac munera & ipsos
Ore Saguntinos alacri, & regaliter alto
Suscipit affatu laudans, paucisq́ subinfert.
Vistra Saguntini pietas nos omnium egenos,
Errantes, toto orbe vagos ad litora vestra
Augurijs Diuum appulsos, tam comiter, atque
Magnifice accipiens, casus ita frangit acerbos,
Vt videar Spartam non aduentasse Saguntum:
Vt fatear nulli æquè hominum debere Lacones.
Quod si promissa dederit consistere terra
Iupiter, & nostri generis Tirynthius auctor,
Omnes officij memores in sæcula tanti

Longa erimus, quantum nostros durare nepotes
Fata sinent, factoq; magis persoluere grates,
Quam sermone animus. sic Dux. tum protinus illi
Dimissi patriam vertunt vestigia ad vrbem.
Grata reportantes adsunt responsa Lycophron.
Democrateq; simul. populis miserantibus orbam
Hospitio gentem, tellus concorditer vrbi
Est data condendæ: populum qui pascere possit,
Est concessus ager. rebus feliciter actis
Illa dies merito patrijs est addita fastis.
Mœnia iam sacris solenni more peractis,
Et Ioue placato sulcis metantur, & vrbant.
Rex operi incumbens capit Eurydamante magistro
Auguria, & munita magis loca destinat arci.
Curia, templa, viæ, fixis signata per agrum
Et fora stipitibus, curuo loca facta Theatro
Porticibus scriptis: signant & in æquore portum
Omnia quæ veterem norant docuisse Lycurgum
Obseruare parant: sacros ante omnia ritus,
Atque Deos immortales, componere mores,
Otia segnitiemq; procul depellere, legi
Vt Superis (etenim leges a Numine Diuum
Proueniunt) parere nefas restringere duris
Supplicijs: partiri omnes æqualiter agros
Limitibus positis, & opes augere colendo.
Non furto, non insidijs, non viuere rapto:
Et si visus erat concedere furta Lycurgus.
Nil somni causa iuuenes substernere: cultus

Omnibus

Omnibus æqualis: toto satis omnibus anno
Vna chlamys: cœnare palam: pulmenta iuuentæ
Interdicta: nefas aurum signare: nomisma
Cudere: connubium fieri sine dotibus vllis.
Castigare nouam ætatem, seniumq; docere.
Non fulgentem auro colere, obseruare parentes,
Ieiunare, sitim ad gelidos restringere fontes,
Fronte pati brumam nuda, pede frigora nudo,
Et sub Sole dies sudando abscondere longos.
Ruri inte sulcos pubescere: magna natatu
Flumina, præcipites aditus transmittere saltu.
Fulgentes capiti galeas, hastilia dextræ
Inserere, & thoraca humeris, celeremq; sagittam
Mittere: declinare ictus, hostemq; ferire
Cautius: Hispanæ certamina discere fundæ,
Et loro dare vim saxis, frenare superbum
Quadrupedem: venari apros: hastilibus vrsos
Figere: veloci damam præuertere cursu.
Mortem ignominiæ præponere: vulnera tergo
Nulla pati: hostilem non formidare tumultum.
Non bellis inflare tubas, neq; cornua, tamquam
Præcipites factura animos: tibicine Martem
Incipere, ac leni & modulato prælia sensu,
Et per bella sagis velare rubentibus armos.
Non legere Ephoros: patriis de legibus vnum
Hoc est posthabitum: quoniam Lacedæmone rixas
Sæpius excierat, bellumque accenderat intra
Mœnia, & ingressum dederat ciuilibus armis.

Indigenæ sanctos mores, generosaq; corda
Intuiti, Graios. adeunt, & fœdera iungunt,
Mutuaq; allatis: ineunt commercia rebus.
Euadunt gens vna breui: connubia tractant:
Vna omnes celebrant ludos: conuiuia ponunt:
AEdificantq; simul, gaudetq; exsurgere muros
Tectaq; non minus Hispanus quam Doricus hospes.
Igne coquunt lapides, voluunt ad mœnia saxa,
Importantq; trabes: fodiunt sola: marmora quadrant:
Vt membris formica animal breue, viribus amplum,
Prævalidumq; animis subter caua tecta vehenda
Dant operam annonæ, durisq; laboribus omne,
Dum varias fruges terit area, dum fauet æstas,
Tempus in hibernο pergunt consumere victu:
Sic noua concordes sudant ad mœnia turbæ.
Talibus auspiciis vrbs est fundata, breuiq;
Creuit, & a populis cœpit Leonica vocari.
Mox vbi crescenti data sunt primordia regno,
Rex memori voluens animo quæ templa Tonanti
Vouerat in sacro saltu: trans æquora classem
In Libyam properare iubet, latomosq; repertum
Marmora per Numidum rupes, & per iuga Ma[...]
Ex Atlante vehunt citros, regalia quondam
Ligna, cypressorum præ se ferme ora ferentes.
Palma venit, montana abies descendit in æquor,
Et tiliæ nemora, & siluas populantur acernas:
Materiam templo, clarisque Penatibus omnem
Accumulant, magnasq; rates ad litora vectant.

Sculptores quos fama probat, quos gloria maior
Prædicat, ex Libya, ex Gallis, ex vrbe Sagunto
Rex vocat, ac præclaro operi præfecit Amyntam
Oebalium: qui templa Ephesi, qui Mausolæum,
Qui Pharon, & turres monstrantem Cyzicon altas
Viderat, ac structuræ omnis perceperat artem.
Hic ergo inuigilans; operi procera columnas
Fulcra parat: quasdam æquali cute Dædala tornat
Cælatura, cauat quasdam, ducitq; canales
A pede productos ad summa cacumina recto
Limite: diffundunt ederæ vestigia circum
Ima corymbiferas spargentia brachia frondes,
Subiectæq; bases latum elabuntur in orbem.
Sunt quibus insculptæ vites pendentibus vuis
Mille ferant volucres. prono hæc petit ore racemos:
Eleuat illa caput protento ad pabula collo:
Altera se rostro scalpens Soli obijcit alam.
Nec picus, nec pica deest, non psittacus ore
Garrulus incuruo, non crure ciconia longo.
Heic auis est qua si totos inspexerit artus
Ictérus est: croceo solum fraudatur amictu.
Sculptor enim rerum formas de marmore ducit:
Sed nequit innatum rebus præbere colorem.
Hic sedet, & modulos secum meditatur achantis:
Cui comes est Procne, necnon celeberrima dulci
Voce soror guttur plumis surgentibus inflat,
Osq; aperit, dicas studio gestire canendi.
Innumeræq; aliæ volucres, quæ stagna frequentant,

Quæ per rura volant: se d cur ego tempora perdo,
Singula connumerans? doctus facit æmula veris
Euentu felici opifex: per marmora ludit
Omnia. quæ fertur Phragmon finxisse Myronque,
Mentor, & Alcamenes, aliiq; illustria quorum
Nomina non audet veniens abscondere tempus,
Sub pedibus faciunt abacos. panthere, hyenæ,
Indica bos, elephas prono sola pectore calcans:
Lynces, apri, taurusq; iacens in pectus & aluum,
Et prostratus humi primos leo porrigit vngues,
Osq; leuans oneri latos accommodat armos.
Spe laudis faber accensus, molimine magno
Iam leuat & solido grandes iugat ære columnas,
Ac super immani (fallunt sublimia visum
Culmina) conuexa incuruat testudine cælum:
Sideribus cælum insculptis, & imagine multa
Picturatum. illic Aries & cætera mundi
Astra vagi, quæ Sol vertenti circuit anno.
Præsertimque Iouis genus inter sidera missum:
Bacchus, & Alcides, & amatæ pignora Ledæ,
Totaq; progenies cælum sortita Tonantis
Circumfusa thronum. solio stat Iupiter alto
Fulmen habens dextra, maiestatemq; tremendam
Terrigenam populis, totique ostentat Olympo.
Illic astra poli contraria. circulus illic
Lacteus, & quidquid Memphis, Babylonia quidquid
Nocte serenati potuit deprehendere cælo.
Sacra quoq; in templi cilio exteriore locauit

Vestibulum supra, procul apparentia, rerum
Signa futurarum, quæ in relligione minari
Multiplices casus memorant cælestia docti.
Finxit enim cum Saturno, cum sidere Martis
Cum Titane Iouem, cum Lucifero Cythereo,
Cum puero Maiæ, noctis cum principe Luna,
Quæ modo plena meat, modo cornibus ambulat haustis.
Et super aerei statuit pinnacula templi
Pana, Deum naturæ olim per Achæa vocatum,
Regna figurantem deformibus omnia formis
Signaq; subuafro taxantem mystica nutu.
Et saxum prope Pana expers sculptoris & artis
Collocat ad dextram: nostro cui terminus ore
Nomen inest, magnum venturi temporis omen.
Sacra, sacerdotes, aras de more Laconum
Instituit, bobusque dicat noua templa litatis.
Vt tellure seges pingui sata cespite multo
Luxuriat, votis bene responsura coloni:
Semen Agesilai paucis ita fronduit annis.
Et iam Spartanis non sunt satis omnibus vna
Mœnia, propterea Regis duo pignora missis
Sortibus (antiquo mos hic inoleuit ab æuo)
Transmigrare, nouasq; alio sub Sole coacta
Vestigare domos. sic missa colonia duplex.
Vna per Herculeas Euro adspirante columnas
Qua leuat in cælum caput hinc Tartessia Calpe,
Inde Abila vertex, Libycis vbi terminus oris.
Dux primæ bellator atrox Eluacus, ad annos,

Iam veniens fortes, & pro lanugine barbam
Nigrantem incipiens mento proferre. secunda
Nomen habens a gente Lacon, & si minor aeuo,
Non tamen ingenio, nec strenuitate, nec armis.
Qui conuertit iter versus Cantabrica regna.
Hos de quinque duos iussit discedere natos,
Vt mandasse Deos superos, & fata videbat,
Iam senio pater incuruus, iam segnior annis.
Cùm geminos igitur fratres iam sciret ituros,
Hunc pelago, hunc terris, sic est affatus vtrumque
Innitens folio aurato. mea dulcia fratres
Pignora, non ego vos genui terrestribus agris,
Sed Dis atque Ioui. fruges vt arata colono
Debet terra suo: sic nos quasi viua Deorum
Prædia nos ipsos debemus & omnia Diuis.
Vos igitur nati Superis deuota propago
Este Deum memores. ipsi dominantur Olympo,
Ipsi Erebo: nobis etiam, cum gignimur, adsunt.
Quidquid inest homini, certum est opus esse Deorum.
Saturni lacrymæ: Iouis est genitiua facultas.
Mars animum, Phœbus visum facit. illa libido,
Quæ trahit in coitum, Veneris: facundia linguæ
Mercurij: somnus Lunæ. & quæcumque putantur
Sorte dari, Diuorum opus est. dat Iupiter aurum,
Regna, magistratus. sed quid per singula curro?
Omnia dispensant. igitur super omnia Diuum
Conciliandus amor: nitendum insontibus actis.
Placat enim Superos, melior nulla hostia, virtus.

Ast odere virum sine relligione cruentum,
Elatum, delatorem, vafrum, atq; rapacem:
Liuidum, & Asphalti redolentem infame bitumen.
Diui etiam pelagus, ventos, elementa gubernant
Omnia: nec sine Diis locus est. heic Iupiter æque
Ac Pylij, Orchomeni, Thebis, Lacedæmone, & Argis.
Propterea seruare hominem tutela Deorum,
Siue colat terras, liquidum seu nauiget æquor,
Sola potis. nec per noctem gradientibus astris
Fidite, nec forti: solis sed fidite Diuis.
Vos tamen est nescire nefas, quæ seminis autor
Tradiderit nostri nobis Tirynthius olim.
Scilicet in primis à posteritate colendum
Esse sua Superum quendam, qui Terminus ore
Dicitur Ausonio. Deus hic in sæcula fertur
Vltima venturus, renouaturusq; Deorum
Orgia, & insolitum iubar eliciturus Olympo.
Neu taceam quæ nos sancti docuere parentes.
Pars homini duplex. vna ex tellure caducam
Corporis in molem veniens, diffusa per artus
Mortales: hæc ingenium sortita ferarum
Nil ambit nisi terrenum, turpe, atque nefandum.
Hinc scelus, hinc scelerum mater famosa voluptas:
Cui neque de Diuis, neque de virtutibus vlla
Mentio: more suum semper cœno humida sordet.
Altera cœlestis. sublimi in vertice sedem,
Et sacram sortita domum, subiecta gubernat
Corpora, terrestremq; animam: quasi rector in alta

Puppe

Puppe ratem, quasi sessor equum. cum venit Olympo
Iupiter hanc docuit: quo sint cælestia cultu
Numina digna: quibus celebranda altaria sacris:
Mortales quæ iura pati: quas pendere pœnas
Sacrilegos opus est, quæ ducere debeat insons
Præmia. & hæc Diuis similis, contraria lentos
Ad studia inflectit sensus, vt inutile quoddam
Vulgus agens. primum violenter: at aspera postquam
Paulatim abrasa est feritas, mandata sequuntur
Sponte sua. tantum valet ars, & inusta colendo
Consuetudo animis hominum. naturæ ministrat
Principia, ac media ac fines oriuntur ab arte.
Hanc moneo nati (sic vestra monebitis olim,
Cum Deus & grauior patres vos fecerit ætas,
Pignora vos etiam) venerari addiscite: patrem,
Atq; salutares monitus audite Deorum.
Namq; Deos habet auctores: Dis omnia ab ipsis
Traxit: & vtuntur magni hac interprete Diui.
Regia progenies estis de sanguine Diuum
Proueniens. quem Di cupiant regem esse docebo.
Inter aues præsunt aquilæ, inter bruta leones:
Quod membris valeant, animisq; ferocibus assint:
Inter mortales autem prudentia regnat
Et pietas. & quæ partit rite omnia virtus,
Cuiq; suum tribuens, & quæ scit dura ferendo
Vincere, & hostilem bello infrenare tumultum.
Nec satis hæc, nisi quæ ventrem, Veneremq; subacto
Temperat affectu, simul & quæ temperat iram,

Quæ

Quæ contemnit opes, & quæ inter verbera dextram
Contrahit humanos miserans clementia casus
Assideat, Diuisq; hominem cœlestibus æquet.
Adde fidem, quæ dicta facit, quæ fœdera seruat:
Adde hilares vultus, animiq; affabilis ora
Rem populis gratam, & momenti in principe magni
Rex est, iudicium cuius communiter omnes
Ferre velint, quod sit cunctis mortalibus æquum.
Fucus apum non Rex, qui non ante omnia fertur
In commune bonum. cordi quibus est sua tantum
Vtilitas, inuisi Erebo cœloque Tyranni.
Rex opibus, Rex vitæ hominum, Rex parcit honori.
Ipse in fata feror curis confectus, & annis:
Vos quibus est ætas melior, curate nepotes,
Et seruate genus. grandi est sine crimine nomen
Præsidio inter mortales. innoxia nulli
Tam crudum os, quod non faciat placabile, fama.
Mens hominum meritis emitur: benefacta ferarum
Emollire valent animos. sic ducite vitam,
Ne cum fata volent, pudeat ferre ora Deorum.
Quando erimus simul ante Iouem: nam vos quoq; nati
Stare opus est olim ante Iouem: morum improba si vos
Arguet impietas, ego vos genuisse negabo:
Sed fore suppositos, alioq; ex semine partos,
Non de stirpe Deum, magno nec ab Hercule ductos
Causabor: generi virtus innata Laconum est.
Ite bonis igitur, quo vos responsa Tonantis
Ire iubent, Nati ite auibus: fortuna, Deusq;

Fauerit

Fauerit inceptis: & quæ consistere terræ
Di dederint: Di namque dabunt, nec Iupiter ipse
Vsquam aberit: quo sint etiam communia nobis
Gaudia, de rerum euentu mihi nuntius adsit,
Anxius interea digitis labentia mecum
Tempora dinumerans noctesq; diesque manebo.
Talia cum natis senior mandata dedisset
Nomine quemq; vocans proprio, procedite nati
Dixit, & extendens vlnas complectitur ore
Cernuus incano, lacrymisque dat vltima obortis
Oscula, discedunt iuuenes: sua quemque secuta
Agmina. per campos iter his: illi æquora sulcant.
Rex pius. & teneris semper Leonicus ab annis
Obseruare Deos solitus, iam grandior æuo,
Et positus longæ supremo in margine vitæ,
Cum nocturna quies aliquando aggressa iacentem
Isset in Auroram: visus sublimia templa
Cernere, quæ vasto æquarent curuamine cælum,
Ingressusque fores magnum spectabat inane
Vndiq; parietibus multo fulgentibus auro,
Cæruleaque super clausum testudine, & alto
Culmine, quod varijs lustrent splendoribus astra
Pendentemq; virum vacua miratur in aura:
Cui niue candidior mento: cui vertice pendet
Concolor argento latos coma fusa per armos:
Cui toga gemmarum radijs scintillet ad imos
Fusa pedes. os quale iubar Titanis, ab vnda
Oceani cùm mane leuat vultum igne rubentem.

Os protul apparens vnum: quia lumina grandi
Luce repercutiens, visum impedit, vt prope fixis
Cernere fas oculis: triplex se ostendit imago
Indiuisa: volant tenues per inania formæ,
Et capita ac genua ante senis vestigia curuant.
Audet, & accedens ammis considerat altis
Singula. spirituum videt agmina magna volatu
Aereo ferri ante senem. fieriq; Theatrum
Grande sinu immenso cui mille sedilia circum
Aurea, & in medio spatium vitrei maris instar
Talia miranti species occurrere visa,
Stareq;, & adspectu sic regem affata benigno.
Rex Spartane tuis forsan regionibus vmquam
Tale aliquid vidisti oculis mortalibus? ille,
Nec vidi, nec posse inquit toto orbe videri
Crediderim. sed fare precor. num Iupiter hic est,
Quem video tanta cum maiestate leuatum,
Nec solio inniti, sed inani incumbere vento?
Hic Deus, hic rerum est opifex, hæc intima magno
Mens operi. respondit. vti mortalia membra
Viuificant animæ: sic & Deus omniaquæ sunt,
Sustinet ac seruat. tolle hunc: quæcumque videntur
Sustuleris. sicut cum mens é corpore fugit,
Corpus it in cineres. hic est, quem Pana vocari
Forsitan audisti Graias aliquando per vrbes.
Terminus hic idem, signo quem Roma triformi
Fingit, & ω magnum quondam dicetur & Alpha.
Mira tibi effabor. tuus est cum Manibus Orci

In-

Iupiter, & vestri quot habent altaria Diui.
Tum visus meminisse horum, quæ dixerat olim
Prouidus Eurydamas Latiæ prope litora Romæ,
Heu, grauis ex alto ducens suspiria corde,
Rex ait: impietas nobis mortalibus ergo
Ingruit, & turpis tam longi temporis error.
Quo nam igitur pacto scelus hoc inolescere tantum
Fert Deus? esse rati Diuos simulacra, litamus
Sacra illis libanda Deo. si fallimur ipsi,
Vos Superi illuso cur non succurritis orbi?
Spiritus, hanc vobis caussam mortalibus, inquit,
Scire nefas. vt enim tellus habitacula vobis
Impertitur: ita satis est cognoscere terras.
Verum tempus erit, quo cum Ioue tota Deorum
Progenies aras, & templa, & nomina perdet.
Hanc Deus ætatem cælo dimittere dudum
Cogitat: hos ordiri annos festinat olympus.
Huc ideo ex toto Diuos pater euocat orbe,
Conciliumq́; hominum pro libertate frequentant.
Veni ego pro Hesperijs, teq́; & tua pignora noui.
Nos omnes regimus terras, & iussa Tonantis
Exsequimur: Diuis etiam quamplurima vestris
Assentimur, vti nobis Deus annuit. ille
Ille, vides, magno sedes cui proxima Patri,
Rex Solyme, sub quo legem Philadelphus Hebræam
Transtulit, indicium nequaquam exile futuri
Temporis, atq; noui signum memorabile sæcli.
Nam Deus ingenijs hominum innotescere sensim

Incipit & finit in gentes sua dogmata ferri.
Qui sequitur, Syriæ princeps. Memphiticus alter,
Alter Arabs: quintus qui Persica regna gubernat.
Sextus habet Medos: Tyriæ Carthaginis arua
Septimus: Æoliam, Cares, Asiamq; minorem
Proximus: Actæos, & Achaica litora nonus.
Roma subest decimo: numeri sub limite primo
Roma sedet. Viden vt vigor est in principe Romæ
Viuidus: ast alijs tristi confecta veterno
Ora cadant. Itali surgent, regnoq; sub illo
Di veteres ibunt pessum: noua sæcula surgent.
Iupiter imperium perdet: neq; Iupiter ipse,
Sed vulgata hominum mentiti nomina Manes.
Proximus Hesperiam gentem regit, atq; Britannos.
AEthiopes alius: Pontum Armeniosq; colonos
Vltimus. Expectant & qui Germanica regna,
Et qui Sarmaticas procul vsq; ad litora gentes
Temperat, atq; alios, quibus insulæ & æquora subsunt.
Ordo alius regnis imponitur. omnia in vnum
Sunt redigenda. cadent Reges Orientis & Austri.
Se Deus ad Tyberim transfert, Romæq; triumphos
Destinat, instituit rerum caput esse Latinos.
Tuq; faueto Italis, faueat genus omne tuorum.
Emersura breui flagrantia bella per orbem.
Concurrent Italis Libyci, & delebitur ingens
Sidoniæ Didonis opus: delebitur omne
Semen Alexandri: nec erit nisi Roma per orbem.
Ipsa quoque in senium vergens patietur ab hoste

Multiplici varias clades: sed maxima surget
A tellure lues Arabum, cum vana superbum
Relligio caput attollens dominabitur Afris
Atque Asiæ populis, quot sunt Euphratis ab amne
Vsq; ad Phasiaci glacialia litora Ponti.
Ista quoq; Hesperiæ clades populabitur oras:
Sed tamen Asturiam seruare licebit, & omnem
Cantabriam, pelagi quam verberat vnda Britanni,
Progeniemq; tuam, quæ tempestatibus illis
Haud minimam præstabit opem: nam magna nepotes
Bella gerent vestri pro relligione Tonantis,
Et pro relliquijs regum, patriæq;: nec vlli
In genus illud atrox ibunt melioribus armis.
Sors tamen illorum multis erit inuida, magnum
Ablatura decus terris: nam sæcula surgent
Bruta oblita bonas artes, & nescia laudem
Reddere virtuti, & famam celebrare virorum.
Nam bene de patria, de relligione merendo
Nomina nulla ferent: generans obliuia tempus
Inijciet claris illorum laudibus vmbram.
Nec tamen iccirco minus ad præclara laborum
Gesta ferant. studeantúe minus sublimibus ausis:
Nam licet in terris, & apud mortalia regna
Langueat interdum: tamen heic sua præmia virtus
Semper habet nulli fato, nulli obuia sorti.
Vltima sæcla dabunt vestro de sanguine quendam
Qui velit ex longa maiorum nomina nocte
Asserere, æternamque atauis inducere lucem.

Fi

Felix, si poterit votorum euadere compos.
Talia sopito cernebat somnia sensu,
Cùm subito euigilans, quasi quædam oracula Diuum,
Visa recensebat secum: nec tempore ab illo
Ad simulacra Deum voluit libare: nepotes
Cuncta docens, senio tandem concessit & annis.
Et iam transierat fauces Eluacus apertas
Æquoris Herculei, qua se via Solis, in altum
Cum cadit Oceanum, sublimi inclinat ab axe.
Tunc Athamas patria Argiuus, regumque ducumque
Gesta tenens animo memori, sic protinus orsus.
Dux Eluace nepos magni Herculis, ab Ioue Diuum
Principe demissi nomen tenet Herculis istud
Æquor adhuc: quòd in has fauces victritia signa
Transtulerit quondam subigens duro omnia Marte.
At sunt qui nostro cognomen ab Hercule ductum
Esse negent, aliumq; velint hoc nomine dictum
A Pharaoniacis venisse per æquora terris
Litora ad hæc, similique errorem à nomine natum.
Vtque fidem faciant, templum esse in Gadibus aiunt
Herculis, in quo sint simulacra AEgyptia, Osiris,
Isis, & Harpocrates, ac cetera Numina gentis
Eius: vt interpres Diuum latrator, & Apis.
O Athamas Eluacus ait, Tirynthia proles
Possidet hoc dudum decus: hæc in sanguine nostro
Gloria consenuit: sine re celeberrima fama hæc
Nec potuit nasci, nec tanta in sæcula duci.
Quòd si forte huius fuit vnquam nominis heros

Alter ad has vectus terras, cui templa dicarit
Angulus hic: aliјs certe nondum agnitus oris
Exsulat ex toto tamquam procul orbe fugatus.
At nostrum sonat omne hominum genus: Ipse Gigan-
Ipse domat Lapithas, atq; agmina Centaurorum.
Ipsi thura cremant aræ Libycas per arenas,
Atq; per Europam, per litora Gangis, & Indi.
Nilus & AEgyptus placeant sibi: Græcia certe
Clarior ingeniјs, opibus, facundia, & armis.
Quòd si quem, decus hoc nostrum qui polluat, vsq;
Repperero: dextra hac faciam me intelligat ortum
Ducere ab Alcide, non sordido ab Hercule quodam.
Talia dux. cuncti comites, Athamasq; fatentur
Herculis Argiui missam vltra sidera famam,
Et quæcumq; alio memorentur ab Hercule facta
Esse leues nugas: quas vaniloquentia turba
Niliacæ nostræ confinxerit æmula laudi.
Dumq; ea sermonum multa vicefantur: ab Austro
Aura recens, leni veniens ad carbasa flatu,
Proram agit in Caurum: ducto pede nauita flectit
Cornua, & antemnas, alioq; arat æquora sulco,
A Libe doctus iter. tria promontoria longe
Prospiciunt dextra, Cuneum sic nomine dicunt
Hesperiј, sacrum, & magnum, qua surgit Olyspon:
Qua Tagus immensi disiungit litora Ponti:
Et qua Nereidum viridis chorus æquore lato
Regnat, & includit grauis arua feracia plumbi.
Mox vt conuersis procul ora Britannica proris
Est con-

Est conspecta: nigris subtexi nubibus æther
Incipit, & flare obscuro grauis Eurus ab ortu.
Nant magno grege Delphines, dorsoq́ repando
Æquor arant simo captantes aera rictu.
Crudescit sensim Nereus, & proijcit iram
Cum fremitu in maria, & cœlum nigrescit in vndis.
Heu, quidnam, Nauarchus ait, parat AEolus ore
Fluctifico? subita quid tempestate minantur
Di maris & cæli? numquam ne iter ire quietum
Sors finet? & sic semper erit cito mobile cælum?
Sancta precor Tethys, Nymphæ Oceanitides omnes
Tuq́ pater, cui dant veteres primordia rerum,
Oceane, ah, profugos terra pelagoq́ue Lacones
Ah seruate, mariśq́ minas auertite, & auræ.
Sic ait, atq́ animi compos totam excitat artem.
Sæuit hiems magis atque magis, neq́ prendere terras
Fas aliquas rapiente salo, quæ litora Pontum
Nulla tenent, sed abit saliens fine fine sub ima
Fundamenta orbis, rursumq́ recurrit ad ortum.
Sæpius annixi deponere vela: rudentes
Aura onerat, pugnatq́ue manus & fortia contra
Brachia, pendentesq́ue agitat tunicasq́ comasq́,
Obtūditq́ue aures, & verba retorquet in ora.
Pontus & aura sonant altum: nec nauta magistrum
Audit, & in vultus saliens mare lumina vexat.
Fluctibus icta gemunt latera insultantibus, instat
Pontus, & assurgens puppim leuat, atque dehiscens
Præcipitat. ferri dicas in Tartara proram

Transilit vnda rates, & dißipat æquora ventus
In pluuiam: quæ adspersa cadit per transtra, forosque.
Solliciti satagunt omnes: nihil omnia agendo
Proficiunt: vix stant pedibus, vix cruribus hærent.
Iam nimbi grauis æstus adest, tonat vndique mundus
Terrifico mugitu, ardens secat aera fulgur
Igniferum, stridentq; illisi fulmine fluctus.
Attoniti incipiunt vitæ diffidere & ægra
Mente hærent. nimbus, venti, mare, fulmina mortem
Subijciunt oculis, lucemq; exterminat vmbra
Nubis, & effundens omnem cæli impetus iram.
Nec satis hæc, nebulis erumpere saxea grando
Incipit, & magnos imber duratus in orbes
Verberat exanimos: madidas ad tempora vestes
Corripiunt miseri. clauo proreta relicto
Pellitur in præceps, & agit frons icta cruorem.
In ventos nimbumque putes ruere astra, polumque:
Neptunumq; Deos superos se attollere contra.
Tunc instare videns extrema pericula ductor
Eleuat os, piceumq; ruens Eluacus Olympum,
Iupiter altitonans semper mortalibus æquum
Numen ait, tua quæ nescit clementia finem,
Eruat ex tanto cælique marisq; periclo
Has animas: neq; nos iratum absorbeat æquor.
Nos neq; Neptuno nati certare, nec ipsis
Dis superis. si fata vocant, mittamur in enses,
Pugnemusq; viris, vbi fas & robore, & armis
Niti aliquid. sub Marte viros occumbere pulcrum.

Sanguine

Sanguine non lymphis madidum decet ire sub Vmbras
Bellatorem hominem, rigidoque occumbere ferro
Non pelago nihil audentem, lentum, atque iacentem.
O duo Amyclaei Ledae & Iouis inclyta fratres
Pignora, Di patrij indigetes, sanctique Penates,
Et tu Bacche pater, qui fers Minoida ab alto
Ad Superos, tuq; o domitor telluris & vndae,
Vnde genus nostrum Alcide, date fluctibus istis
Defungi, atque aliquo sortiri in litore portum.
Sic ait, extemplo antemnis insistere visae,
Castores appellant, flammae felicia nautis
Omina iactatis pelago, & rarescere caelum
Atque serenari, Pontus mitescere, venti
Concidere, & Zephyrus fieri contrarius Euro.
Laeti omnes imbrem excutiunt, frontemq; cruentam
Tum demum aduertunt, rectoris & ora tuentur
Saucia: stant circum, tepidoq; medentur oliuo,
Quod bonus Eurytion medicis infecerat herbis:
Paeonia Eurytion Lydus nulli arte secundus.
Affuit & Bitias, magico qui vulnera cantu
Pellere doctus erat, Manesq; excire sepulcris.
Gestit ouans pubes: discrimine functa Lyaeo
Ac Cerere, & dulci solantur pectora risu.
Velaq; soluentes conuulsa atque humida nimbis
Sedulo in antemnas nautae noua lintea tendunt,
Atque leuant tractim nauale celeusma canentes.
Incuruata sinu mox vela Fauonius amplo
Porrigit, & celeres adiungit nauibus alas

Iamque Caledonios saltus, finesque Britannos
Transgressis, aperit pineta virentia magno
Insula in Oceano Gallos & Celtica contra
Litora, fatidicis olim sacrata puellis,
Quæ nautis ventura canant. huc Eurymedontis
Consilio appulsi demittunt vela, parantes
Prandia, & ignotæ mensas in margine terræ.
Murmur vt auditum, visæque ad littora puppes
Insolitæ, vultusque noui numerosaque turba:
Virginei cœtus custos, Phœbique sacerdos
Affuit extemplo Dryidum comitante caterua,
Et, quò annare velint, tranquillo interrogat ore.
Altius intuitus senis os venerabile cani
Eurymedon, genus Hispanum sumus inquit, ad oras
Labimur incertas profugi, nihil insidiarum
Molituri vsquam. fatalia quærimus arua
Sortibus admoniti: nobis hæc litora circum
Deberi patriam, & condendis mœnibus agrum,
Tum senior barbam mulcens in pectora lapsam,
Hesperij genus armipotens, Di vestra secundent
Cœpta inquit: delubra colunt ea Phœbades alta,
Quæ procul apparent illis se infundit Apollo,
Et ventura docet. scitari oracula fas est.
Vos ideo ad nostras aliquis Deus appulit oras.
Hæc ait, vt templum, maiestatemq́, Deorum
Gens verita abstineat furto, violentia, & armis.
Tum Eurymedon paucis altam comitantibus ædem
Mox adit, & numen Phœbi inclinatus adorat,

Nec mora, Nympharum antistes, quæ præscia casus
Illabente Deo linguamque in verba mouente,
Phœbas adest, adytisq; hominem compellat Achæum,
Sic memorans. Lacedæmoniæ non gentis Iberæ
Eurymedon soboles, tecum est Eluacus ab alto
Hercule descendens, Ioue quæritis auspice terras.
Chaonio in saltu vobis responsa dedere
Fatidicæ volucres, celsa vidistis ab arce
Ignem, & multifidis præsaga incendia flammis.
Ibitis ad Cimbros: sed non ea debita vobis
Regna: reuertentes amnis vada lata Sicambri
Inuadetis. apud Belgas loca debita vobis.
Dixit, & in tecti rediit penetralia virgo.
Tum senior mirari homines oracula cernens,
Veraque prodentem vultu Eurymedonta locutam,
Subiecit. viden Eurymedon quam certa puellæ
Dent responsa? prius quàm quid quæsiueris, vltro
Fata genus, caussamque viæ. manifestus in ista
Voce Deus: nec adhuc desunt qui credere nolint
Esse Deos, dicantque regi mortalia casu.
Tum Eurymedon: venerande senex nil sortibus istis
Certius audiui Lycias: ad Delphica veni
Limina: consului Delon: nil certius istis
Sortibus: ipsa vias, ipsa est semel omnia fata.
O decus, ô cæli lux immortalis Apollo,
Dexter ades nobis, & nostra incœpta secunda.
Sed tu sancte senex mecum dignabere fari
Pluribus. auditum nobis & fama per orbem

Missa diu, Dryidas quosdam regionibus istis
Degere, qui Diuos, qui sint cælestia docti
Omnia. de Dryidis si quæ tibi cognita, fare.
Ipse inter Graios, quorum prudentia magnum
Nomen habet, genitus Dryidas audisse recordor
Viuere apud Gallos, & scire arcana Deorum.
Eurymedon senior dixit. cognoscere postquam
Tantus amor Dryidæ quid sint, absoluere paucis
Rem aggrediar. Dryidæ quoddam mortale Deorum
Sunt genus, in terris cælestia numina agentes,
Semoti a turbis hominum, nemora alta colentes:
Vnde & nomen habent, æterna silentia seruant,
Et meditabundi reptant: incuria victus
Summa viris: poma esuries absumit, & herbas.
Abstemij semper, fontes & flumina potant.
Delicias & opes. Venerem & conuiuia damnant
Mirificè, vt laqueas animi, & fomenta malorum
Maxima. iustitiæ memores, mortalia parui
Omnia pendentes, in relligione senescunt.
In pietate obeunt: humiles minimumq́ molesti,
Inculti, impexi cum Dis commertia habentes.
Notitiæ rerum incumbunt, & rusticitatem
Ingenio exturbant vigili. quid Numina, quid sint
Sidera. quid cælum, qua lege feratur Olympus,
Quidue elementa. sciunt: quantum aere rarior ignis,
Quam leuior tellure liquor: quis fluctibus ordo.
Quæ natura soli: quantusue sit ambitus orbis
Terrarum: quanta ad Manes via, quantus ad astra

Curſus: aquis quæ forma: fretum ſi tartara ſubter
Ambulet, & ſi ſit tellus habitata ſub Orco.
Vnde niues, & quæ veniant ab origine venti,
Nubila fulgetræ, pluuiæ: quæ fulmina cauſſa
Sic acuant. nihil ignorant: prudentia rerum
Summa gerendarum, & venturi præſcia ſæcli.
Hos populi, regeſq; adeunt, ceu Numina quædam
Conſilium dubijs præſtare ſcientia rebus.
His ego me addicens vixi ab iuuenilibus annis,
Inter eos poſtquam ſenui, templa iſta guberno
Virginibus ſacrata nouem. quibus altus Apollo
Præſidet, vt totidem Muſis: huc munera mittunt,
Qui præſunt opibus, Reges: in fluctibus iſtis
Claudimur, vt quodam orbe alio conſortia vulgi
Nulla admittentes noſtros heic viuimus annos,
Poſt obitũ loca cum Diuis meliora habituri.
Namq; animas, ſecum quæ nulla piacula vectant
Morte obita, cum Dis ſuperis regnare putamus.
Sic ſenior: tandem ad naues, ſocioſque reuerſus
Eurymedon regem & comites affatur, & inter
Prandia Phœbeæ recitat reſponſa Sibyllæ.
Litore ſoluentes igitur dant carbaſa ventis,
Et ſcopulos vitans fugit in maria alta magiſter
OEbalus: ipſe etenim cæli ſcrutator & vndæ
Maximus, atque vias doctus quot in æquore toto.
Litoraque & portus omnes deſcripſerat ipſe
In talibus, & quæ loca ſunt imperuia nautis:
Principium ſumens ab Ioppe & flumine Nilo

Ad

Ad Tanaim: a Tanai ad Gades: à Gadibus vsque
Ad Cimbros. rursum à Cimbris ad Gorgonas vsque,
Hesperiosq́ hortos magno sub Atlante iacentes
Perueniens: nondum nostris erat agnita Tethys
AEthiopum, non Indorum, nec Hyperboreorum,
Vt modo Gallaici postquam maria omnia reges
Scrutati. inuenêre nouum, si credere fas est
Rumori, & nautis famam facientibus, orbem:
Qua Libys aura inter Zephyros aperitur & Austrum.
Orcades egreßis recto contendere cursu
Mens erat ad Cimbros: verum vestigia puppes
Nunc Lybe, nunc Zephyro, nunc Euro, nunc Aquilo
Perturbante viam, varias traxere per vndas.
Mona procul visa est nigro subsidere tergo
AEquoris in campis. pertransiuere Siambim,
Videre Axanthum. gyroque per æquora tracto
Scandia se ostendit. venere ad litora Vectis.
Ex Nerigo lati in Bergon, gelidamque Sounnon.
Frigida sulcarunt Cronij confinia Ponti.
Hæ sunt sub geminæ radijs algentibus Vrsæ
Insulæ in Oceano, quas clausa sub æquore tellus
Porrigit ad cæli adspectum, sensura per illas
Solis & astrorum vires almumque teporem.
Meta fuit Thulæ: nihil hanc habet amplius vltra
Terrarum Oceanus: sed poßidet omnia Tethys,
Concretumque gelu. glacies imperuia ventis
Non sinit in tumidos Neptunum exsurgere fluctus:
Donec ab Arcturo fugiens substernitur astris

Mitibus,

Mitibus, æstiuum Phœbi reuocatus ad ortum.

LIBER IIII.



Vlius ardebat subiecta Tritonibus ora
Frigidior tamen hibernos poscebat amictus.
Dum sparsas pelago terras, dumque inuia lustrant
AEquora, mobilibus facti ludibria ventis.
Plurima mirati: sed nil magis æquore in omni
Quam totos durare diem sine nocte per æstus.
Sex menses habet vna dies, mirabile dictu,
Sex menses nox vna: cadunt semel atq; resurgunt
Luciferi toto currus Hyperionis anno.
Has quoque mortales quosdam videre per oras
Deformes: pone queis corpus totum auribus amplis
Tectum erat, vt quodam longæ velamine pallæ.
Visa etiam memorant crudi miracula monstri
Per maris huius aquas: quo tota exterrita cœpit
Continuo vires animumque amittere classis.
Piscis enim pelago emergens se corpore tanto
Extulit, vt cauda subiens freta surgeret alto
Vertice in antemnas, malis procerior ipsis,
Physetrem Grai appellant, & spargeret ore
Nimbifero in naues tantum salis atque procellæ,
Quantum nulla potest nubes, cum faucibus amplis
Subuertit maria & terras Garamanticus Auster.

Visa

Visaque extemplo turris se rorida in auras
Tollere, & elatum caput vsq; ad sidera ferre.
Contremuere omnes, versique in vota Deorum,
AEquoris & cæli precibus dum Numina pulsant,
Bellua subducto discessit in æquora collo.
Ergo maris post quam longis ambagibus acti
Aduenere locos, vbi fracto cortice flauas
Silua parit gemmas. glessum dixere coloni:
Dorica gens electra vocant. hinc lenibus auris
Cimbrorum in patriam glacialia regna, geluq;
Aspera perpetuo, gentique inimica Laconum
Itur, & exhaustæ tandem dant litora classi.
Cimbrorum genus acre, ferox, immane, remotum
A reliquis longe mortalibus, vltima mundi
Litora sub stellis habitans Erymanthidos Vrsæ,
Incubuit quondam Italiæ, magno agmine Romam
Depopulaturum: sumtis sed protinus armis
Impiger hostilem Marius compescuit iram.
Pisce, feris, gregibus viuunt. pars maxima victus
Lanicium, spolijs ouium varioq; ferarum
Tergore vix hiemem cohibent, Boreæq; resistunt.
It Pelopis terræ similis pæninsula longos
Oceani in fluctus. tellus abscondita nigris
Nubibus, incompos lucis, subiecta tenebris
Assiduis, quando AEmonium Sol languidus arcum
Circuit, & reduci torquet vestigia curru.
Cimber vt appulsam videt ad sua litora classem,
Infremuit, quasi multisono cum silua latratu

Intē-

Intonat irritatus aper, qui lumina toruo
Igne rubet, spumamq. ruens in vulnera mandit.
Hispida per rupes tinnitu impulsa citato
Tympana Cerbereis frangunt latratibus auras,
Et mugire procul ferali rustica bombo
Cornua sunt audita. iugis decurrit ab altis
Plebs armata: velut riui per saxa cadentes,
Cum grauis æstiuos aer descendit in imbres.
Ille Lycaonio defendit pectora tergo:
Hic caput obnubit corio bouis, altaq. tollit
Cornua. sunt quibus est vituli cute cincta marini
Tibia: sunt tecti viuacibus ilia ceruis.
Fert machlis, fert arma bison, fert pluribus alce,
Vrus, & albentes vrsi: nam frigidus aer
Parturit albentes istis in saltibus vrsos.
Est qui fronte gerat vulpes, & subrigat aures.
Sunt quibus amphibium pecus est pro casside fiber,
Piscosoq. vorax habitans in gurgite lutra.
His setosus apri vertex cum dentibus albis
Cassis erat misso super ora minacia rictu,
Ast alijs gryphes late bipatentibus alis,
Et iugulo sese in rostrum tollente recuruum.
Nam gryps est animal duplex, aquilamque figurat
Pars prior: in Libycum transit postrema leonem.
Propterea à tergo pellis demissa trahebat
Prauia verrentem domini vestigia caudam,
Brachiaque in nodum pectus complexa coibant.
Viuere venatu solitis dant viscera mensis:

Exuuias

Exuuias in bella ferunt, & frigora contra.
Turmatim hastati coeunt, & lata repente
Barbaricum frendens vulgus rude litora complet.
Arma Lacon Dux, arma vocat. Spartana iuuentus
Vultibus insuetis, & agresti territa forma
Principio, in se mox rediens bruta agmina risit.
Læti omnes venisse aliquem post otia tanti
Temporis vsum armis tandem de more volucrum
Exsultant, cum post hiemem noua panditur æstas.
Iste subit thoracem humeris, ac porrigit vlnas
In manicas, & se tunicis loricat ahenis.
Expediunt alij fundas: alij latus armant
Ensibus. incuruant arcus, cinctique pharetris
Dant capiti galeas, & longa hastilia vibrant,
Mox vallum factura suis, pro puppibus altis
Stat scutata phalanx, ac primos excipit ictus.
Post clypeos veniunt longis mucronibus hastæ
Agmine in extremo fundæ statuuntur, & arcus.
Pugna fit: hos virtus, illos agit impetus ardens.
De tellure volant hastæ: de classe sagittæ
Saxaq. Spartani capiunt volitantia in auris
Spicula Cimbrorum, tanta est industria genti,
Tanta est dexteritas: correptaque tela remittunt
In dominos, Cimberque suis configitur armis.
Barbarus vt vires pugna se effundere inani
Conspicit in Furias agitur, frenditq. fremitq.
Dentibus: accingunt summas conscendere puppes,
Nec mora, nec pensi quidquam: toto impete tendunt,

Illatis

Illatisq́ ruunt scalis, & in alta feroci
Rostra animo se proripiunt: neque vulnera curat
Irritata odio rabies. Spartana iuuentus
Ingruit, & contis turbam atque securibus vrget
Ictibus assiduis pulsans, & vulnere fœdans
Tempora, terga, humeros, setosaq́ pectora, & ora.
Heic aliquid saltem vires, industria, & arma
Profuerint nobis: heic saltem agnoscitur hostis
Rex Eluacus ait: iam non contra æquora bellum est.
Heic est dulce mori, cum vinci & vincere fas est.
Dixit, & elata Cimbri petit ora bipenni,
Euertitque gradus retrorsum: in terga ruentes
Per freta femineces magnis cumulantur aceruis.
Nec minus instantem telis pro litore turbam
Sollicitant. cætes tortis iaculantur habenis.
Mille fugant tractis calamos vno impete neruis:
Mille rotant silices. torquent hastilia mille,
Telorumq́ graui fodiunt caua tergora nimbo.
Vt furor intepuit Cimbris, & lassa parumper
Membra videt cessare Lacon: nam Barbara norat
Corpora post primos solita elanguescere nixus:
Emicat, & toto aggreditur lentum agmine vulgus.
Consternati animis Cimbri dant terga: Lacones
Terga premunt iaculis. pauci quibus ira pepercit
Martia, per siluas fusi euasere silentes.
Dux erat Alciden referens, & imagine patrum
Grandanimis, vix dum prima lanugine maior,
Sed virtute annos superans, Dis omnia magnis

Persimilis, vegetos sensus, faciemq; animumq;.
Ipse igitur quot erant captiui ex hostibus, vltro
Liberat accumulans donis ac laudibus amplis,
Magnificè de gente loquens, doctusq; locorum
Ingenium, atq; vias eius regionis & vrbes.
Eurymedonta virum insignem, qui Nestora totum
Æquiparet, mittens populos in fœdera traxit,
Atq; locum pactus descendit ab æquore in agros.
Nec dum multa dies ierat, cum nata repente
Indigenis bella aduersus contermina regna,
Bella cruenta, animis vtrimq; in fata paratis
Concilium de more vocant. iam facta Laconum
Inclyta per populos, virtus & gloria passim
Iam vulgata: ducem tanti certaminis ergo
Gentis Agelariæ dominum legere, iuuentam
Nil veriti: sed mirantes sublimia corda,
Atque sagacem animum, moderariq; arma scientem.
At neque lectores spes aut fortuna fefellit:
Dux etenim (sic fama volans perterruit hostem)
Quam primum in campos positis certo ordine castris
Exijt, aduersas acies diffidere torpor
Compulit, & trepidare animis labentibus hostes.
Non aliter quam cum visa Iouis alite languet
Plebs auium, volucresq; fugæ dare cogitat alas.
Adde quod Alcides cupiens sine cæde nepotem,
Ne quem forte abiens comitum desideret olim,
Reddere victorem: Satyros nymphasq; locorum
Ac Genios omnes iussit prisca ora Gigantem,

Illa q;

Illaq; Titanum fœda atq; immania membra
Sumere, & ante aciem informes ostendere vultus
Hostibus, ac centum manibus prætendere fagos,
Aut piceas, solidasúe suis cum frondibus ornos.
Extemplo audiuere Deum, miracula docti
Fingere, & humanos consueti eludere sensus.
Palladios init hic habitus, descendit ad imos
Palla pedes, teretem: que manu complectitur hastam.
Pectora Gorgoneis exstant armata colubris,
Et tellure iacens scutum vestigia tangunt.
Hic Libycum gerit Atlantem: subit ille Mimantem
Ionium, quem vix iaculantem saxa Gradiuus
Reppulit. hic Zanclum, Siculis quem mœnia terris
Exstruisse ferunt alto vicina Peloro.
Iste manu tantam porgebat in aera falcem,
Quanta foret satis Atlanti in duo frusta secando.
Iapetus, Coeusque humeros attollit in altum,
Et caput in nubes mittens procerus Ophyon.
Apparet grauis Enceladus, ferus Alcyoneusq;,
Porphyrionque trahens plantis maculosa draconum
Tergora, & ora ferens cælo setosa Damastor,
Et truculentus Athos, a quo data nomina monti
Threicio, quod eas rupes inuoluit Olympo,
Cum violare Deos attentauere Gigantes.
Cinnus adest: prodit Celadum Siculusq; Pelorus.
Et cui Pallene fecit cognomina, & Almops
Qui coluit Macedum campos. mouet arma Typhoeus,
Tortaq; in anguinos ducit vestigia gressus.

Et quem Plutonis coniux Proserpina læto
Vix potuit dare Besbycos, Antæus, & Ascus,
Et quem Neptunus saxo allisit Polybutes:
Saxo inquam, quod adhuc medijs apparet in vndis:
Titanum & genus omne, Deos Phlegræa per arua
Annixum patrio quondam detrudere cælo
Læstrigo & Cyclops fratres: Polyphemus & ingens
Antiphates nati, siluis quoque dura ferentes
Ora, feras toruis solita absterrere figuris.
Ista cohors stetit ante alias fulgentibus armis
Splendida, cum trabibus pæne ipsa adeuntibus astra.
Hanc vbi Barbaries aciem mirata, reliquit
Corda calor: pleriq; animas fudere tuendo.
Di quoq; contractis horrorem frontibus augent
Terrificum, toruoq; intentant lumine mortem.
Tali ope dilectis Superi mortalibus adsunt,
Et taciti inter se rident commenta dolumq;.
Sic turbati hostes subito, mora nulla, tumultu
Proiectis dilabi armis, ac castra resolui
Non secus incipiunt, quod cum Libycas per arenas
Venantem pauidi lepores videre leænam.
His meritis populorum animos Eluacus adeptum
Se recolens, cum sedem illis regionibus aptam
Conspiceret nusquam, sterilesq; aduerteret agros,
Atque hominum genus infrenum, discedere certus
Poscit opem, qua possit ire conuertere ad oras
Longinquas a sole minus, pelagoq; reuerti.
Ipse etiam memorans habitas ab Apolline sortes

Eurymedon populos sic voluere fata monebat:
Sic mandare Deos, & hiems vicina minari
Cœperat vrentem brumæ intolerabilis æstum,
Et glacie horrentem Ponti irremeabilis vndam.
Barbara gens omni posita feritate dolorem
(Mortales benefacta ligant) concepit acerbum,
Conatiq́ animos blandis inflectere verbis
Orauere diu. quin & pulcerrima quædam
Principis illius gentis sata semine virgo,
Compulsura Iouem cycni vestire figuram,
Est promissa Duci coniux. spes reddere mentem
Cœperat hæc dubiam, tenerosq́ illudere sensus.
Nam iuuenili animo vis nulla Cupidine maior.
Sed iuueni in somnis vultum turbatus Apollo
Adstitit, agnouit citharam, laurumq́ virentem
Ad crines, apicemque arcus, summamque pharetram,
Et graue supplicium minitans discedere iussit
Protinus. ille animum magnis conatibus ægre
Traxit ab his curis. sic est violenta libido:
Insidiosus amor primis ita pestifer annis.
Virus agens tabem occultam, præcordia torquens
Vsque ad singultus, abigens somnumq́ dapesq́,
Alte erat immersum: toruo iam squalidus ore
Palluerat: totos macies affecerat artus.
Verum fata, Deos, sancti documenta parentis
Mente putans memori, curam impugnabat inanem:
Ac veluti quoties se missum in retia ceruus
Perspicit, eluctans certat se absoluere vinclis,

Et nodosa premit toto retinacula nixu:
Sic iuuenis voto ipse suo contrarius obstat
Insano ardori: Genio crudelis & asper
Vsque suo demum elisum sepeliuit amorem.
Vt videre Ducem nulla prece posse teneri
Exuuias omnes, prædamque ex hoste petitam
Largiti hospitibus Cimbri, studuere benignam
In Lacedæmonios magnis ostendere mentem
Muneribus, dignasque viris persoluere grates.
Classe instaurata spolijs opulentus opimis
Rex abit, & velis dat nauta patentibus Euros.
Sæpe tamen secum fugiens desleuit amatam:
Fleuit & ipsa diu iuuenem sine sanguine virgo
Pallida: nec potuit nisi sero exstinguere curam.
Læti opibus, mactiq; animis in aperta feruntur
Æquora. quinta dies Rheni monstrauit ab alto
Ostia: visæ etiam magno grege nare volucres
Aera per vacuum, pelagoque intrare relicto
Tellurem, ac prætenta vadis Rhenensibus arua.
Auspicium Nicander ait, conuertite proras,
Dant Superi faustum. felix dat Iupiter omen
O comites, podijs in læuam adducite tractis
Carbasa: namque viam volucres docuere marina,
Acta igitur gelidi spatiosa per æquora Rheni
Classis iter sistit, qua se Cameratia rura
Obijciunt. illic fluuium descendere ab oris
Audiuere Italis, nasciq; in montibus hisdem
Danubij fontes, Rhodaniq; fluentis in æquor

Massiliense, suos visi inuenisse Penates.
Continuo gauisi omnes sermone vocari
Argolico flumen. tellus hæc debita nobis
Vociferant. patriæ sic blanda vocabula linguæ
Depulsis Lare natali, & peragrantibus orbem.
Adde quod appositos ripæ audiuere Sicambros,
Et sibi per sortes amnem meminere Sicambrum
Promitti. quid Nicander, quid quærimus inquit
Eurymedon tellurem alim? quod Numina vbique
Promisere datum: fatalem agnoscite terram.
His igitur melius cælum, melioraq́; nacti
Corda hominum campis finem fecere vagandi.
Commiserans verò profugos tum Iupiter vrbes
Finitimas tacito illapsu vatumque per ora
Concilians Grais: simul & Ioue natus Apollo,
Ac generis pater Alcides fecere benignos
Hospitibus Belgas, & coniunxere Pelasgis.
Rura colunt, noua tecta locant, vrbemq́; superbam
Ædificant: Eluaca Ducis de nomine dicta
Mœnia: vulgatum hoc & longa in sæcula nomen
Mansit apud Belgas: nam gens his Belgica in agris.
Sed rude Belgarum genus illa in tempora nullis
Artibus excultum, bellis erat vtile tantum.
Erudiere homines Grai: docuere Deorum
Orgia, telluris cultum, serere ordea, vitem
Pangere, nauigijs fluuios tranare, fretumq́;,
Obseruare graues annos, pubemque colendo
Fingere, & vtilibus studijs formare iuuentam:

Discere cæleſtes curſus, auiumq́; volatum,
Exſtaque. Dis illis fuit hæc induſtria, gentes
Vt male perſuaſas, ſimulataq́; Numina doctas
Exſilijs agerent longe, quo falſa per orbem
Sacra, malos ritus, documentaque noxia ferrent.
Hic igitur longos manſit fortuna Laconum
Firma dies, donec Cæſar per Gallica regna
Iulius irrumpens, Belgas iuga ferre coegit.
Ipſe bonas artes. Graiæq́; idiomata linguæ
A teneris doctus claram Lacedæmona, & Argos
Nouerat, & genus Eudamidum, fortemque Cleomnem,
Magnanimosque Agidas, totamq́; ex ordine gentem.
Propterea veneratus auos in ſtirpe nepotum
Regem, vrbem, ciues Eluacenſeſque colonos
Relliquias magni Alcidæ ſeruauit ab omni
Excidio: quin & Latio donauit & vrbe
Cæretis ad tabulas referens Eluacida gentem.
Tanta poteſt fama antiquæ probitatis: auorum
Nobilitas tanti: virtus heroica tanti,
Vt valeat ſeris placare nepotibus hoſtes.
Pars tamen illorum migrans ad Iberica regna
Et Grais quos Tydeis AEtolia ab agris
Miſit ad occiduo Pontum ſub Sole rubentem
Auſpicibus Diuis aliam melioribus vrbem
Conſtituit terris, Eluacæ nomine primæ
Appellatam olim: Caucam dixere minores.
Altera quæ terris breuiore colonia greſſu
Functa ſuis fatis, per Iberica litora venit

Ad loca quæ Bætis fuso late vndiq; inundat
Amne lacum faciens, & delectata virentis
Vbere agri voluit vestigia sistere ad vndam:
Sed bonus augurio Poltys Byzantius auram
Suspiciens vidit volucres ex gurgite magno
Agmine sublatas nare ad vicina cadenti
Arua magis Phœbo, & monuit iam fixa refigi
Esse opus, inque alios ferri tentoria campos.
Transmisere amnem latum, volucresq; secundum
Inuasere viam. decimum reuocarat ad Indos
Vix Aurora diem, cum mâne rapacibus vndis
Sese obiecit Anas, multis consistere rursum
Mens fuit his campis: verum consultus Apollo
Cui sacra pro fluuij ripis erat ardua moles,
Magnanimo fertur sic respondisse Laconi.
Emeritæ locus hic. hic claram Vettones vrbem
Constituent. transite vadum. fatalia regna
Proxima iam, vestris quæ sunt contermina Grais.
Sorte igitur profugos tali dignatus Apollo,
Flumine transmisso Spartana colonia tandem
In loca peruenit: quæ cum tenuisset Vlysses
Fecit Vlysponicas arces, monumenta laborum.
Dux erat ore Lacon nitido, longe inclytus armis
Tumquoq;. Martis amor puero inspiratus ab astris
Arsit, & imberbi placuit Bellona iuuentæ.
Nec morum integritas cuiquam, nec copia linguæ,
Nec superum cultus, nec munificentia maior,
Ipse igitur sortes Diuorum. & fata secutus

Vidit vt agrorum ingenium, vimq́ vberis arui,
Ac Cereris fruges, Bromijq́ in summa vagantes
Vlmorum tabulata comas, siluamq́ Mineruæ
Baccatam radijs, & oliuiferum nemus omnes
Surgere per campos, collesq́ vmbrare supinos:
Hic locus est vrbis, dabit hæc, ait, oppida tellus.
Mirabatur aquis humecta salubribus arua,
Vtque serenati facies blandissima cæli
Afflaret Zephyris omnem clementibus oram.
Non morbosa palus illic, non nubibus ægræ
Mortiferis auræ: sed aperti Solibus agri
Semper, & expulsa ridens caligine cælum.
Mirabatur equos, Asturconesque voluto
Ire gradu celeres, & quos antiqua ferebat
Fama satos Zephyro, plantis pernicibus Euros
Vincere, & Ocypeten volucri superare volatu.
Quales nunc Franciscus alit Gonzaga, ferentes
Præmia, & ex omni cursus certamine palmam.
Ex quibus inuectus, potuit qui à principe vendi
Argenti totidem pondo, quot reddere posset
Ad lancem libratus equus: sed vendere longe
Turpe putans dedit Anglorum pro munere regi.
Nec fuit hic multis opus oratoribus. vltro
Nomen vt auditum Lacedæmonis, Eudamidumque,
Euigilauit amor, pietas antiqua reuixit,
Leniuitque animos. ita conciliata colonis
Hospitibus clementer agros concessit Vlysso.
Nec concessit agros tantum: sed contulit ingens
Pluribus

Pluribus auxilium donis, ferro, arbore, plumbo,
Marmore, cæmentis, operis fabrilibus, auro.
Fundamenta locant, vrbiq; exordia surgunt
Tam facili euentu. qui condidit omnia, fecit
Fata Deus, fatisque viam. noua mœnia clarum
Gentis & auctoris tenuere. Lacobriga nomen.
Huius amor traxit profugos a flumine Rheno:
Quando Eluacææ sub Cæsare mœnia Caucæ
Linquere persuasi patrios fugere Penates.
Sunt & in Hesperiæ campis, quos alluit vnda
Bætica (testantur veteres, quibus omnia mundi
Cura fuit loca rimandi, tabulisque notandi
Lustratum terrarum orbem) monumenta Laconum
Plura: sed hæc raptim satis est memorasse volentem
Currere ad ætatis grauia infortunia nostræ
Iamq; nouos inter Libyam, gentemq; Latinam
Cœperat ambitio liuorq; excire tumultus.
Inde Numantini strepitus, longiq; labores:
Hinc fragor Herculeæ flammæ, excidiumque Saguntí.
Quippe duo ingentes populi, duo grandia regna.
Vt quondam Phryges & Grai, dum viribus æquis
De imperio certare parant, Hispania campum
Præbuit ad pugnam longum visura duellum.
Sic Gentis diuisi animi, dum Punica malunt
Hi, Romana illi, mos vt mortalibus, arma.
Stirpis Agelariæ, dum res Hispana sub ista
Mole labat, fortuna fuit pro tempore acerbo
Firma satis: nam signa magis Romana secuta est,

Strenuus

Strenuus Hiſpanis poſtquam Viriatus ab armis
Deſtitit: illi etenim quoad eſt fortuna fauorem
Impertita, magis viſum eſt hærere, volenti
Aſſerere Heſperias leges, patriamque tueri.
Geryonæ populos illo Sertorius æuo
Dum regnare cupit, demenſque Aſiatica quærit
Auxilia, & nimium infidis ſe credit amicis:
Egit in errorem: quos Roma coegerat vnum
In conſenſum animos, aliȷs a ciuibus ipſe
Diſsidium faciens plura in diuortia traxit.
Ergo per errorem tunc illius arma Lacones
Dum pergunt augere: ſenem domuere Metellum
Sæpius. & Romæ recitata Laconica virtus
Fecit, vt in magnum tanti molimina belli
Prouida tranſtulerint ſacri conſulta Senatus.
Et quamquam toto iam formidabilis orbe
Ille foret, toties victor, totieſq; triumphis
Vectus ad alta Iouis ſacro capitolia curru:
Sæpe tamen viſa eſt illi victoria longe
Difficilis: timuit fabri de more ſecantem
Frangere tam duro bellorum in robore ferram.
Interea creſcens Romana potentia totum
Perdomuit terrarum orbem. ventura Tonantis
Proxima iam terris proles noua ſæcula fecit,
Atq; ſuæ ſtatuens genti caput eſſe Latinum
Imperium: Roma Europam, Lybiemque Aſiamq;
Subiecit regina ſuper regna omnia Roma
Sola dabat leges, atque omnia ſola tenebat

Vix

Vtq́ solet stellarum ignes abscondere Titan
Exoriens, solusq́ suo splendore per auras
Apparere, fugans Hyades, & cætera mundi
Sidera: sic gentes alias, monumentaque laudum
Extera deleuit dominæ excellentia Romæ.
Istud Agelarios fatum commune redegit
Ad minus illustris vitæ genus: omnia namque
Martia Roma suis ducibus Romana gerebat
Bella viris pollens: reliqui nihil indiga mundi.
Tum longos in pace dies egere ferendo
AEgre annos segnes, & desidiosa perosi
Tempora. non aliter, quod si dum fulmina portat
Ignibus arentes lædat Iouis armiger alas,
Et cogatur humi plumam exspectare, quietis
Inpatiens lentæ vix fert fastidia vitæ
Vtq́ sub ardenti latitantia sidera Phœbo
Lucida sunt, nostro quamuis incognita visu:
Sic generosa virum Virtus sub rege potenti,
Et si lenta, cubat: nec sese illustrat agendo.
Stat tamen, vt sonipes præsepia ad alta capistro
Vinctus, & exspectans accenso classica corde.
Strenuus ad strepitus omnes leuat ora, solumq́
Vngue cauat, micat aure, hinnit, tremit igneus actus.
Regnauere tamen positis ciuiliter armis,
Sacra, Lycurgeas leges, moremq́ secuti,
Quem tenuit primis antiqua Laconia ab annis.
Vt noua surrexit pietas, & sæcula terris
Altera luxerunt: sanctum duxere Iacobum

In sua tecta, suis voluere accumbere mensis,
Miratique virum tanto verba enthea corde
Spargere per populos, & nil mortale sonantem
Abiecere Iouem, Saturnigenumq; Deorum
Sacra & templa: pio caput immersere lauacro.
Cognitus hic genti post plurima sæcula tandem
Terminus ille Deum princeps, qui Tartara vicit,
Quique triumphato remeauit ad æthera limbo.
At veluti natura potens flagrante iuuenta
Exsuperat morbos, vitaq; adiuta recentis
Robore, languorum potis est excludere caussas:
Sed cum iam senio labat, ac laxata fatiscit
Omnibus obruitur iam decoctura procellis:
Sic iuuenis Romæ imperium florentibus annis
Creuit, & hostiles toto orbe coercuit iras.
Tunc Gallos, tunc Hannibalem, Numidamq; Iugurthã:
Tum domuit Persas, & Pontica regna, Scythasq;:
Sub iuga tunc Rhenus: tunc sub iuga Barbarus Ister
Missus, & irrumpens extremo à litore Cimber.
Tum Romana ferox audiuit classica Dacus,
Sarmataque, & nomen Sacæ tremuere Latinum.
Tunc infame malum ciuilia sustulit arma,
Seruilesque minas: quasi quædam tormina duro
Intestina ægræ matris torquentia morsu.
Tum potuit Parthos, & Araxem, altumq; Niphatem
Infrenare. Gothos æuo luxata caduco
Non valuit. genus hoc atrox ab origine misit
Scandia in extremo latitans pæninsula Ponto.

Hinc velut in Libycos Austro spirante locustæ
Infunduntur agros longe, lateque per orbem
Effusi deuastarunt Europica regna.
Transiuere Alpes, Rhodani vada. & arua Garumnæ.
Ista per Italiæ campos, diffusa cucurrit
Pestis in Hispanos, vbi terra est vltima, fines.
Herculeæ infelix casus imitata Sagunti
Dum vult Cauca fidem, Romanaq; iura tueri,
Passa est excidium radicibus eruta ab imis.
Incolumes aliæ mansere Laconibus vrbes.
Relliquiæ gentis quas post incendia Caucæ
Eruit ex grauibus Diuum custodia bellis
Mutauere locos, & traduxere Penates
Ad Senecæ campos: de tempestatibus illis
Heroum domus illa ferax, tibi Bætica grandes
Corduba de Mauris venit latura triumphos.
Scilicet hæc domus est, quæ post tot sæcula nostro
Tempore Consaluum genuit, qui tantus in armis,
Quantus in æthereis splendor Titanius astris.
Latius hunc alibi memorabimus: ante per annos
Cursus erit veteres, & per præconia patrum.
Hæc ea tempestas tam dira, hæc tempora tantis
Perturbata malis, cum gens ignota repente
Ebulliuit agens totum Phlegethonta per orbem.
Insula Sarmaticis recubans in fluctibus Hunnos
Oona produxit, quæ quod sit meßibus orba,
Cogit vt ad victum legat oua palustria vulgus
Barbaricum, fœtas spolians per stagna volucres.

Sunt

Sunt quoq; qui a Scythicis venisse Penatibus Hunnos
Commemorant, vbi trans Tanaim Borealibus auris
Expositi nullis vernant prouentibus agri.
AEdidit immanes quondam Franconibus ora
Proxima tunc sitiens atque infœcunda Suenos.
Barbarus esuriem patiens exire coactus
Sedibus e patrijs: alias migrauit ad vrbes
Et conuertit iter, frugum qua copia maior,
Perniciem fatumq; ferens Acherontica turba.
Vandalus extremis Scythiæ de finibus, vltra
Quos habitant Gryphes, pecus attingentibus aurum
Infestum indigenis, fugiens glacialia regna,
Et Gothus esuriens, secum duxere Arimaspos,
Sauromatas, & Hamaxobios, pictos Agathyrsos,
Essedones, & qui Mæotica rura Satarchas
Dura colunt: necnon gentem sine Numine Taphram.
Tauriciumq; genus minus a Titane remotum,
Sed crudele tamen. Dianæ humana litantur
Membra: neci deuoti homines ad sacra trahuntur
More boum: veniens illuc vix fertur Orestes
Effugisse istos ritus, arasq; cruentas.
Necnon Massagetæ genus implacabile Alani
Vnde habet Hispanæ nomen Gothalonia terræ.
Agmine in Europam magno erupere trahentes
Curribus inualidas paruo cum pignore matres.
Colluuies hæc tanta hominum saturanda per omnem
Irruit Europam, longis grassata diebus
Pannonas, Ausonios, Celtas populata & Iberos,

Elmeones

Elmeones gelidis misit Germania ab oris
Vltima, Sarmaticos vbi Vistula terminat agros.
Et quia setoso pendebat plurima mento
Cæsaries, Macropogones cognomine Graio
Longobardi Italo dicti mutata parumper
A vulgo Ausoniam fraudauit litora vocem,
Sunt tamen a longis etiam qui nomina barbis
Hæc exorta negent: sed cum promiscua plebes
Lingones & Bardi colerent ea regna, putantur
Talia nominibus fecisse vocabula mixtis.
Sed genus id sese Italiam non protulit vltra,
Extinctum a magno Francorum principe tandem
Ad vada Ticini, sedes vbi regia quondam.
Prætereo Scythici missos a litore Ponti
Turcos, progeniem Stygiam & Cocytida gentem.
Namque per Europam non est effusa diebus
Hæc primis tam dira lues: sed Caspia linquens
Litora Caucaseas rupes conscendit, & Austrum
Versus iens sese effudit per Persica regna,
Per Chaldæa: Syros, Arabes subuertit & oram
Vnde per æquoreas Europam Iupiter vndas
Transtulit in Cretam, totoq; Oriente vagata est.
Sed tandem Plutone viam faciente Pelasgos
Intrauere Lares: & nunc confinia mittunt
Litus ad Hadriacum, speculisq; tuuntur ab altis
Italiam: nostræ tantum discordia gentis
Fauit eis: tanto affecta est ecclesia damno.
Illud Agelarios fatum graue rumpere fecit

 Otia, &

Otia, & armatus prodire in bella cateruis,
Et certare diu varijs euentibus. vt sors
Nunquam fida tulit. verum tam sæua fuerunt
Tempora tunc, tam dira ægris mortalibus astra,
Vt fugisse necem posset victoria dici.
Non secus, ac quando crudelibus æstuat vndis
Pontus, & intentant nautis maria ardua mortem
Mercibus ammißis lucrum euasisse putandum est.
Sat locuples, vitamq́ tulisse ad litora solam.
Irritati istis, & ad aspera bella redacti
Cladibus ad priscum decus emersere Lacones.
Quo rapitis fessum Libethrides? istæ iuuentæ
Est labor: istud onus, quod erat melioribus annis,
Cum cecini Alfonsum, Mantoaq́ bella, ferendum
Ante senectutem, labenti imponitis æuo.
Nil tamen inceptum minus exsequar. adijce vires
Christe hominum Diuumq́ue pater, pelagoq́ volantem
Remige iam fesso duc ad tua litora cymbam.
Constantinus apud Gallos dum castra teneret,
Vidit Agelario geminos de sanguine fratres
Romanos anteire duces, & surgere in horas
Altius. Ardiburem, celeri qui vincere planta
Posset aues, solitum cursu transmittere latos
Tanta pedum leuitas, intacto puluere campos.
Insignemq́ue armis belliq́ labore Sisulfum.
Hos voluit comites. aderant cum nomen adeptus
Cæsaris adscendit magnæ capitolia Romæ,
Cum crucis explicuit diuinum insigne per auras,

Et

Et subijt moriens Tuscum Maxentius amnem:
Et cum attestatus toti sollenniter orbi
AEquoris ac terræ Christum dominumq́ Deumq́ue
Alta sacerdoti cessit Capitolia magno.
Hos quoque, cum peteret Graios & Thracia regna,
Rettulit antiquam in patriam, donauit & vrbem
Vt genus agnouit iuuenum, Lacedæmona priscam.
Sic post multa suos iterum tenuere Penates
Sæcla. pias mater lacrymas super ora nepotum
Dulcibus irrorans votis sibi visa videre
Se iuuenem; regumq́ genus mirata reuixit.
Sunt tamen hæc antiqua minus qui gesta putarint,
Et tua Constanti reuocent in sæcula: sed nos
Cedimus hanc alijs, modo quæ recitauimus acta
Digna fide annuerint, numerandi tempora curam.
Editus hinc magni domitor Belisarius orbis:
Qui nouus Alcides immania monstra tyrannos
E terris Pontoque tulit: genus ipse Gothorum
Italiæ longo incumbens ceruicibus æuo
Contudit: vt quondam volucres Stymphalidas ingens
Amphitryoniades, Harpyiarumq́ue voracem
Ingluuiem Zetus rapta satus Orythia.
Vandalus hoc Libycis duce profligatus in oris,
Quo quasi diluuio maris vltra litora misso
Obruta sorduerat longo tota Africa luctu.
Posteritas horum longos possedit in annos
Quidquid ad ætatem venit Lacedæmonis istam.
Nec Spartam nostro, sed nec Lacedæmona sæclo

Appellant Grai: fortuna vocabula cum re
Prisca tulit, fecitque nouum Misistrata nomen.
Taygeti, vt perhibent, sedet alto in culmine montis
Arx noua: subiecto vicus protenditur agro:
Vicus inops, modo Turcorum ditione superba
Squalidus, & vulgi immanis feritate sepultus.
Heic paucos virgo ante dies quam regna supremis
Corruerent fatis, dixerunt Phyllida Grai,
Se confessa genus magno magni Herculis ausu
Claruit, & Venetis patriam seruauit ab armis.
Nam Veneti longis aduecti nauibus arcem
Assiduè magno bellandi ardore premebant.
Hæc, dum feruet opus Martis, pro mœnibus altis
Armigeros inter pugnans duo tela pharetra
Prompsit, & attracto curuatis cornibus arcu
Bis iaculans telis Veneti ducis ora duobus
Perculit: ille gemens amisso robore in auras
Spirauit languentem animã, & prona hæsit humi frons.
Sic vrbem asseruit, sic est genus vlta virago
Orithya tibi similis, tibi Penthesilea
Compar, & Harpalicen referens, Volscamq́ Camillam.
Huic atauus Bernardus erat Caprarius olim
Appellatus: ab hoc fluxit Ramyrus: ab ipso
Ramyro Baptista pater tibi bellica virgo.
Nasceris Eridani propter vada: nubis Achiuo
Parua viro, qui Spartanis regnabat in oris.
Imperium postquam Cæsar traduxit ad oras
Thraicias, Parthi infrenes cœpere Latinum

Detrectare

Detrectare iugum, magnosq́ excire tumultus.
Barbari in Cæsar cupiens frenare, Sisulfum
Misit, & Ardiburem fratres, qui Parthica magnis
Arma represserunt animis. post bella, triumphi
Participes fecit crines innexuit auro,
Murice donauit, curruq́ue inuexit eburno.
Dicitur Ardiburi posuisse Lacobriga septem
Victori toties statuas, totiesq́ue per illum
Eruta Vandalicis bello incumbente procellis:
Vnde fit vt fratres istos de gente Laconis
Crediderim: duce quo positam memorauimus vrbem
Propter Vlysponicas arces, qua tortus in anguem
Ad mare proruitur Tagus auricoloribus vndis,
Ad defensa semel, cum vexaretur ab Hunnis,
Barcino ad æternum decus alta in mole locauit
Insignes illi titulos, & ahenea signa:
Nimirum Alcidæ similis, cum fama ferebat
Monstrum aliquod graue, pestiferum mortalibus, vltro
Suppetias populis non exposcentibus ibat.
Et mercedis inops (erat illi gloria merces
Maxima) nunc aciem ducens, nunc solus in hostem
Martius Herculeis certabat viribus heros.
Vt vero numquam occumbunt duo pignora Ledæ
Emerguntq́ simul: sed cum cadit iste, resurgit
Alter, & alternis rediment se mortibus ambo:
Sic genus hoc tam longa manens in sæcula numquam
Totum obijt: plures vno moriente renati
Semper, & æternum durat rediuiua propago.

Iam senior, firma sed adhuc virtute, Sisulfus
Hesperios fines ausos vastare Sueuos
Præcipites egit, prædamque recepit, & omnes
Exuuias, onus argenti memorabile & auri.
Hic aderat, pugnæque fuit pars maxima, quando
AEtius Ausonias acies, Romanaque signa
Duxit ad Aluernos, contra commune flagellum
Tartareas Atilam flammas toruo ore vomentem.
Tectosagum meminisse potest, Tolosa, Nemausus.
Hi certe elatis animis & viribus vltra
Mortales alios freti suppostа fuerunt
Fulcra orbi, mundumq́; humeris tenuere cadentem.
Et quia fortunæ leuitas offendere numquam
Cessat in his bellis, animosa Lacobriga duris
Casibus attrita est, nam vi concussa Gothorum
Vix potuit tam longa pati tormenta. tyrannis
Vna tribus ter præda fuit, dum sancta Lycurgi
Iura cupit, regumq́; decus seruare Laconum
Fractus in his tandem rex Termodonius armis
Pro regno, pro gente sua, pro ciuibus inter
Millia telorum fato concessit acerbo.
Hunc postquam cædis grandes Gothus inter aceruos
Repperit, eductum sollenni funere in vrbem
Transtulit, & lugens tumulo sepeliuit auito.
Hæc probitas audita procul per Iberica regna
Illexit populorum animos: nec Barbara tanto
Gens fuit horrori posthac: truculenta Gothorum
Frons prius humanum visa est prætendere morem

Talibus

Talibus officijs, & significare quietem
Gente sub hac olim populis post bella futuram.
Nec fuit indicium mendax. Hispania namque
Gente sub hac vixit longos regnata per annos,
Et regnatur adhuc pulso iam libera Mauro.
At nec Agelario cum regnatore sepultum est
Omne genus. superest Calitro, superest Aginelson,
Qui simul è patrijs elapsi cladibus omnes
Asturiæ populos totidem quasi fulmina contra
Ostrogothos rursum in pugnam duxere furentem.
Sicque suos iterum fines, iterumq; Penates
Ingressi patrios tenuere Laconica regna.
Post tot bella piæ genti sudata, quietos
Fas erat euentus populis sperare Laconum.
Sed postquam Scythici posuerunt arma tumultus,
Noluit Hesperias fortuna quiescere gentes.
Alter Agelarios ingenti turbine nimbus
Percussurus adest, noua fert ardentia grando
Fulmina, & irascens alijs tonat aura procellis.
Ite, canes adsunt Erebi, crinita colubris
Tisiphone, spiransq; venenum ignemq; Megæra,
Et soror, atque mali Manes, & Cerberus ipse,
Totaq; Tartarei gens coniurata profundi,
Mille trahens secum magno volat agmine monstra.
Ite animæ insignes. domino squalentis Auerni,
Et Furijs vestra hæc grassandi in regna potestas
A Superis iam facta. cano de carcere Pluto
Exit, & infidis genus omne coegit ab oris.

Assur adest, auditur Arabs, Nasamonia clamant
Tympana, qui Nili stagnata paludibus arua,
Qui Cyrenem habitant, Psylli, Garamantes, & omnis
Africa Gætulios, Nomadesq; in castra redactos
Vna vehit. grande excidium reseratur ab Austro,
Tempestasq; dies longos, ac plurima secla
Duratura: venit crucianda doloribus ætas.
Caussa mali stuprum, quod, dum per flumina Lethes
Ducimus Alfonsi Manes, memorauimus olim.
Tanta hæc illuuies igitur pessumdedit omnem
Hesperiam: vix Cantabriam, vix Asturis oram
Seruauere duces profugi, sanctæque Laconum
Relliquiæ: fera Barbaries tenet vsque Pyrenem
Vsque mare Herculeum late omnia & omnia longe.
Sacra silent, squalere situ sacraria paßim
Incipiunt, stabulantur equi per templa, per aras.
Heu scelus infandum. velut ægrum Hispania corpus
Tota iacet. vita in solo vix pectore pulsu
Palpitat exiguo, reliquos mors occopat artus.
Cantaber immunis superest, immunis & Astur.
Huc, velut in summos nebulosa cacumina montes
Pelion aut Othrym fugiens Neptunia bella
Deucalion, venere omnes, quibus illa pepercit
Prima lues: ipsi reges a stirpe Gothorum
Progeniti sceptro amisso quasi naufraga turba
Asturiæ positis latuere in saltibus armis.
Hic & Agelarij tota cum gente Laconum
Conuenere duces communia fata secuti.

Omnibus

Omnibus hospitium sancti tutela sepulcri
Præbuit,& recubans illis Iacobus in oris,
Heu, quantas hominum strages,quot funera passim
Diri illi videre dies.fortuna reliquit
Præsidium,totosq; aditus patefecit Erinny.
His noua moliti rursum sibi tecta Lacones
Mœnibus, ambitam posuere in collibus vrbem,
Astures effecti.Deus hæc plantaria genti
Fecit Agelariæ,nolens abolere piorum
Progeniem.genus hinc alias.vt Barbara sensim
Compressa est Maurum impietas,descendit in vrbes.
Ignis vt in stipulis crepitans,Aquilone vel Austro
Flante volat,fumum agglomerans,atque aera lambens.
Nec satis est agros absumere:si nemus adsit
Porrigit audaces flammas, rapidoque fragore
Corripiens frondes summa in tabulata volatu
It volucri,totasq; sonans complectitur ornos
Sic Maurum ingluuies(Mauros Saracena vocabant
Castra,quòd a Mauris venere per æquora campis)
Amplius excurrens, nec dum saturata cruore
Hesperio,sitit & Gallos,& hiantia pandens
Guttura pernici volat ad noua pabula cursu.
Carolus id metuens(nam Gallica regna tenebat
Carolus)armatur:regnis ex omnibus vna
Concurrunt in castra equitum peditumque manipli:
Quos duce Tancredo raptim conuertit ad oras
Vasconiæ,qua rumor erat descendere Mauros.
Hic autem Tancredus erat genus Herculis,olim

Ostrogothos contra longis exercitus armis.
Maurum ductor erat niger Abbidiramus, opaca
Fronte Gigas, satus Antei de semine, longo
Ense bouem solitus semel in duo frusta secare,
Atque vna solus semiassum absumere cœna.
Sic fatur, & membris fidens immanibus ibat
Solus in aduersas acies, ferrique vetabat
Auxilium monstri sibi mens elata superbi.
Sæpius ergo suis hostilia castra relictis
Ingrediens vires vultu ostentabat acerbo.
Non secus ac cum dente elephas armatus eburno
Per nemora Indorum, vel per Gætulica vectus
Magna mole feras fugat, insequiturq́; minores.
Tancredo gemini fratres Agelarius æuo
Grandior & Siluanus erant. paucosq́; sepulto
Ante dies ex fratre nepos pulcerrima Thomas
Progenies: istis nullos horrentia casus
Pectora, nil præter veram affectantia laudem.
Quatuor hi structas acies educere contra
Millia tot Maurum, quot aues vix aera tranant
Quot freta peruolitant pisces, ingentibus ausis
Nil veriti vallem inuadunt cognomine Corbam.
Difficili positos grauis in discrimine pugnæ
Spes incerta diu tenuit. victoria nutans
Hos modo suspecto vultu modo respicit illos.
Cæde manus, cæde arma rubent, cæde arua lutescunt,
Et sola sternuntur peditumq́; equitumq́; ruinis.
Horrendum. volitat fragor vsque ad sidera mixtus

Mille

Mille sonis, & confuso Mars murmure mugit.
Arma impulsa, virum voces, tuba, tympana, æquorum
Hinnitus, litui, obtundunt & cornua Olympum,
Et meditans nescit quid ad hæc respondeat Echo.
Agmina tetrorsum ferus Abbidiramus agebat,
Nunc trabe ferrata incurrens, & millia solus
Multa fugans: nunc ense, nouem qui ductus in vlnas
A capulo, pugnans, & ab alto vertice ad vngues
Corpora concidens, castris toto altior ibat
Inguine, & excelsum radiabat Gorgone pectus.
Non erat immani posset qui obsistere monstro,
Vt pote quod dextra armatos potuisset inermi
Fundere, quadrupedesque feros auertere fronte
Terrifica, & vultus flammantis imagine dira.

LIBER V.



Oc animaduertens fratres Tancredus in vnum
Contrahit, ô memorans fidißima pectora numquam
Territa bellorum strepitu, dependet ab vno
Hoc tam grandi ac terrifico victoria monstro
Hoc mihi si mecum vobis in bella venire
Est animus, Cyclopem Orco demittere mens est.
Sic ait. illi operam spondent, & fœdere facto
Tela manu stringunt, oculisque ferocibus hostem

Mirantes

Mirantes vlcisci optant tot fata suorum.
Irrumpens igitur medios Tancredus in hostes
Fulminat: insequitur fratrem Siluanus, & hastam
Vibrat iens, nutantq́; agitatæ in casside pennæ.
Ipse etiam toruo bellax Agelarius ore
Significans iram se tollit in aera saltu
Armisono, leuior pardo: poteratque videri
Non pede, sed pennis, ceu cum mandata ferebat
Patris Atlantiades niti. tres Hectoras vno
Impete dixisses Agarena per agmina ferri.
Vi fecere viam: stratis tandem vndiq; Mauris
Ductorem incessunt iaculis. ille arduus ensem
Eleuat: ast illi viso elabuntur ab ictu
Ocyus: ipse velut moles immobilis hæret,
Et quasi cum pueris sibi sint certamina ridet.
Illi instant: dicas totidem certare leones
In Libyco saltu: pulsis fragor intonat armis.
Ergo videns iam non sibi rem cum imbellibus, ira
Concitus ardescit, ciliis abscondita longis
Lumina scintillant grandique simillimus apro
Grunnit, & in gyrum gladians diuerberat auras,
Infratresque ruens sublato effulgurat ense.
Illi in terga volant, repetuntque animosius hostem,
Et prius adductum quam rursum assurgat in ensem
(Namque cadens in stirpem ierat tellure sepultum)
Verberat hastili iugulum Tancredus, & ictum
Crebrius inculcat repetens. Agelarius hasta
Os petit: ipse hastas ducto diuerberat ense

Assi-

Aßiliunt.rursum,& protectum Gorgone pectus
Impete Siluanus magno ferit:ille retrorsum
Pulsus it.impulso incumbunt,crebrisque fatigant
Ictibus. ille gradu cedens in terga labanti
Casuro aßimilis,sumto mox robore sese
Erigit,ac longo redit in certamina ferro.
Nec mora,contorquens iaculum Tancredus in alta
Ora viri,toruam felici vulnere frontem
Strinxit,& hasta alte infixo mucrone pependit
Inclinatq; caput telum graue stipite longo.
Ille indignatus,feta de more leænæ
Quando inuasorem contra pro pignore certat,
Rugit,& admotis manibus dum educere contum
Nititur insultu subito:nam tempora casus
Opportuna dabat.rabidum Tancredus in hostem?
Fertur,& apprehenso quod adhuc in fronte cruenta
Fixum erat hastili premit,atque in terga Gigantem
Inclinat.subeunt fratres,hostemq; labantem,
Attonitum,nec longo vti mucrone scientem
(Nam dolor vmbrabat sensus,& lumina sanguis)
Sternere conantur,meßis in pectora contis.
Nec mora,ceu duris excißa securibus ilex
Corruit,arma sonant,membris immanibus icta
Terra tremit,puluisq; leuem glomeratur in vmbram.
Continuo dextram aggrediens Agelarius ensem
Viribus extorquet magnis:at Barbarus hostem
Mordicus apprehensum retinens,duroque reluctans
Robore,vix tandem euicto dedit arma lacerto.

Interea

Interea iugulo incumbens Tancredus, acerbum
Os ferit, & strato insultans Saracene sub Orcum
Ad Machometigenas alios tristi omine dixit
Mergere: & hæc memorans, caput a ceruice reuulsum,
Terribiles dum ducit adhuc oculosq́ue genasq́,
Labraq́, configit conto, ac sustollit in altum.
Truncum autem iacuit per sanguinolenta cadauer
Saxa, tegens grandem membris immanibus agrum
Terrifica par mole tibi Neptunie Orion.
Par tibi cui Stygius pascit præcordia vultur.
Quotquot in istius tanti spectacula monstri
Conuenere, omnes autem venere Lacones
Hispani & Celtæ, vix ausi accedere ad vlnas
Quatuor, hærebant primum: mox lumine fixo,
Quæ precor aiebant, quæ vis prosternere molem
Dis metuendam ipsis potuit? Pythona fatemur
Rem minus horrendam: fuit hoc vel Appollinis arcu,
Vel Iouis ardenti tollendum fulmine monstrum.
Quis facinus neget hoc maius mortalibus armis?
Signabant alij porrecta hastilia ad vlnas,
Ad femora, ad plantas metiri immensa volentes
Membra modum nostræ longe excedentia formæ.
Continuo volitans Agarena per agmina rumor
Spargitur: ast vbi mox proceræ apparuit hastæ
In mucrone caput, monstriq́ue immanis imago est
Visa procul, tanquam volucres cum vulture viso
Diffugiunt, magno Mauri dant terga tumultu
Præcipites: nostri spolijs onerantur opimis.

Dum

Dum lustrare locos omnes, dum singula certo
Eruere ex tenebris, & in aera mittere apertum,
Rerum mole labant vires, numeroq́ue virorum
Obruta non meminit tot facta ingentia Clio.
Rex erat Asturibus veterum de sanguine regum
Aldefonsus, opum, quia bella asperrima passus,
Indigus: ast ætate virens, & robore præstans.
Huic erat Alcidæ similis Bocaredus in armis
Clarus, & ipse Lacon demissus ab Hercule ductor.
Eius apud regem, postquam tot millia Maurum
Sunt euersa, fides licet inuiolata, nec vlla
Labe madens, suspecta fuit. regalia corda
Suspicio stimulis solet infestare malignis:
Vtq́ue ingressa semel, nulla est reuocabilis arte.
Post igitur tanto partos ex hoste triumphos
Hæc data victori decora, & redimita coronis.
Talibus est perpessa omnes patientia casus,
Quos vehit indomiti furiosa licentia Martis.
Scilicet his technis paci aduersantia fata
Adiuuere Arabes, & concussere iacentem
Hesperiam: necnon fatis hoc obiice concors
In longum fortuna grauis rem traxit Iberam.
Propterea ad Gallos fugiens a principe gentis,
Cui Magno cognomen erat, regalia dona
A profugis olim positam Phocensibus vrbem
Accipit Emporias, ad Iberi litora Ponti,
Ad iuga Pyrenes. propter vada fluminis Albæ.
Sæpius in patria minus obseruata, suisq́ue

Villis

Villis ab externis recipit sua præmia virtus.
Vrbem a patre habitam puer Hermengarius auxit,
Atque suæ genti fecit caput. hic sua magnis
Sumtibus arma locans posuit monumenta parentum
Grandia, sculpsit auos, Leonicenosq́ nepotes,
Et loca Graiorum celeberrima: pinxit Athenas,
Callirhoemq́ vagis ructantem fontibus vndam,
Et Musis Helicona sacrum: Bœotia Thebas
Mœnia, & Orchomenum: Delphos adiungit, Eleusin,
Rhamnũtemq́ sacram Nemesi, Lacedæmona, & Argos:
Iungit Amyclæas arces, Rhodiumq́ Colossum,
Elidaq́, & Pisam: Hermionem, veteresq́ Mycenas:
Leuctra, & Thermopylas, Spartanarumq́ tropæa
Aerijs imposta iugis, medicamq́ue Epidaurum,
Et Pellam, & tumulis claram regalibus AEglen.
Additur & Calydon: necnon & clade Philippi
Inclyta Methone, Psophis, Pylos, & tua Troezen
Mœnia, cui Pelopis tribuit sua nomina proles.
Ac Marathon tot Persarum memoranda sepulcris,
Cæteraq́ue antiquæ titulis insignia famæ,
Quæ iuuenis patriæ veteris compulsus amore,
Nec dum oblitus auos, vt singula mente gerebat
Edidit, atque oculis voluit subiecta videri.
Nunc opus æternos iam tum memorabile in annos,
Dum pubescit adhuc, referunt more Herculis ausum,
Namque animis vt erat magnis, ex tempore Pontum
Insiliens Sardos adijt, Numidasq́ per illa
Littora bacchantes subito dare terga coegit.

Ad mare turmatim pulsos, classemq́ volentes
Scandere, & æquoreis saluari in fluctibus, igne
Insequitur, flammisque dedit classemq́, Virosq́.
Quos igni superesse videt, demergit in vndam,
Ense necat, prohibetq́ genus superesse nefandum:
Et veluti euersa fecit Carthagine nomen
Africa victori, paribusq́ Numantia fatis.
Insula sic asserta Duci, cœpitq́ vocari
Sardinius, sic fama frequens cum laude per omnes
Dum volitat terras, facta est mansura diebus
Gloria perpetuis, fortunæ obnoxia nulli,
Altera progenies nam tris Bocaredus ab aruis
Duxerat Hesperijs natos ad Gallica regna:
Mittitur à Magno gelidas Sismundus ad oras
Saxoniæ, imperio gentem pressurus acerbam,
Et populos sola notos feritate seueris
(Sic sua sors egit iuuenem) recturus habenis.
Hic fuit ille potens animis Sismundus & armis,
Qui Bolioneum fertur iugulasse Leontem,
Et traxisse nouum victo cognomen ab hoste,
Quod dedit & natis: nam gens Belionica ab illo
Venit, & vbertim fruticans genus iuit in amplum.
Hac celebri de stirpe tuis cum fratribus ortum
Te Gotfrede ferunt: in quem descendit Olympo
Spiritus ille ingens, qui te ad Phœnicia misit
Litora: qui victa fecit regnare Damasco.
Tertia progenies profugum comitata parentem
Inclytus Archeleos dux ingeniosus & acer

Pipino sub rege diu regnauit in armis
Hunc, velut ante patrem, caput omnia castra vocabant
Atque erat in bellis illi hoc, quasi tessera, signum.
Hinc noua mutatis subiere vocabula primis:
Nam quod Agelarium dici genus ante solebat,
Nunc aput Ausonios (sic res & nomina rerum
Mutat longa dies) vulgo Capacia proles
Dicitur. ista virum soboles fecunda ferax que
In varias it secta domus, porrectaque longe.
Insuber istud habet genus: istud aquatica Manto,
Vdaque per vicos currentibus vndiq; riuis
Brixia, & in nostris aliæ regionibus vrbes.
Heroum genus, & fortes qui grandia voluunt
Facta viros, ita sors gaudet iactare per vrbem:
Vt pelago & ventis ausos se credere nautas
Rhipæus Boreas, aut Libs, aut Indicus Eurus.
Italeam rerum dominam, dum regna manebant
Romulidum quondam sed mox, cum proxima rugis
Iam foret, exsanguem ac gelidam pace inclita & armis
Franconis magni soboles Pipinus habebat.
Hic recolens quanto Archeleos pugnauerat astu
Relliquias contra Hunnorum, Machometica contra
Castra virum Latias secum perduxit ad vrbes,
Præsidium pacis validum belliq; futurum.
Nomine Rex Pipinus erat: regna omnia ductor
Ipse gubernabat. rerumq; tenebat habenas.
Huic erat illustris geminoq; insignis honore
Progenies qualis Chiron medicamine & armis

Con-

Constantinus opem magnam mortalibus arte
Ferre potens duplici. non tot bona gramina Paeon,
Non tot Phillyrides, non tot vidisse Machaon
Dixerit. hic animas quibus Atropos vltima filum
Ruperat, inuito succis retinebat Auerno.
Saepe etiam Diuos, saepe & fata ipsa fefellit.
Istius auspicio regis palatia proles
Chinnea sub rupe habitans peruenit ad oras
Italiae. venit soboles generosa latronum,
Qui iuga Germanis habitant contermina, & axem
Versus Hyperboreum regnant in montibus altis.
Nec minus Hesperiae pro libertate laborum
Pertulit Henricus, qui bella mouentibus Hunnis
Obstitit. & vallum sese tibi fecit Arago.
Hic patrui Bocarede tui de sanguine cretus.
Tarraco quicquid habet, quaecumq; Valentia rura
Possidet, & maria, & terras: vbi diuitis agri
Delicias inter recubat pulcerrima rerum
Barcino, florentemque nouae Carthaginis oram
Sic protexit, vti moles obiecta marinis
Fluctibus appulsas irata per aequora puppes.
Denique quot gessit pugnas, cum Vandalus, & cum
Hunnus, & Ostrogothi, vulgusque immani Sueui,
Ac Numidae indomiti bella intestina mouebant.
His veluti neruis pollens Hispania gessit.
Quid memorem te bella mari Bernarde gerentem,
Cum Venetis Genuam contra, Liguresque fugatos,
Qua sedet in medio tellus Sardonia Ponto?

Tu Tyrrhena lenis victor freta, tu mare sulcas
Ionium, Protea adigens ad litora classem
Cypron adis positam contra Pamphylica regna,
Auxilioque venis regi, quem Barbara Memphis,
Quem Syrus, & feritas armis Nabathæa premebat.
Regius Ausonias rediens orator ad vrbes
Insubres Mauorte leuas, fortemq́ Carillum
Concilias, bello actutum grauiore frementem.
Atq Caledonias acies a principe missas
Anguigero extremum cogis discedere ad orbem.
Macte Deo præsente Lacon, macte ausibus altis
Laus tua vi nostra maior, tua gloria cantu
Nil eget Aonio. volitans terrasque fretumq́
Circuit, & nubes ac sidera vertice transit.
Sunt quoq qui memorent isto te sanguine cretum
Italicæ Traiane decus, decus orbis, Olympi
Incola: namque lacu non sunt te passa teneri
Numina Tartareo: quod relligiosa parentum
Disciplina nouo fidei te adsperserat imbre.
Quid Theodosiacum referam genus? vna duorum
Gens fuit, vna fides, pietas fuit vna duorum.
Cerne quid ad laudes generis superaddere tanti
Iam liceat, quando imperij peruenit ad altum
R mulidarum apicem, & terrarum est orbe potitum.
Pone lyram precor, heroum quæ grandia Clio
Gesta canis: pelago non est opus addere lymphas.
Pone lyram: frustra Solem, qui cetera lustrat
Sidera, qui mare, qui terras, lustrare quid optas?

Nulla

Nulla erit, æternis quamquam fine fine ferantur
Astra polis, tam fera vmquam, tam longa nepotum
Posteritas, quæ tantarum miracula rerum
Nesciat. hæc Diuis cura est. heroica virtus
Tangit eos: heroes enim gens proxima Diuis.
Nymphæ, quas memorant vsu genitore creatas,
Mnemosineq́, satas, quæ mente reconditis alta
Fortia facta ducum, decora immortalia regum,
Semideum titulos, scriptasque in marmore laudes,
Dicite, Agelariæ si quem meministis auorum
Forte domus dignum tantis quem heroibus addam.
Talia dum memoro mihi vir radiantibus armis
Lucidus, & longo succinctus ad ilia ferro
Confestim siue a Superis, seu missus ab Orco
Adstitit: humana qui visus imagine maior,
Oraque flammiis soluit resonantia verbis.
Quis furor o vates tanto mentem impulit igne,
Gentis vt auderes nostræ memorare triumphos,
Atque breui tantum pelagus transmittere cymba?
Fas potius numerare greges, quot in æquore Proteus
Pascit, & aereum quot eunt per inane volucres,
Quàm fortes censere Agidas Lacedæmone missos,
Per terrarum orbem, primo Titanis ab ortu,
Ad patris Alcidæ positas super alta columnas
Saxa, subinfusis Nereus quæ separat vndis.
Nec tamen incœptis ideo desiste. sepultos
Delectat nos iste labor: delectat & ipsos
Qui superant, grateſque ferent tibi forsitan vllas.

Hos tibi apud ciues superos quot possumus vnum
Consulimus, dominumq; tibi placamus Olympi.
Isto ego quem celebras, qui venit ab Hercule magno,
Sanguine descendi. sic me monuere parentes
Sic pater armipotens, & auus memorare solebat.
A veteri nostræ gentis longæua propago
Ortum habet Archeleo, Gallis qui primus ab oris
Venit in Italiam Pipinia signa secutus.
Hinc quoq;, si qua fides nostris annalibus, orta est,
Quæ tenet Insubres campos, Somalia proles.
Albricio mihi nomen erat, Cuniiq; tenebam
Imperium tenue, atq; meis longe ausibus impar.
Ergo minus patriis opibus contentus, ad arma
Conuerti auspiciis teneros felicibus annos.
Desidia, & torpor grauis exarmauerat omnes
Tunc Italos nec erat quisquam de gente Latina,
Qui Martis curaret opus. discordia si quos
Publica vexabat, si lis mortalibus vlla
Forte erat arbitrio bellorum, & iudice ferro
Dissoluenda Italæ gentes externa vocabant
Auxilia: externis miles veniebat ab oris
Dedecus hoc indignatus, tantamq; perosus
Segniciem, gentis nostræ gymnasmata Martis
Instituì, & residem, cœpi exercere Iuuentam
Ense, hasta, iaculis, arcu, leuibusq; sagittis,
Et munire nouis hominum thoracibus armos.
Nam rudis illa ætas, ita degneraeuerat, artus
Pellibus hirsutis, corioq; armare solebat.

Non longos post castra dies ex gente Latina
Composui Carolum fudi, qui missus ab oris
Pannoniæ in Venetos multis cum millibus ibat
Insubrium tutela fui. Florentia sensit,
Sensit & effusis Minci quæ cingitur vndis
Mantua bellantem mea magna Bononia sensit
Claßica, deprehensusq́ meis Antonius armis
Bentiuolus, vir Marte potens, vir grandibus ausis.
Adde, Fauentinam quæ contra geßimus vrbem,
Prælia. Campanos longum est narrare tumultus.
Cum Carolo primis victo congreßibus olim
Suppetias iui. tunc omnis Daunia, & omnis
Proxima Trinacrio sese Mesapia Ponto
Subdidit imperijs, & nostra in fœdera venit.
Constitui nostræ, ne quis dare nomina posset
Militiæ, nisi qui natus genitoribus esset
Ausonijs. studium decoris mihi tale Latini.
Denique quisquis erat, vitam qui vellet in armis
Ducere, & illustrem bellando extendere famam:
Ad mea, gymnasium velut ad commune ferebat,
Castra pedem, seseq́ue mihi credebat alendum.
Sfortia militiæ me prima elementa magistro
Perdidicit: tenebris me mirabatur ab annis
Brachius. his post me pubes Romana duobus
Est innixa. polis velut innituntur Olympi
Sidera duplicibus, peregrinaq́ue reppulit arma,
Non mihi signabant picti vexilla dracones,
Non aquilæ: nostris erat ipse Georgius auspex,

Tesseraque & signum castris, cognomina miles
Ista meus tenuit. Bellona, Georgius, & Mars
Tunc euasit, & hanc seruabunt sæcula morem,
Vt sit in Ausonijs pro Marte Georgius armis.
Plura super sedes: tecum data copia fandi
Transit. habent functi terris & corpore Manes
Edicta, & leges, quarum inuiolabile nomen.
His subito dictis liquidas discessit in auras.
Progenies tot clara viris insignibus, alto
Par domui Superum cœlo, quod nocte serena
Tot micat astrorum flammis. & vt omnibus astris
Splendorem ac radios dat luminis auctor Apollo:
Sic opifex rerum pater atque habitator Olympi
His dedit elatos animos, & idonea bello
Corpora, quæ Martem, quæ Pallada, centimanosque
Terrigenas domitent: immanem Agæona, Cottum,
Atque Gygem, Superis ausos indicere bellum.
Et velut Ægyptus cæli studiosa, Deorum
Prodigiosa parens, Babylonque ardentia mundi
Sidera non valuit labentibus omnia sæclis
Discere, cum longe ac late dispersa per orbes
Stelliferos habeant proprias tot millia vires:
Sic neque scire viros omnis ab origine prima
Gentis Agelariæ nostra vsque ad tempora fas est.
Tot claræ periere domus. gens Portia, proles
Aenobarba iacet: iacet illa potentia gentis
AEneadum, quæ cum Superis diuiserat orbem.
Fabricij, ac Fabij, qui seruauere Latinum.

Impe-

Imperium: Gracci, Æmilij, belloq́ potentes
Scipia .æ, velut in tenues abeunte fauillas
Tandem flamma rogo, longis obiere diebus.
Nec minus Arsacidæ Parthorum antiqua potestas,
Cecropidæ & veniens a Laomedonte propago,
Et genus a Belo ductum: genus Aeacidarum,
Ac Pharaoniadum, sobolesq́ Argiua recessit.
Adijce Amazonidum populos, quæ Punica regna,
Quæ Scythicas tenuere domos: nec Agenoris vsquam
Relliquiæ superant. Lagidas absorbuit omnes
Tempus, & antiqui proles abscondita Pici est.
Nec solum antiquis fuit hæc fortuna. recentes,
Vicinasq́ domos nostro complectitur æuo.
Normanum stirps tota ruit: ruit Hunnus. Alani.
Ac Vinuli solo superant cognomine. victa
Vandalus Europa Libycis sepelitur in oris.
Quid Francos referam reges? tria sæcula nondum
Finierant, regale decus defecit ad Austros.
Hos vbi sublimes fecit fortuna, repente
Transtulit ad Belgas regum. caput extulit Hugo
Gallus, & illius nostris genus imperat annis.
Regna ruunt: faciem mutat labentibus astris
Inferior mundus. nascuntur in æquore terræ:
Litora consumunt fluctus, mare corripit vrbes.
Conuulsos magno montes deglutit hiatu
Terra tremens. genitrix domus ista Laconica regum
Regnorum domitrix se in tempora tanta propagat.
Neu senuisse putes animos post plurima gentis

Sæcula, & in natis vim degeneraſſe parentum:
Viuit adhuc vetus ille vigor. Mauortie viuunt
Corda ſeneſcenti non conſentanea mundo,
Et tota Alcides in poſteritate remanſit.
Quid memorem decus eximium, laudemq́ ſuperbam
Sanguinoli, cui Sortiadum ſub principe quondam
Franciſco indultum primas ductare cohortes?
Ipſe ſequens auſu proauos quæcumque per agrum
Inſubrem, ac Legurem quondam amiſere parentes
Caſibus eluxi varijs, vt fata tulerunt,
Ac fortuna, viris vix vmquam fortibus æqua,
Plurima Franciſco ſuper adjiciente recepit.
At neq; pace virum celebrem belloq́ Facinum,
Quem vulgo dixere Canem, teſtato ſagacem
Ante alios, vigilemq́ ducem cognomina in armis
Prætereo intractum. rutilant inſignia tanti
Geſta Ducis, ſpargitq́ immenſam gloria lucem,
Ac vitale iugar quali inter ſidera flagrant
Iupiter atq; Venus, maioraq́ lumina Olympi
Abſcondiq́ nequit, quod fama per omnia longè
Ora volans Boreæ facit illuceſcere & Auſtro.
Hic, vt fama refert, natas genitore Ramyro.
Poſtquam Vercellis fuit & Dertone potitus,
Finitimos bello & longis exercuit armis.
Progenies huius regno Benedictus auito
Fraudatus, fatis hominem cogentibus oras
Iuit in externas verſus Benacida terram,
Et conſedit vbi diffuſa ſub Alpibus arua

Irrigat

Irrigat eliciens montanos Brixia fontes.
Nec tamen istius quamquam fortuna negarit
Imperium meritis, iacuit sine nomine virtus.
Dant homini facinus dignum Lacedæmone, dignum
Hercule. pro Venetis pugnans magno impete primus
Mœnia transiliјt: magno impete primus in alta
Vertice Chinnei montis vexilla locauit.
Dumque, subit portas, summam dum scandit in arcem
Strenuus, illius cadit ad vestigia frater
Collisus grauius ingenti sub pondere saxi.
Cumq; foret cæptis potior via nulla, cadauer
Fraternum pede calcauit, ne vinceret hostis.
Non fuit inferius tantum vicisse dolorem,
Quam vicisse hostem. virtus certauit amore
Cessit amor: vicit virtus confessa Laconem.
Nam fuit antiquis mos istæ Laconibus olim.
Tum non adsurrexit domus insignita parentum
Tot titulis animo nusquam maioribus impar.
Tu quoque progenies atauis dignissima tantis
Carole, Ticinum propter cui prædia & arces.
Nam tua & in terris & in æquore cognita virtus
Te Alcide testa genus. piratica tollis
Arma latrociniјs totum infestantia Pontum,
Et facis vt quondam magnus, Neptunia regna
Peruia nauigiјs, mercesque per omnia tutas
Das ferri maria, & magno bene consulis orbi,
Ecce nouum magnis aliud splendoribus astrum
Surgit ab accasu: pendet tua mœnia supra

Cor

Corduba terra genitrix. Bæti imminet ardor, in vnda
Fulgurat, & face flagranti Phœbi adspicit ortum.
Apparet Gallorum oris: spectatur ab alta
Arce Iouis, sub qua latos Padus irrigat agros
Italiæ. videt Illyricum, Germania, & vrbes
Sicaniæ: videt, atque tremit Gætulia, & Atlas,
Et Psylli & Garamas, & Punica litora quondam
Sub iuga Sidoniæ collum incuruantia Byrsæ.
Sed tamen ante ducem, quem nostra in carmina tantum
Accipiam patriæ quosdam percurrere casus,
Paucaq; præcipua de relligione parentum
De pietate loqui facinusq; ostendere Diuum
Par, meritis dignum cuius resplendeat auctor
Inter honoratos cæli vltra sidera ciues.
Fas sit, & heroi breuibus præludere sancto.
Corduba Musarum domus, hospitiumq; virorum
Nobile præstantum, postquam Saracenus inundans
Obruit Hesperiam, Mauros est passa Tyrannos,
Seruiuitq; diu indignans iuga Barbara, morem
Ismaeliteum, sine mansuetudine vulgus
Mecchigenum, sine lege feram, sine Numine gentem
Deuotam æternis alti fornacibus Orci.
Christum igitur statuens rursum in sua templa vocare
Atque iterum dignis aras accendere flammis,
In secreta pios traxit conclauia ciues.
Prima domus præclaræ vrbis de gente Laconum
Fluxerat Asturicis ducta propagine ab oris.
Horum ergo auspicijs operi primordia tanto

Tradita

Tradita, & in finem cursu perducta secundo.
Ipsi etenim regem, qui tunc antiqua Gothorum
Regna per Asturiam, Legioneosq; Penates,
Cantabricosq; Lares, Carpetanosq; tenebat,
Ferrantem eliciunt regem bello omnipotentem.
Ferranti dux Ciddus erat: Mendocia Ciddus
Vnde genus traxit, fortes domus inter Iberos
Inclyta maiorum titulis. hic nocte per vmbram
Castra mouens magnam confestim accedit ad vrbem.
Sub duce Agelario populi pars maxima in armis
Stabat, & aduentus signum exspectabat ab arce.
Ecce, velut pacti fuerant, micat ignis in alto
Culmine vicini montis: nec plura morati
Vociferant, & portarum claustra omnia pandunt.
Mox tuba, mox litui, mox ærea tympana cælo
Increpitant piceo, noctisq; silentia rumpunt
Coniuratæ acies: ipsi intra mœnia ciues
Astures ad muros, subit alta palatia miles
Cantaber, & Mauris cædem atq; incendia portant.
Singula nil opus est tanti memorare tumultus
Nunc opera: expulso Ciddus tenet omnia Mauro,
Et data Agelarijs patriæ tutela recepta.
Sic iuga contritis excussit Corduba loris.
Scilicet hæc ratio, quod gens ea dedita regum
Obsequio, patriæ semper meditata salutem
Consilijs, armisque potens euasit in altum,
Aucta opibus, numeroq; virum ferre arma valentum.
Quippe, velut magnæ si quis tentauerit omnes

Hercyniæ

Hertyniæ saltus vno succidere ferro,
Fallitur, & vano demens eluditur ausu,
Sic præclara huius gentis numerare volentem
Facta labor vincet, nec erit conatibus ætas
Vna satis: fuerit satius fastigia quædam
Pauca sequi quam frustra humeris inuoluere totum
Hoc onus, & tantæ victum succumbere moli.
Bætica terrarum nostri prope litora Ponti
Optima, præruptas tetricis in montibus arces
Tollit, & hanc Mauri longos tenuere per annos:
Vt pote quis natura fuit munita locorum
Præsidio, sed continuo in discrimine semper
Solliciti, populis etenim capitale duobus
Assiduas odium rixas exciuit, & arma
Virus inustum animis numquam sopita reliquit.
Gentis Agelariæ munus fuit auspice Christo
Perpetuis Maurum bellis contundere, gentes
Hesperiæ hortari, reges accendere, totis
Viribus anniti pro religione periclum
Omne pati, contemnere opes, nil prendere mortem.
Hic fortuna diu varijs euentibus anceps
Lusit, &, vt visum Superis, victoria nunc his,
Nunc illis alterna dedit felicia bella.
At pater omnipotens tandem Maurusia fata
Maturare volens, ad idonea tempora vertit
Intuitum æternis famulantia legibus astra,
Cuncta putans magno causas molimine iunxit.
Ferrantem in primis regno præfecit Ibero:

Ferran-

Ferrantem, nostra qui tempestate per omnes
Imperat Hesperias, & qui Sardoa gubernat
AEquora: cui Siculi parent, cui Parthenopaea
Terra subest vsq; ad sacrae confinia Romae,
Heroasque nouos, quales Pagasaeus Iason
Attulit ad Colchos, quales Menelaus ad altum
Ilion, ad Thebas proles Thalaonis Adrastus
Ex alijs alios domibus de gente Laconum,
Et magni Eudamidae prisco de sanguine fortem
Protulit Alfonsum, proaui mentemque animumque
Herculis, & totum spirans in pectora Martem.
Hunc experta diu postquam sua Corduba in omnĩ
Munere mortales vidit praecellere cunctos
Est confessa patrem patriae, dominumq; ducemq;,
Rex quoque ab hoc vno regni pendere salutem,
Vt pote militiam docto stratagemata Maurum
Omnia callenti, dum corde sagaciter alto
Cogitat, & magno dare vult exordia bello
In conclaue vocat solum, & quid mente volutet
Fando aperit, rebusq; super consultat agendis.
Vt responsa viri, ceu Diuum oracula pondus
Vidit habere, tuam dixit Spartane superbum
Hesperiae Eudamidumque decus praesentia poscunt
Tempora opem tu bella reges, tu lora tenebis,
Tu dictator eris, tu Martis in agmine censor.
Sic ait. atq; Ducem statuens praefecit agendo
Praesidio mox explicitis castra omnia signis
Ducit in antiquum magnis clangoribus hostem.

Continuo

Continuo Alfonsus, veluti cum murmure longo
In nebulis concreta prius circumque per auras
Acta diu tandem iaculante tonitrua nimbo
Soluitur ingenti sternens sata turbine grando,
Hostibus incubuit, tempestatemque fragosam
Inuehit inuoluens montes, mare, flumina, campos.
Hunc vnum trepidant hostes, hunc omnia Maurum
Ora sonant. cum nocte sopor labentibus astris
Cuncta premit: vagus explorat iuga, saxa, viasq;
Difficiles: vada rimatur: circumuenit hostem:
Insidiatur: agit prædas. cum creditur absens,
Fulminat ad portas, & circum mœnia clangit.
Deniq; quidquid erat, dictu mirabile, factu
Difficile, ac durum: labor, & sollertia, & ingens
Vis animi, & laudum poterat generosa cupido.
Tum furor ille Arabum violentus, & illa superbi
Tanta animi feritas, rabiesq; innata domari
Cœpit: erant vrbes trepidæ, regniq; labantis
Iam pars magna graui armorum sub pondere anhelãs,
Colla iugo dederat, legesque ferebat Iberas.
Tantus opum Mauris octo per sæcula aceruus
Accumulatarum defluxerat: omnia regum
Munimenta ierant pessum, & spes funditus hausta.
Cum iam omnes, quas bella dabant, Romana coronas
Promeritus, staret supremo in culmine honorum:
Inuida victori toties fortuna tetendit
Insidias certa Alfonsum detrudere vita,
Et fatis electa dies infausta sinistris,

Luna

Luna erat in coitu, Solemq́ amplexa vetabat
Ferre orbi vitale iubar: Dea perfida cursu
Trans Styga præcipiti fugiens Acherontis in vndam
Labitur, ac Furias omnes secum euocat Orco.
Venerat in campos radians, vbi fulminis ictum
Cum subit: abstrusum fracta cute detegit aurum
Mons sacer, Hesperiȷ decus, atq́ opulentia regni.
Hic ordita dolos, & montem in præmia tanti
Pacta operis: veniunt in fœdus Erinnyes omnes,
Infrenumq́ odio Mauris ardente furorem
Incutiunt, stimulisq́ iras acuentibus armant.
Ergo animo maiore fremunt, solitoq́ feruntur
Acrius in bellum, contra soluuntur Iberis
Corda gelu: sensus moles onerosa retundit,
Diffidensq́ armis languor. nam dira Megæra
Sparserat in castris haustos Acheronte liquores,
Pectoraq́ obscura Cocyti adsperserat vnda,
Neu quidquam quod possit eos offendere desit:
Ominis infausti volucres de saltibus actas
Tisiphone in campos strepitu ciet importuno.
Visus ad ipsa Ducis veniens tentoria bubo
Sole altam ducente diem: & consistere in alto
Fulmine triste canens. Stygiȷs quoq́ nubibus atrum
Nescio quid graue ferre oculis spirabile cælum.
Auguriȷs offensi omnes, & credere quamquam
Auguriȷs vanum agnoscant, præsaga malorum
Mens tamen ostentis offensa minacibus horret.
Nec minus vt tristi Maurorum cornua bombo

Impleuere auras, & murmure tympana toruo
Impiger Alfonsus vocat ocyus arma, virosq;,
Quadrupedemq; ferum, campoq; infertur aperto,
Non velut ante sui compos, tamen arma mouebat
Infausta, suspecta die sine lumine solem
Monstrat, & eclipsim memorat Feremundus: at illi
Fert ignominiæ timor alta & fortia corda,
Et decori intentus nescit parere monenti
Vtiliter, segnesq; animos in se arguit heros,
Et secum luctatur iens: longe anxia sentit
Sollicitum, nec scit causas, præcordia pectus.
It tamen in pugnam furias & sidera contra,
Et iam consertis manibus glomerantur in vnum
Hesperij Mauriq; simul gens vtraq; vitæ
Prodiga, certa mori, post se contenta superbum
Nomen, & egregiam post fata relinquere laudem.
Et quia turpe pati conuerso vulnera tergo
Pectora dant telis, atque ora minacia iungunt
Cominus in gladios proni, bacchatur Erinnys
Circuit Alecto, volitansq; per agmina Mauors
Tempus adesse monet, quo vlcisci fata suorum
Fas sit. inardescunt animis, & more Leonum,
Cum laniant armenta, furent, nactiq; fauorem
Ditis eunt supra humanas in vulnera vires.
Tum pater Alfonsus, cum iam cecidisse suorum
Millia multa videt, fixo se colligit ore,
Omnia mente putans volucri: deliberat inter
Confertos, cum terga fugæ dare nesciat, hostes

Oppe-

Oppetere, & pulcram facere inter vulnera mortem.
Proxima cura subit Petrus carissima patri
Progenies, quem pugnandi procul egerat ardor.
Nam Mauro incumbens pondus belli omne ferebat.
Illum ergo è tristi saltem subducere casu
Cogitat, & seruare genus: circum omnia lustrat
Obseruans acies, cristas vt nouit in alto
Vertice nutantes, magno impete dirigit hastam,
Quadrupedemq; premens medios incurrit in hostes,
Et raptum ex acie vix tandem educit in agrum:
Vnde queat fatis deuotam euadere lucem.
Dumque ea postrema patris pietate geruntur:
Ecce leuis Nomadum legio de colle volantum
Vrget equos: ex insidijs egressa repente
Imminet Hispanis cladem latura supremam.
Hanc pater Alfonsus tumulo speculatus ab alto,
Actum ait: i mi nate viam: tua pluribus annis
Digna recens ætas, quam cum splendore memento
Degere præponens vitæ decus, Hercule ab alto
Te venisse memor, veterią; a gente Laconum
Per tot auos factis celebres, & nomine claros,
Vade, moram mi nate omnem tolle: omnia nobis
Tempora longæuis iam sunt decursa: periclis
Obuia nil trepidat mortis secura senectus.
Ista dies, si vita comes mihi forte superstit,
Auferet omne decus: si forte occumbere letho
Fas fuerit, nobis decus immortale relinquet.
Sic extrema dabat verbis mandata supremis

Magnanimus genitor, ducens, suspiria ab alto
Pectore tum dulci lacrymans nato oscula iungit
Caßide deposita, pressoque amplectitur ore,
Supremumq́ vale curis singultit amaris.
Ille patrem paribus lacrymis hortatur, & vrget
Ire magis: se, quem melior magis adiuuet ætas,
Fortiter acturum. pietas certamine in isto
Altercata diu. vicit pater, atq́ reuertens
Inter densa virum sese ingerit agmina, conto
Hac illacq́ premens Mauros, stragemq́ cruentam
Accumulans: qualem caulas ingressus apertas
Edere nocte lupus rabido solet improbus ore.
Spes erecta parum Hesperijs, fusa agmina Maurum
Terga dabant inuito Erebo, reuocabat euntes
Tisiphone, simulansq́ ducem toruo increpat ore.
Quo ruitis clamans fugitiua & perdita turba?
In manibus cum iam nostris victoria, tergum.
Vertitis? hic nobis labor vltimus. vndique fusus
Cantaber it præceps, trepidans elabitur Astur,
Et superest hæc vna cohors. conuertite fortes
Ora viri, mecumq́ alacres in bella venite
Vltima. ab hoc vno pendet victoria nixu.
Sic ait. Hispanos animant non concita verba,
Verum exempla Ducis: cursum reuocantur. euntq́
Acribus in Mauros animis, hauritque cruorem
Pugna atrox Libycum, potuitque asperrima virtus
Vincere fata, nisi Alecto immisisset Iberis
Lucrandi ingluuiem Sanci sub imagine nota:

Sancius Alfonsi fuit armiger: ite rapinis
Maurorum Hispani, ditescite: vincitis hostem
Clamabat volitans, spemq́ incutiebat auaram.
Tum maior dilapsa cohors: Alfonsus ab hoste
Clausus in ingenti Maurorum absconditur vnda.
Victus ad extremum numero, atq́ labore, caducum
Pectus in excelso Numidarum inclinat aceruo
Heu male consultum Mauris in funere tanti
Principis. accingunt non inferioribus armis
Tres simul amisso nati genitore, potentes
Pro capite vnius leto dare plurima Maurum
Millia Franciscus, referensq́ & nomina & ora
Petrus aui: & Iannes non iam virtute sed annis
Vltimus Alfonsi totidem, totidem Leonici,
Alcidæ totidem. pœnas dabis impia Maurum
Barbaries, malefida tibi fortuna reposcet
Pro duce Granatam, patrijsq́ eris exsul ab oris.
Tu quoq́ Ferrantes superes Consalue iacentis
Alfonsi germane, ferens victricia signa
Et pelago, & terris. iam se tua gloria cælo
Inserit, & totum radians illuminat orbem.
Te duce quos trepidet casus Hispania nescit
Et quos non liceat sub te sperare triumphos.
Tu patriæ defensor eris, tutela nepotum:
Tu decus armorum: tu fama æterna tuorum.
Omnia tu quondam rigidi discrimina Martis
Doctus adhuc iam pæne puer, genitore sub ipso
Creuisti, vt vicina Pado noua populus arbor,

Herculis, ante diem veniens, senioraq́ vincens
Robora, & intonsum caput vsq ad sidera tollens.
Maurorum occasum Granatensemq́ ruinam
Vidisti, & florens annis iuuenilibus arma
Contra semen Agar pro relligione tulisti
Vltus auos, fratrem, atq Deum, temerataq́ sacra.
Hallora te sensit: sensit Marbella, solumq́
Menobium: nec non regio turrita praealtis
Oretana iugis, gemini sensere Cunicli,
Carthamaq́, & Sethnil Phoebo vicina cadenti.
Tunc aderas, cum Rhonda Deum, cum Loxa recepit,
Ceteraque illius quot erant insignia regni
Oppida, & aereae duris in cotibus arces.
O Machometigenae gentes, hic maximus ille
Belliger, armatus qui vos cohibere solebat
Moenibus effusos, & in aspera bella ruentes.
Ipse aderat, quando atrati sine murice reges
Ad regum venere pedes, cum victa superbos
Deposuit Granata oculos: ipse inter ouantes,
Quando triumphato patefecit moenia regno
Vrbs ea, stipatus magnis heroibus ibat.
In Latium veniens ad Thybridis hostia classem
Egit: vbi impositas Tyrrhenis fluctibus arces
Munierant Galli, stantes pro turribus altis.
Nec mora, scalarum gradibus ad moenia missis
Hesperij, velut ardentes circum arida flamae
Ligna, volant tecti clipeis, & in aere pugnant.
Quid moror? euadunt victis in culmina Gallis

Protinus Hesperij: Senones de turribus acti
Præcipites fossæ residem voluuntur in vndam.
Par fortuna tuos nutrix Æneia Belgas
Insequitur, tua seruabant qui mœnia missi
Præsidio, saxumq́ illud quod in æthera surgens
Prospicit irato salientes æquore fluctus.
Sors eadem fuit vrbi Aquilæ, quæ celsa superbum
Insistens apicem videt hinc Samnitica rura,
Hinc Vmbros, Tuscosque procul, gentemq́ Sabellam.
Namq́ vbi concubiæ venere silentia noctis
Mœnia Ferrantes superans, obscura peragrat,
Compita cum paucis. primoq́ sopore iacentes
Et nil tale ratos (quis enim formidet in vrbe
Tales nocte dolos) intra ipsa cubilia Gallos
Occupat, & cæde ingenti tenebrosa cruentat
Atria, & exorto redit in sua castra tumultu
Incolumis. tanta in magnis sollertia rebus.
Cum duce Mantoo, qui iam concluserat intra
Attelana duces Gallorum mœnia, totam
Asserit Ausoniam, Campanaq́ liberat arua.
Nec satis est terras vicisse. per æquora victor
Nauigat: Ionio procul est audita profundo
Fama viri. nam cum Veneti naualibus armis
Arua Cephalenum premerent (tum Thracibus illa
Insula parebat dominis) cum classe vocatus
Venit in auxilium, clademque inuexit acerbam.
Namque locos vbi Sisyphius regnabat Vlysses
Alcinousque senex, Epiri litora & agros

Sic contriuit, vti solet arua virentia grando
Aspera, cum geminos fratres inuasit Apollo.
Dumque per id tempus, sic sors tulit, arua Zacynthi
Viseret, excelsa montis de rupe Patrenses.
Vidit aquas: vidit longe nigrescere in vndis
Æquoreis terram Pelopis monstrante Nicandro
Indignã, quã fama refert regnasse coæuos
Regibus Assyrijs reges Sicyonis & Argo.
Tum memor antiquæ Lacedæmonis: vnde sciebat
Discendisse atauos, patriæque impulsus amore
Belligerum iuuenem Musis ab origine sacrum,
Congeneremque sibi sic compellauit Iacchum.
Ecce in conspectu generis natalia nostri
Arua vides: vbi scis nostros regnasse parentes,
Et centum tenuisse vrbes, hecatombica regna.
Interea dum bella gero, gentemque nefandam
Finibus arcemus Venetis, da carbasa ventis,
Quando viam Zephyrus facilem facit, atque sereni
Nil crudele minans nautis clementia cæli.
Vade, vide quid Sparta facit. mora nulla, biremem
Scandit, & Ionias iuuenis secat impiger vndas.
It comes Andreas: comes it Traianus. in vnam
Tres isti coiere fidem: tria fœdere iuncta
Pectora perpetuo, nullis dirimenda periclis.

FINIS.



Cciderat Titan, & nox caligine Pontum
Inuoluens picea ætherios accenderat ignes,
Cum tetigit primas Ephyræi litoris oras
Nauita: succedunt Ichti, qua curua theatrum
Ripa facit spargente comam super æquora lauro.
Hic sumtis ad Lunam epulis (nam Luna meabat
Bis senos tunc nata dies) data membra quieti.
Et iam somniferæ caput inclinauerat vmbræ
Phœbus in occasum, labens incognita subter
AEquora, & extremis Auroram ostenderat Indis.
Cum iuueni Deus illabens tenuißima rerum
Signa sub arcano mentis seruata recessu
Excitat, ac fingit contextu somnia miro.
Visus enim summo Martis consistere in orbe,
Diuorumq́ choros de summo audire loquentes
Multa Deo & fatis, venturique ordine sæcli,
Quæ vulgare nefas. quid cælum & sidera voluant,
Et quibus excidium regnis vicina minentur
Tempora: Consaluo qui decernantur honores.
Visus & à superum quondam se in mœnia duci,
Quæ a priscis veterum Genijs habita locorum
Diceret, & Genij s. se petijsse doceri
Quid valeant, quid sint, quid agant: & protinus illum
Gressu intermisso verba hæc audire loquentem.

O iuuenis mortalis adhuc arcana Deorum
Quoa tibi scire datum, grates persolue Tonanti.
Ille Deus, molem hanc tantam qui condidit, arcem
Supremam cælorum habitat, nutu omnia solo,
Quę subiecta videt, moderans vsque ad caua nigri
Antra Erebi, & visu penetrans, & viribus ipsum
Legibus æternis subigens Acherunta, Iouemq́
Tartareum. tanti potis est vigor illius ingens.
Cuncta ministerio Diuum gerit, hos modo mittens
Quo res cumq́ vocant, illos modo. regna reguntur
Præsidibus nobis. fatalia sidera certe
Multa valent, sed nos (quæ res iam plurima fallit
Sæcula mortales) flammis moderamur Olympi:
Non secus, ac solet argenti fabricator & auri,
Dans adimensq́ue focis vires, nunc follibus ignem
Irritans, nunc amne premens incendia fuso:
Et pro Diuorum ingenijs, nec enim omnibus vna est
Vis Genijs: dispar venit & diuersa locorum
Atque hominum natura. quibus custodia Diuum
Est noua, mutati mores hominum atque locorum.
Sunt Diui, qui magna animo atque ingentia voluant:
Hos vetus heroes ætas vocat. altera longe est
Mens alijs. Nam sunt qui relligione ferantur,
Et pietate magis: populosq́ue in pace gubernent.
Mopsopiæ gentis præses, dixere Mineruam,
Quod sapiens esset, studijs præcellere Athenas
Fecit, & ad rerum causas attollere mentes:
Transijt à Grais ad Celtica regna, tenetque

Nunc

Nunc quoque Parisios, animum per singula volue
Oppida, & edisces Genios. Lacedæmona priscam
Magnanimus qui rexit erat: qui rexit Amyclas,
Quiq́ Argos studijs bellandi intentus, & armis.
Quando tui fugere patres Lacedæmone capta,
Iuit & ipse loci Deus ad Bebrycia regna,
Successitque minor quidam de plebe Deorum:
Quo duce paulatim virtus Spartana recessit.
At prior est genti vestræ datus: auspice tanto
Res vestræ creuere alibi. reuocata Lycurgi
Illa vetus probitas studio atque labore Cleomnis,
Et Leonicenæ sancto moderamine curæ,
Contulit hoc vobis, vt sint in semine vestro
Magnanimæ, fortesque animæ: quod temporis huius
Nunc quoq́ significant res, atque ingentia facta.
Auspice Consaluum. Viden illa ardentia corda
Humanum transgressa modum? sine Numine nulli
Fas hominum tantos bellando euoluere casus.
Sed nihil est quod gessit adhuc: maiora videbunt
Post paucos ventura dies in finibus acta
Ausonijs Galli, atque Itali trepida arma ferentes.
Nuper ab extrema mundi vertigine rumor
Fluxit in hos orbes, quendam de litore Ibero
Missurum in pelagus classem, quæ nauiget omne
Æquor ab occasu veniens Titanis ad ortum.
Si Consaluus erit, nondum res cognita, certo
Certius est ipsum Gallis Campana fugatis
Regna recepturum, toto admirante triumphum

Orbe Ducis talem, rerum tam mobile fatum.
Tam instabiles fortunæ animos, tam incognita Diuum
Consilia. & fatis hominum contraria fata
Tunc Fundanus ager, vicinaq; fluctibus Anxur
Liris, & Æneæ nutrix bella aspera & ingens
Excidium cernent, & lubrica sanguine rura.
More ouium, cum visa lupi venientis imago
Martia, proripient sese per aquosa volantes
Arua leues Galatæ, facti ludibria toti
Italiæ: cui tam elati insultare solebant.
Arx noua Parthenopes, quæ Martia nulla timebat
Instrumenta prius, quæ sulfura risit & ignes,
Consalui subigenda manu: quod Gallia nunquam
Venturum persuasa nihil trepidare videtur.
I, propera Gonzaga viam, quid tempora perdis?
Contra fata venis. sors est tua vincere Gallos:
Vincere pro Gallo Nemesis vetat. exue Martem:
Vade: animos grandes meliora in tempora serua.
Talia in ætherijs cernentem oracula campis
Aurea per fluctus radians Aurora rubentes
Excitat, & frondes crepitans Libys aura per altas.
Æquora subreptant remis in aperta, leuantes
Lintea, & accepto sulcant croceum mare vento.
At iuuenis secum nocturna oracula voluens
Gestit, & auditos recolit Ferrantis honores
It vento spirante canens, tenuiq; susurrat
Murmure, nescio quid, positasq; in montibus arces
Nunc hac, nunc illac visu considerat acto.

Alphæi vada prætereunt, Asinæa relinquunt
Litora, Leuctra legunt circum, subeuntque Laconum
Æquor: ad Eurotæ ripas vestigia sistunt.
Mox iuuenis laureta ligans ad odora biremem
Exit, & in læuam gradiens, qua respicit alti
Cornua Taygeti vicum, Mysistrata vulgo
Dicitur, exilem subijt. Lacedæmona credunt
His sedisse locis. cum res spartana manebat
Omnia perlustrat quærens monumenta per agros,
Si qua forent Spartæ indicium facientia: tandem
Inuenit agresti vestitam gramine molem,
Et raris annosa comis caprificus in alto
Culmine erat, radicem adigens per hiantia saxa.
Per fruticosa ferens gressum, virgulta, rubosque,
Et propius scrutandi auidus, gladioque sequaces
Abradens ederas, aperit candentia saxa.
Instat, & in lapidem pronus cauat ensis adacto
Inuentas mucrone notas, attentius hæret,
Abstergitque situm ferro, titulumque recurrens
Sæpius Eudamidum Persas legit esse fugatos
Auspicijs, & Ages: truncata vocabula Regis.
Cetera præterijt cariosa exstincta senecta.
Altera laureto circunfruticante reperta est,
Non procul inde, virens Spartano è marmore moles,
Phidiacam testata manum. pendebat ab alto
Margine pars clauæ: partem consumserat ætas.
Lernææ pars prima Hydræ. quæ gutturra septem
Porrigit, & linguis septem vibrantibus ora.

Arcus

Arcus: Acarnanis fluuij duo cornua frugum
Plena: Molorcheo pellis detracta leoni.
Stant fixis in molem oculis, & hiantia versant
Ora per excelsos lapides. epigramma figuras
Ecce vident prægrande cauis descendere in herbas.
Namque ager ad calcem multis accreuerat annis.
Heic aliquid præclari inerat: sed longa senectus
Inuida maiorum titulis incommoda secum
Mille ferens versus fœdè interciderat omnes,
Verbaque: vix licuit quædam fragmenta notari,
Vnde nihil certi poßint haurire legentes.
Tunc iuuenis notæ illacrymans telluris amore,
O, ait, à nostris regnata parentibus olim
Sparta vetus salue, quæ tot tegis ossa virorum,
Quos miramur adhuc, & quos mirabitur ætas
Omnis, vbi illustres illæ regumque Ducumque
Ac diuinæ animæ, quæ tot gessere per altum
Bella, per Europæ campos, Asiamque per omnem?
Terra tot insignis titulis, tot clara triumphis
Nunc ignota iaces. vbi tot delubra Deorum?
Tecta tot in cælum sculptis surgentia saxis?
Tot fora, & illa vias diffusa frequentia in omnes
Belligeræ gentis? sepelit simul omnia tempus.
Nil superest modo tantarum nisi nomina rerum.
O quicumque habitas Cenomana per oppida gente
AEdite Agelaria patris memor Herculis esto,
Et cole ducentem cælo noua sæcula Christum.
Hic Deus ille, tuo qui dictus ab Hercule quondam

Terminus: huic Cerere & Baccho monet esse litandum.
Neu siues imitare tuos: externa peragra
Mœnia, & ante oculos habeas exempla virorum,
Indole qui magna fuerint, Genioq́ue potenti.
Externas tibi quære nurus, tibi nubat AmaZon
Vlla, vel antiquæ si qua est de sanguine Romæ.
Nam vitio matrum tellus Chinnea iacentes
Fert animos, qui segnitiem, qui sordida lucra
Ante ferant immortali famæ atque triumphis.
Sic ait, & nautas repetens dat vela: reuersum
Multa super terris rogitans Consaluus Achais
Suscipit: ille locos omnis enarrat, & vrbis
Relliquias tenues, inuentaq́ nomina gentis,
Fatidiciq́ue aperit diuina oracula somni.
Nec mora, confecto Tyrrhena per æquora bello
In patriam læti decus immortale reportant.
Rex vbi cognouit reditum Ferrantis ad oras
Hesperiæ (virtus quid non emolliat ingens?)
Venit in occursum. laribus regina relictis
Venit, & insolito reducem suscepit honore.
Res nulli concessa ducum. cum regibus ingens
More triumphali, plebisq́ue, patrumq́ue caterua.
Ad festum laureta diem miscere virentes
Et myrteta comas. sacræ sollennibus aræ
Illuxere focis, fumoq́ue oluere Sabæo.
Fronde thymi sparsere solum, luxere coruscæ
Nocte faces prima, & sonuere in turribus æra.
Tum gauisus Anas, & qui facit aurea Batis

Velle-

Vellera, & auratis Tagus inuidiosus arenis:
Cinga simul, Sicorisque comes, gauisus Iberus
Cantaber, Hispaniæ faciens cognomina terræ.
Bilbilis, ac Durius, ferro ille, hic inclytus auro:
Atque Chalybs, atque Eumenius Miniusque colorem
Purpureum vultu referens: & Turia multo
Flore nitens. quid multa moror? languore sepulto
Tota triumphalem celebrauit Iberia plausum,
Sed coniurati reges post tempore paruo
Gallus & Hesperius violenter Aragone pulso
Regnum vsurparant. Gallo Campania cessit:
Hesperio Calabri colles, & Daunia tota.
Ferrantes igitur Calabros recturus & arua
Daunia, in Italiam rursum cum remige multo
Mittitur, & Tyrrhena secat grandi æquora classe,
Et nunc bella super regni confinibus orta
Temper, tarmisono sternens molimine Gallum.
Orta duos inter reges discordia in vnum
Vult partes reuocare duas. concordia regum
Diuidit & lacerat regnum: discordia cogit.
Tanta senescentis reputans discrimina mundi,
Tam varios hominum casus, tot funera regum,
Tot spes frustratas. tot regna exstincta, tot vrbes
Funditus euersas, videor freta concita ventis
Cernere, iactatasque rates. has vortice torto
Absorberi: illas scopulorum incurrere cautes.
Has hærere vadis, totoque efferuere Ponto
Horrendum Protei pecus, & Neptunia monstra

Et

Et tutum nihil immenso Lunæ esse sub orbe.
Seu cælum id faciat, seu sors, animæue profundi,
Siue aliud quicquam quod nos latet omnia nutant,
Cuncta labant. si mens vlla est incredula, nostræ
Viderit Italiæ durum, ac miserable fatum
Hac ætate, viros adigens sua limina fortes
Linquere, & ignotum profugos errare per orbem:
Præmia nec meritis hominum poscentibus istam
Debita sic reddi quisquam respondeat iram.
Insontes, sontesq́ eadem discrimine nullo
Multa premit. iustus princeps æquè atque Tyrannus
Exsulat, atq; omnes strepitu inuoluuntur eodem,
Mitto alios. Iannes nobis se Antonius offert,
Semen ab Archeleo veniens. longa abdidit ætas
Stemmata: maiorum series inuoluitur annis.
Non aliter, quam cum sursum exsudata cauernis
Fumat hiems, æther nigro subtexitur imbre.
Hic postquam domino Insubrum fortuna tetendit
Retia, & è cælo pulsum sepeliuit Auerno,
Cum nusquam terris esset locus iuit ad vndas
AEquoris, & pelago ac ventis se credidit heros.
Tanta etenim Gallis erat orta licentia in omnem
Italiam: tantus terror peruaserat omnes
Ausonios, vt Gallorum terra ipsa negaret
Ferre hostes. sicut diræ Iunonis ob iram
Respuit, vt fama est, quondam Titanida matrem.
AEquoreis donec tellus noua prodijt vndis.
Tum Venetus Gallo concors præcluserat omnes

Sforciadis, & secta omni, cæloq; Ereboq;
Inuisis aditus, & erant indagine cincta
Omnia, conualles, siluæ, iuga, flumina, & arua.
Tum quoque non habita mitræ ratione, nec vmbræ
Puniceæ: Ascanius sacri pars tanta senatus
A Venetis captus, loca dum per inhospita & altos
Proripitur montes, regi pro munere magno
Mittitur, eximij monumentum insigne triumphi
Per medios igitur Gallos, Venetumq; per ipsa
Castra, secus Trebiæ ripas, vi irrumpere adortus
Cum socijs inuenit iter, totamq; cohortem
Incolumem (vis tanta animis prestantibus) vltra
Gallorum insidias, tandem in loca tuta recepit,
O diri stellarum ignes, ô impia, si fas
Dicere, fata, quid hic scelerum commiserat heros?
Non cædes, non furta virum, non prodita regna,
Iudice qui fecit leges, & iura Lycurgo
Arguerint. sine labe fides, sine crimine vita.
Ingenui mores forsan, patrimonia nullis
Aucta dolis, pietas. sancti consortia lecti.
Relligio in superum patrem, clementia in omnes
Hoc meruere? animis visum hoc cælestibus æquum
Ergo vbi circuitu veniens ad litora longo,
Cum socijs stetit in campis, vbi fluctibus Ancon
Vapulat incuruans Hispano litora portu.
Mox rate conducta penus instruit, atque marinos
Ingreditur fluctus. Boreas ad carbasa ludens
Incipit afflatu salis vndam excire secundo.

Soluite proclamans Antonius, æquora dudum
Vela vocant, inquit, terris inimica, per altum
Prospera: spondet iter nobis fortuna secundum.
Quærite Corcyram, Graiasq́ annemus ad vrbes.
Quod felix faustum velit regnator Olympi
Maximus, & dextri quot sunt super æthera Diui.
Portu abeunt, leniq́ implent caua carbasa vento.
Iam prora in fluctus medios cedentia longe
Arua fugit, sulcatq́ fretum spumantibus vndis.
Vastus ab Arcturi plaustro decurrit in Austrum
Adria. & aggeribus dextra læuaq́ superbis
Cingitur. Illyricos montes Aurora, Latinos
Hesperus, Hesperijs qui fecit nomina terris,
Adspicit. hos inter populos campo æstuat amplo.
Fusus ad Hydruntem duplices diuerberat vndas
Tyrrheni, Ioniiq́ freti, mox nomina perdens
Desinit, & magna Neptuni absconditur aluo.
Ora leuans, circumq́ ferens Antonius altos
Per maria & montes oculos, in colle supino
Prospicit albentes muros, turrimq́ minantem
Pyramide in cælum, missoq́ in sidera cono.
Atq́ ait, ô rector, quæ nam hæc in collibus altis
Italiæ moles adspectu læta decoro?
Quidquid id est, præclari aliquid promittit imago.
Tum rector, quod cernis ait, Picentia iuxta
Litora: delubrum est illud venerabile magnæ
Matris, ab Assyrijs quod Di super æquora quondam
Huc manibus vexere suis. visa ire per vndas

Hæc, res mira, domus visi ire per æquora Diui.
Nam Diuum regina Arabis offensa tyrannis,
Qui temere Assyriam sese effudere per omnem,
Fugit, & huc voluit secum migrare Penates.
Quotquot ab Assyrijs hæc vsq; ad litora Pontum
Iuxta habitant fecere fidem. Pamphylia iurat
Se vidisse, Cilix, Lycius, Minoia tellus:
Tænarus affirmat: delphine & Arione vecto
Tænarus insignis. facti meminisse fatentur
Arcades, AEtoli. scopulis Epirus ab altis
Ad mare tota ruit. thalamo fuit hospita sancto
Illyris. Illyricos primum diuertit in agros:
Sed pertæsa locos paruo post tempore rursum
Prodigio grandi volitans de litore in vndas,
Italiam versus gressum adspirantibus Euris
Vertit, &, vt tetigit terras, sublimis in auram
Exsiliens (vidit Picens miracula, & Vmber)
Hos tenuit colles, illaq; resedit in arce.
Et quia transuectam mulier Laureta recepit
Virginis ædiculam, præbens vbi sisteret agrum,
Lauretæ delubra vocant. neu crede superbam
Hanc ædem venisse fretis: superaddidit ista
Templa sacerdotum princeps ingentia Paulus.
At breue sublimi latet hac sub mole sacellum,
Quod fugat infernos, Manes quod discutit omne
Morborum genus: extremis venit vnde periclis
Auxilium, seu sors terra, seu seuiat alto.
Huc Itali Siculiq; ferunt sollennia vota,

Huc

Huc fluit Epirus, fluit Illyris, accola Rheni:
Accola Danubij. venit vsque à litore Narbo
Galliæ, & Isthmiacæ Spartanus ab æquore terræ.
Tanta fides numquam Delphis: & Iupiter Hammon,
Et Claros, & Delos longe minor. omnia vincit,
Quotquot erant olim, veterum delubra Deorum.
Hæc vbi dicta, manus tendens Antonius ambas
Surgit, & ad templum verso sic incipit ore.
D[illegible] parens magnum partu connixa Tonantem
Virgineo, quæ sceptra tenes fulgentis Olympi,
Audieram: nam terrarum fama amplior orbe est:
His tibi sacra locis immania surgere templa,
Quæ veneror: quæ si dederis me ad nostra reuerti
Litora cum socijs, multo cum munere visam,
Audieram, voluiq́; aliquando accedere motus
Maiestate loci: verum in discrimine rerum
Magno incertarum posito vota irrita fecit
Aspera sors, quæ me in ventos, & in æquora misit.
Salue sancta domus, lactenti conscia Christo.
Conscia diuinorum operum, domus hospita Diuum.
Da facilem, da sancta parens ad litora cursum
Thracia, da placidos reditus huc ad tua rursum
Limina, & Italiæ fer opem Regina iacenti.
Talia finierat, cum mox longinqua Truenti
Ostia prospectant, vbi se Samnitica iungunt
Litora Picenis. læua procul albicat Aulon:
Odrys[illegible]s Aulon dudum possessa Tyrannis.
Velaq́; rara vident niueas referentia nubes

 Scin-

Scindere iter liquidum, & vento contraria eodem
Litora, & oppositos serpendo inquirere portus.
Iam minor est Ancon procul adspicientibus. intrant
In nebulas Vrbini apices, Recinatia sensim
Ex oculis abeunt iuga: cæruleumque colorem
Accipiens vix apparet domus alta Sibyllæ.
Vertice Gargani residens archangelus alto
Frondosas aperit rupes, & porrigit vmbram
Ad Diomedeæ sibi proxima litora terræ.
Brundusij iam portus abit: fugit ora Tarenti,
Quo memorant olim genus aduentasse Laconum,
Et noua magnifico struxisse palatia sumtu.
Tunc heros conuersa tenens Titanis ad ortum
Lumina, dic inquit rectos memorabile si quid
Forsitan Italiam contra sita continet ora.
Ille loqui iussus cano sic incipit ore.
Ista Liburnorum terra est, quæ surgit in altos
Ducta apices. hæc sunt priscis ignota Buennæ
Ostia: sic istud flumen dixere Liburni,
Boianam Ausonij, quod vulgatissima fama est
Esse nouum. vapor abstrusus terræ intima rumpens
Viscera fecit iter lymphæ. Conuallis in amplos
Ibat fusa sinus, gremioque incurua capaci
Clausit aquas, fecitque in grandem excrescere campum:
Sic ingens lacus euasit, qui tolleret vndas.
Quique graues veheret tergo insultante carinas
Sed res mira magis, veterem quod dispulit alueo
Vnda recens Drinium, qui dicitur arua rigasse

Illa

Illa prius, ripisque suis eiecerit amnem.
Tandem vbi diffusæ complerunt æquora lymphæ,
In mare delabi cursu didicere coacto
Scodra lacu vicina sedet: Scodra inclyta bello
Thraicio, & nulli armorum virtute secunda.
Sed modo lunigeri patitur iuga dura Tyranni.
Credimus audieris bella illa immania nostris
Gesta, obtundit adhuc aures fragor ille, diebus.
Illuc militiæ robur contraxerat omne
Turcus ab Ætolis, à Phocyde, & ab Hellade tota,
A Ponto, à Galatis. Cilices, Lycijque, Phrygesque,
Et Cares fixere illis tentoria campis.
Nec maiore putant Xerxem venisse tumultu
In Graios citra fauces maris Hellesponti.
Scodra nihil pendens ea Barbara castra, sedebat
Tuta supercilio montis, tuta auspice Christo,
Tuta viris, quoties tantas ad mœnia vires
Admouere hostes, toties per saxa ruebant
Præcipites pulsi ferro, atque trabalibus hastis,
Vertice de summo montis de turribus altis.
Non poterat tellus cædem absorbere: redundans
Ibat in arua cruor riui de colle rubentes
Per dumeta vagi subiecta in castra fluebant.
Nulla fames vrbem, nulli potuere labores
Incuruare: omni demum certamine victrix
Desperare hostes, atque obsidione soluta
Sæpius infectis egit discedere rebus.
At Veneti longo attoniti discrimine pacem

 Vrbe

Vrbe em ere data, ruerent ne regna, senatus,
Nautarum exemplo, cum tempestate laborant,
Extenuauit onus, sparsitq́ per aquora merces.
Sic perhibent fibrum quoties per Pontica rura
Se videt vrgeri canibus, iaculisq́ sequentum
Vulnere se petere, obscenasq́ relinquere partes.
Talia dum summa fatus de puppe magister,
Iam prora Ionium subit, Epiri leguntur
AEquora, Corcyram fugiunt, & Echinadas ori
Obiectas Acheloe tuo. quem Thessala Pindi
Saxa vomunt: quem iuxta habitant AEtolus, Acarnan
Dum ratis inflato currit prope litora velo
Ductor Agelarius gelida vidisse sub vmbra
Forte feram similem caput, ora, iubamq́ leoni
Visus, ait. nauarche ferunt hæc arua leones
Forsitan: hoc Libyæ soli pecus esse putabam,
Immo gubernator, pecus hoc Europica tellus
Fert inquit, saltusq́ duo, quos flumina claudunt
A Borea Nestus labens, Achelous ab Austro.
Vidi ego (& id genus est longe magis acre, leonum,
Quàm quod in exustis Libyæ ſtatiatur arenis)
Cum reuocat primi Venerem clementia veris,
Ire greges, & per vacuos se effundere campos.
Talia narrantes ibant, Zephyrumq́ secuti
Prætereunt Strophadum scopulos, gyroque per altum
Ionium ducto Patrensia litora linquunt
Ad læuam, AEtolumque salum, Pelopensia circum
Arua tenent cursus. verum famosa Maleæ

In mare currentis facit vnda recedere in Austrum.
Hic memor auditæ cladis, belliq́ue recentis
Turcigenum: fare ô dixit Somallius heros.
Optime fare precor, regio cui nota, magister:
Quo stetit ante loco quondam præclara Methone,
Passa tot, vt memorant, strages & Marte furenti
Debellata? trahens gemitum nauarchus ab alto
Pectore, cliuoso muros in litore monstrat
Semirutos, & paruæ vrbis vestigia tantæ:
Ostendit vacuos portus tot nauibus olim
Hospitium: fluit in lacrymas & talia fatur.
O fidei magnum nostræ decus: ô memorandum
Humano exemplum generi post sæcula mille.
Vrbs ea pro Venetis, pro relligione, Sagunto
Fortior antiqua, Thracum tulit vna trecenta
Millia, quæ vidi his oculis effusa per istos
Ebullire agros, ratibusq́ue abscondere Pontum.
Ipse videns nil posse duces ea mœnia contra,
Et fundi incassum tot opes, tantamq́ virorum
Perniciem amitti: folio descendit ab alto
Rex Asiæ, Thracum, ac Ponti, Danaumq́ue superbus
Imperijs, vrbemq́ue petens fessam atque labantem,
Applicat ad muros hominum tot millia, quot vix
Roma habuit, cum magna fuit cum maxima rerum:
Quot vix ferre solum poterat: tormentaq́ue magnis
Faucibus, in validas semper iaculantia turres
Noctes atq́ dies, Libycos audisse putarim
Clamorem ac strepitus, & saxa tonantia calo.

Æquarant campis fossas: super ora suorum
Sanguinolenta ibat veniens ad mœnia Turcus;
Ponsque erat ad summos cædes altissima muros.
Armati stabant ad propugnacula ciues
Impauidi, infracti, quasi contra armenta Leones.
Nec poterant nisi morte loco vestigia pelli.
Thraicij post longa duces certamina tandem,
Cum vis nulla satis, versi ad commenta dolosque
More Italo septem properant armare triremes
Et Venetum mendax signum in sublime leuantes
Auxilium simulant vrbi, res credita, pandunt
Limina portarum, ducuntque in mœnia Turcos
Esse rati Venetos. o. execrabile fatum.
O fraudis crudele genus. mora nulla, tumultus
Fulminat ad muros: vis circum mœnia & arma.
Magnanimi ciues postquam stratagema dolumque
Aduertere animis præstantibus vltima clamat
In virtute dies, cum laude & gloria agenda est
Fortiter ô comites, & cælum hoc sanguine nobis,
Qui superest, post tot cædes & vulnera emendum.
Vna hodie in Diuos pro relligione obeundo
Tendimus. ante oculos patrum versetur imago,
Quos colimus templis. illum sibi sanguine honorem
Emerunt. via mors breuis est ad Olympica regna.
Sic animis macti, & plusquam mortalia possint
Ora loqui audentes, supremo occumbere fato
Certi, ignes in tecta ferunt, atrumque Penates
In cinerem vertunt: dumque vrbem incendia totam

Corri-

Corripiunt ipsi in pugnam ferrumque ruentes
Elegere necem potius, quam Thracibus ire
Seruitum Dominis, Agarenaque cernere sacra.
Sponte igitur vacuam Turcis victoribus vrbem
Linquentes simul occasu periere cruento.
Sic ait: excidium lacrymis stillantibus omnes
Magnanimæ fleuere vrbis. tum maximus Heros
O comites quid mærori indulgemus, & ora
Frigida segnities funesta obnubilat vmbra?
Nostra isti collata potest fortuna videri
Pyrrhica, vel quædam innocuo certamine Troia.
Nam neque nos vita eiecti, sed limine tantum
Italiæ ad tempus vento iactamur & vnda.
Stat nobis patria incolumis: stant mœnia & arces
Vt prius: superest portæ Iouis ardua moles,
Templaq́ Romanorum operum excedentia laudem.
Nec fortis natura vetat finire laborum
Quicquid id est: in spem potius nos erigit altam,
Vt pote quæ inconstans, incircumspectaq́ semper
Propositi poßit cœptiq́ oblita putari.
Nec Styga sulcamus rate, ne Phlegethonta vadamus,
Stagna vbi perpetua squalent abscondita nocte.
Hæc quoq́ sub cælo tellus, regionibus istis
Nulla Abatos: nautis hæc sunt freta peruia: Titan
Has quoq́ non secus ac nostras illuminat auras.
At neq́ Dictæo deuoti in pabula Tauro
Mittimur, vt quondam Theseus: non sicut Orestes
Ad Triuiæ cultros, non vt Pagasæus Iason

Ad

Ad pecua ardentem referentia naribus AEtnam.
Et genus humanum Turci quoq; pectora nec sunt
Ferrea terrigenis etiam Deus omnibus idem,
Altera relligio quamuis, atq; altera iura.
Durandum, & , quid nostra ferant heic fata, videndum.
Talibus orabat, cum se detexit ab ortu
Insula, quæ magni Iouis incunabula vidit,
Nobilis Assyrij furto bouis, ac labyrintho
Dedaleo, illustris Tauro, memoranda volatu
Icario, qui mæsta dedit cognomina Ponto,
Et Minoe tulit Iouis armigeros Corybantas,
Vt pleriq; volunt, Creta vrbibus inclyta centum:
Atq; ideo dicta a Grais Hecatompolis olim.
Suspiciunt oras, vbi quondam florida Troezen
Claruit, & paruæ radunt vicina Calaureæ
AEquora, Neptuni quondam breuis insula templo
Nota fuit, nomen fato Demosthenis auctum.
Nam Macedum fugiens iras & atrocia regum
Arma, illic sumpto petijt Phlegethonta veneno.
Chalcidis euadunt rapidum mare: saxa Carysti
Inclyta per Sesti faucis labuntur: Abydo
Præterita flexo Sporades, & Cycladas intrant
Limite, nunc illac, nunc hac flectente magistro.
Per Delum, & Myconen, Gyariq; infamia saxa
Delati, Phrygiam dextra, læuaq; relinquunt
Hellada: iam apparet Samos illustrata Sibyllæ
Carmine, Pythagora, templo Iunonis, & arce,
Vnde licet Priami muros discernere & Idam.

Omnia

Omnia mirantes veteri loca cognita fama
Circumlata nouis pascebant lumina rebus.
Curarum immemores, obliti prandia, tensis
Cuncta vorant oculis. quærunt Byzantia longe
Mœnia, & insistunt fixis vestigia plantis,
Sublato in Boream vultu, cupidumq́; videndi
Ad cilium porrecta manus visum adiuuat vmbra.
Certatim intendunt acies: sublimia quædam
Tecta vident Sole aduerso radiantia. templum
Rector ait, templum ecce ingens, quod nubila tangit
Culmine liuenti: stant alta cacumina plumbo
Incuruata graui, titulis insignia Diuæ,
Sic memorant illam, Sophiæ. non vidimus vsquam
Maius opus: quamquam Insubres vestri sua iactent
Templa, fere æterno multum sudata labore.
Cernitur æquorei moles immensa theatri
Infima ad AEgeos mittens vestigia fluctus.
Iam turres, obeli, ac metæ, gemineq́; columnæ
Sculptura insignes celebri: iam regia celsam
Frontem aperit, tenui effigie per inane videri
Incipiunt mali teretes. exilia dicas
Stamina cæruleo procul impendentia Ponto.
Cuncta legunt oculis regum monumenta priorum
Ac fidei, plorantq́; vrbis fata impia tantæ,
AEmula quæ Romæ quondam fuit, æmula, & omne
Imperium & titulos Asiæ atq; Orientis adepta.
Iam subeunt portum: dicas naualibus illis
Stare rates quot arant terris ex omnibus æquor.

Inuenta ad litus vix est via: litora merces
Non capiunt: magnis passim cumulantur aceruis.
Exonerant alij naues, & pontibus actis
Exportantur opes: alij in sublimia rostra
Fune trahunt onera, & ratium latera ardua complent.
Hac illac it turba frequens, Graciq́, Arabesq́:
Massagetæ, Phryges, & Cilices, Galliq́, Italiq́
Mixti omnes, varijsq́ sonant incognita linguis
Murmura. se populo immiscent, vrbemq́ subintrant
Ignoti prius: at postquam peruenit ad aures
Principis, ex Italorum oris magna indole quosdam
Aduentasse viros: subido data copia fandi.
Cum socijs igitur gradiens Leonicius heros
Intrat in Augustas ædes, vbi mille columnis
Marmoreis innixa domus se regia pandit
Æqua iugis, picta argento, spectabilis auro.
Vt stetit ad magni solium regale Tyranni,
Aula omnis mirata hominem. Rex ipse tueri
Visus in herois vultu venerabile, grande,
Ac diuinum aliquid, veteremq́ in imagine Romam
Cæsarea, putat Italiam, gentemq́ Latinam
Voluit, & antiquum Latij decus, atque triumphos
Maiestate viri monitus. tum talibus heros
Incipit ingenti satraparum adstante corona,
Maxime Turcorum princeps, cui grandia regna
Per maria & terras, ideo regnator Olympi
Fecit vt humanum serues genus, vt tua consors
Diuini imperij pietas mortalibus amplam

Possit

Poßit opem ferre, ac duros compescere casus,
Venimus Italia pulsi, dum fortiter omnes
Gallica pro Insubrum duce contra nitimur arma.
Ipse dolo regno pulsus tenet omnia Gallus
Italiæ infensus: nos ad tua regna coacti
Transmigrare. tuis regum fortißime castris
Iungi oramus: opem tibi qua magis arte valemus
Impertiri animus. tu, qui potes omnia, nobis
Portus eris. sub te tamquam sub Numine quodam
Terrestri (nec enim reges sine Numine) casus
Quotquot erunt & fortunam tolerabimus omnem.
Militiam teneris aliquo cum nomine ab annis
Experti, & Martem per mille pericula docti
Non erimus damno: tua nec frustra arma feremus.
Sic ait. annutans placido Rex incipit ore.
Magnanimi Italidæ, nostras quos egit ad oras
Gallica non virtus, sed fulta superbia fraude.
Cedere fortunæ quoties irata proteruit
Fas homini, & melius fatum exspectare ferendo.
Fas & in aduersis rebus curare potentum
Auxilium: id naturæ omni commune. leonem
Sæpius auditum est homines adiisse rogatum
Vulneri opem. Reges etiam quando aspera surgunt
Tempora, coguntur multis ambire Tonantem
Suppliciis, Diuosque omnes in vota vocare.
Flecti etiam precibus iustis clementia regum
Non negat: humanis humanum est casibus angi.
Istæ igitur, quæ corda etiam generosa fatigant,

Curæ

Curæ abeant. si vos Gallus procul egit ab oris
Italiæ: sunt ampla satis nobisque Italisque
Imperia, & regno, & castris accedite nostris.
Atq; vtinam dux vester ad hæc mea litora pulsus
Venisset: fecissem illi communia regna.
Sed modo posthabitis, qui vos tam atrociter vrgent,
Casibus, ad Latiæ decora immortalia gentis,
Sfortiadumque genus clarum atque illustre parumper
Conuertamur, & id primo repetatur ab ortu.
Fare igitur, quando nobis sunt otia, &, aures
Ne longo sermone oneres, desiste vereri.
Dixit: & in summos vix dum peruenerat axes
Longa dies, rapidum Phœbo ingrediente Leonem.
Continuo famuli constrata sedilia Coo
Vellere bombycum, coccoque ardentia & auro,
In medium contra speculas, vbi flantibus Euris
Mitior æstus erat, gressu admouere citato.
Heic Thracesque Italiq; simul discumbere iussi,
Ora omnes suspensa tenent. Somalius heros.
Proximior regis solio, sic ora resoluit.
Postquam tanta tibi fortunatissime regum
Cura Latinorum fœlicia fata, nouamque
Sfortiadum gentem primo cognoscere ab ortu,
Parebo, lætisque animis tua iussa capesso.
Italia postquam, sub te modo vera fateri
Fas mihi, nec maius quicquam, nec pulcrius vmquam
Vidit in immensis, cum res Romana vigebat.
Incolumi imperio, Sol qui videt omnia, terris.

Nam

Nam neq; Alexandri, qui victo Oriente tetendit
Tam late imperium, nostræ par gloria Romæ.
Et Babylon, quamuis rerum pulcherrima quondam
Exstiterit, nil tam eximium, spectabile, & altum
Vidit. erant vnum. Romæ regna omnia regnum.
Quicquid habent reges nostri modo: quo tua latè,
Quæ rerum pars magna quidem, confinia tendunt:
Cappadocem, Medum, Armenium, Babylona, Syrumque
Punica, & Æthiopes vsque ab Maurusia rura,
Quæ Gætulus arat, veteres tenuere Latini.
Nec breuis hæc fortuna fuit: tot splendida facta,
Tot domitas gentes, fractum tot classibus æquor
Totq; triumphales pompas, tot nomina regum
Quis numeret? pelagus pæne inscrutabile rerum est.
Percita finitimo mittebat dona tumultu
India Cæsaribus nostris: nam proximus Indis
Imperij limes nostri fuit. vltima Romam,
Qua modo Cattaicum genus est, Aurora timebat.
Nobiscum genitor rerum diuiserat orbem,
Æthere contentus, nobis maria omnia, & omnes
Cesserat ambitas vnda Occeanitide terras.
At postquam à Geticis emersit Vandalus oris,
Et Gothus, atq; Gotho longe crudelior Hunnus,
Consenuit tandem imperium, Romæq; venustas
Transijt in rugas, & anili impalluit ore.
Romanam asseruit rem Iustinianus in amplos
Rursus agens fines: Libyam, Ausoniamq; recepit
Italiæ. vt memorant contrito in limine mundo.

Nam tunc rumor erat, cum nostra ad regnā redisset
Africa, mox cum prole sua mundum interiturum.
Vulgus id ad cælum referens terramq́, putabat
Omnia communi peritura animantia fato.
Nec fuit omnino fama irrita. pluribus vnum
Conueniens nomen lusit mortalia corda.
Hunc tulit euentum rumor. post Punica Cæsar
Arma Gothos cupiens Italis depellere regnis.
Præficit huic operi Mundum, qui magnus in armis
Dux erat. hic igitur tanti molimine belli
Suscepto, dum castra mouens iam permeat Istros,
Hostiles subit insidias, & in arma Gothorum
Missus, obit cum prole sua, nam pignora patrem
Consectata pari venere in funera fato.
Sic sunt ambiguæ sortes: oracula Diuum
Tanta ambage solent nostras deludere mentes.
Celituum dubio tantum in sermone pericli est.
Verum prosperitas hæc Iustiniana serenæ
Par hyemi fuit inconstans, paucisq́ue recessit,
Impatiens legis mundus dum fluctuat, annis.
Longobardi Italos subigunt, Babylona, Syrosq́.
Persicus inuadit spolians vulgo omnia Cosdras.
Gallia Francones dominos tulit, Hesperiamq́
Maurus inundauit. sese Saracenus ab ortu,
A Borea innumeræ gentes fudere per orbem.
Gens tua, quæ vicit Graios, Asiamq́ minorem,
Inclyta gens armis, atq́ omni munere præstans,
Venit in hos agros, sic cælum & sidera voluunt.

At

At nedum imperium Romæ, sed Di quoq; fatum
Id sensere: noui ritus, noua condita templa,
Et noua relligio, quam vatum oracula finem
Ignorare volunt; totum fusa iuit in orbem.
Post longam nox longa diem successit, & altis
Id iubar immersum tenebris non claruit vmquam
Amplius. infami permissa licentia vulgo
Vexandi Italiam, altricem regumque Ducumque.
O Decus, ô Latiæ laudes, & gloria gentis
Quo cecidistis? erunt ne vllis ea gentibus vmquam
Nomina: num tantum poterunt sors, Numina, & astra?
Tam felix, tam læta olim, tam clara potensq;.
Nunc eadem superest tellus, fortuna recessit?
Secta potentatus plures accepit, & Isthmo
Persimilis triplex inter mare tendit ad Austrum:
Inde Ligur, Lydumq; sonant: hinc Adria clamat.
Apulus, & Calaber, Samnis, Campanus ad agrum
Vsque Reatinum, mediam qui limite iusto
Diuidit Italiam, regnum coguntur in vnum
Parthenopes, vbi nunc Gallus, nunc regnat Iberus.
Pontifices Latium, Veios, gentemq; Faliscam,
Flaminiamq; omnem, Picentia litora & Vmbros
Sortiti. partimq; agro dominantur Etrusco.
Partem Sena vetus, partem Florentia, partem
Luca, Ligur partem Tyrrhenæ possidet oræ.
Rhæti. Istri, Euganei, latis Cenomania campis
Sub Venetis degunt. Venetis tamen extera subsunt
Regna: Liburnorum colles, montanaque rura

Dalmatiæ. Illyricum litus, cum Chaonis ora:
Corcyræ, Pelopisq; solum, Creta, vltima Cypris.
Arua Pado prætenta, magis vergentia ad æquor
Vsq; Rauennates campos, Adriæque paludes,
Gonzagæ, Estensesq; tenent. Heic insula magno
Cincta lacu residens, sicco fert mœnia tergo,
Mantua cui nomen, solas adeunda per vndas:
Verum iniecit aquis longos industria pontes
Coctile opus, duplicið; patet via pensilis actu.
Vrbs antiqua, ferax frugum, pecorumq;, hominumq;:
Ingenijs pollens, nec vi expugnanda, nec arte.
Mantua Francisco sub principe sola tumultus
Non experta nouos, dictu mirabile, sola
Nondum passa atrox, quod nos ita dissipat, astrum.
Cetera, quæ Italiæ pars est vberrima, ad Alpes
Vsque Salassorum, Genuam, Liguresq; marinos,
Insubrum tenuere duces, ac Sforciadarum
Progenies, genus acre virum, gens inclyta bello.
Hi primum resides animos, vt Romulus olim
Martia progenies, ad classica & aspera rursum
Arma retraxerunt, & corda tepentia longa
Segnitie tandem duras acuere per artes.
Omnibus his vt Fabricio, patribusq; Latinis
Vt Mario, Cippo, atque Lyco, Siculoque Agathocli,
Principio genus à tenui. nam Sfortia gentem,
Sfortia Flaminiæ pauperrimus incola terræ,
Hanc tulit, ipse nouæ vix dum lanuginis annos
Natus ab agresti studio properauit ad arma,

Et cultu agrorum functus genitore relicto
Inter aratra domi, lituos & claßica (tantum
Aßra valent) patriæ antetulit, Laribuque paternis
Iam pro bobus equos, ensem pro vomere, contum
Pro stimulo tractans ad magna negotia mentem
Appulit, & toto concepit pectore Martem.
Ingenium iuueni sollers, versatile, promptum,
Circumspectum. animus, cui formidabile nullum
Martis opus, vegeti sensus: habitudine corpus
Compactum solida: armorum ferrugine semper
Affectum, setis horrens, venisque redundans:
Procerum, crudo horrificum Martem ore figurans:
Mars erat, &, veluti scintilla in fomite sicco
Rapta parit flammas, & in ampla incendia surgit,
In magnum euasit subito decus. ipse per omnem
Italiam factus belli pacisque magister,
Regna, magistratus, vrbes, populosque mouebat
Arbitrio nutuque suo, & regnabat in armis.
Sunt tamen in Phorcum, Phorcum qui dicitur olim
Sardoo regnasse solo, & Cyrnea per arua,
Qui genus hoc referant. longis abscondita sæclis
Maiorum series stemma hoc ignobile fecit.
Tempus enim facit ætates, atque omnia ducens
In senium tandem cogit succumbere morti.
Huic soboles numero præstans, præstantior armis:
Tota etenim domus a teneris genitore sub ipso
Docta grauem thoraca pati, discrimina docta
Martia, & horrendis bellorum exposta periclis

 Duruit

Duruit, at totis robur membrisq́, animisque
Tale tulit qualem ardenti noua vasa camino
Accipiunt: quali eximius faber afficit arma
Bellica cum chalybem medica magis asperat arte,
Cum gladios acuit succo, atque potentibus herbis.
Tum quoque in Ausonijs clarebat Braccius armis,
Motibus in Tuscis genitus, Thrasumenia proles,
Ortus & ipse loco tenui. sed origine virtus
Clarior abscondit tenebrosa exordia: virtus
Ignea, quæ Martis veteres æquauit alumnos,
Scipiadas, Marium, Hannibalem, duo magna Latinæ
Fulmina militiæ simul orta, simulq́ue sepulta,
Sic sortes cecinisse ferunt: oracula namq́ue
Braccius audierat. sibi quæ vicina canebant
Funera, cum summam clausisset Sfortia lucem.
Ambo igitur simul exstincti: sub flumine Aterno
Sfortia, belligerans Aquilæ sub mœnibus altis
Braccius inuenit pulcram inter spicula mortem.
Hos memor antiquæ tellus Oenotria laudis
Est enixa. decus cupiens reparare Latinum.
Talia dum memorat, mœstum in suspiria pectus
Ibat, & in fletus Italæ dulcedine laudis
Lumina. conticuit paulum, linoq́ue madentes
Exsiccans oculos, rursum sic ore locutus.
Ardua res, omnes gentis percurrere casus
Sfortiadum, verbisq́ue genus comprehendere totum.
Ardua res inquam, cithara Colophonis, & Andis,
Et fide Dircæa celebranda, & Apolline toto.

Præte-

Præteriens alios igitur de principe tanti
Seminis attinget rerum fastigia sermo.
Tota suum soboles animis confessa parentem,
Tota ardens, tota armifero formata sub astro.
Francisco fortuna tamen propensius auxit
Res & opes, ac regna dedit ditissima & ampla:
Atque vtinam sic firma, malis sic inuia fatis.
Nam domino Insubrum sine successore Philippo
Decedente, vrbes studia in contraria versæ
Antiquis arsere odijs. sub principe duplex
Factio, quæ Italiæ populos pessumdedit omnes,
Pressa diu, sumta mox libertate reuixit,
Inq́, nouas ausu rixas inuecta proteruo:
Non secus ac sonipes, longum retinacula passus
Ore capistrato, fractis præsepia vinclis
Cum fugit, & campo insultans bacchatur aperto.
Ausonias omnes Rex clementissime gentes,
Auditu res mira quidem, nam tempore longo
Conditio feralis agit, Phlegethontis ab alto
Gurgite consurgens, atque à Plutone profundo
Per furias missa excidio telluris & vndæ.
Quondam etenim magno flagrans discordia motu
Inter pontifices nostros, regemq́ue, Latini
Imperij qui lora tenet, surrexit. & omnem
Complexa Italiam populos diuisit, & vrbes
Egit in ambages longas, & in aspera bella.
Factio pontificum Gelfo duce bella gerebat:
Regia Gibello. pars vtraque protinus horum

Appellata ducum cognomine: tanta Megæræ
Vis in corda hominum, mansere vocabula: mansit
Mens diuisa. odium manet immortale. nepotes,
Totaque posteritas duplici incestata veneno.
Transijt ad plantas, ad aues, pecudum genus omne
Corripuit, fruges etiam teterrima pestis
Tangit, & à Gelfo quædam cognomina, quædam
A duce Gibello capiunt: res cognita vulgo.
Styx ea sic animos stimulat, sic excitat iras
Vt sæpe a solo surgant cognomine bella
Intestina, domos, arces, & mœnia magno
Impete, & immißis segetes vinetaque paßim,
Arboreum genus, & pecudes sternentia flammis.
Vidi ego, & hi mecum comites in collibus altis
Pluribus in campis, fuerant quæ florida quondam
Oppida, nunc laceris deserta & inhospita muris.
Abscondere domos, spineta, feræque ruinas
Siluestres habitant. sola hæc cognomina tanti
Causa mali. sic est animis hoc virus inustum,
Nec consanguineis parcens, nec fœdera iungi
Vlla ferens, nulloque potens mansuescere pacto.
Quisquis ab externis bellum regionibus infert
Italiæ, belli socios in qualibet vrbe
Inuenit, & semper præbens vnam hostibus ansam
Factio, demoliri aliam tali inchoat arte.
Signa docent dominos seu sint animantia, seu res
Quædam aliæ: ceu nocturnas quæ illuminat vmbras
Gentis Luna tuæ signum, tot adepta triumphos.

Et

Et pelago & terris: & ab hoc discrimine vulgus
Non solum hos quibus est tenuis fortuna, sed ipsos
Gibelli Gelfiue notant cognomine Reges.
Sic Gallos Italum dominos non Gallica virtus,
Qui soliti Italiæ quondam seruire, sed excors
Italia, infelixque hominum discordia fecit.
Factio pontificum Gallis adiuncta recepit
Hoc genus: hanc molem nostros conuoluit in armos,
Hæc via Francisco regnis fuit inuadendis.
Adde quod in thalamos eius fata Blanca Philippo
Venerat ipsa duci nubens pulcerrima virgo,
Spartanæ par forma Helenæ, par moribus ipsis
Dis superis, par Mercurio lingua, ingenioque,
Flectebat primatum animos: ducis inclyta virtus
Momenti non vilis erat: nam gloria semper
Pectora, & auditæ capiunt mortalia laudes
Et generis sordem abscondunt, qui flumina cernit
Voluere prægrandes vndas, non respicit ortum.
Hic erat insignis forma, facundus, ad arma
Impiger, acer eques, pedes acer, ad omnia promtus
Munia militiæ, gladio impetuosus & hasta,
Hectora qui posset, qui sistere posset Achillem:
Cautus, in euentus omnes oculatus, & vllo
Nec casu elusus, nec circumuentus ab hoste.
Mille vias euadendi, mille insidiandi
Semper habens, contemtor opum, sitibundus honorum,
Prodigus in laudes comitum: nam fortiter acta,
Quæ in bello acciderant, non vsurpare volebat,

Vt plerique solent sed reijciebat honorem
In socios decorans omnes: placabilis iræ.
Non segnis tamen, at clemens pro tempore & atrox:
Splendidus, & cunctis tranquillo affabilis ore:
Nec pacem melius quisquam, nec prælia rexit.
Quando in bella ibat, pacem ignorare putasses.
Pacificus potuit bellum nescire videri:
Fatum erat armorum, quo se inclinabat eodem
Influxus astrorum ibant, vexilla sequentes,
Vt magneta chalybs, Helicæaque sidera magnes.
Coniurati ambo Mars & Bellona, sonantes
Qua audierant lituos & classica, protinus asto
Ad strepitum cursu comites se in bella ferebant,
Sic igitur facili bene fortunatus Olympo
Ibat per populos, & regna per omnia victor.
Dux itaque Insubrum post bella asperrima tandem
Lectus, ad augendas studijs melioribus vrbes
Ingenium vertens, curamque animumq; paternum
Induit, ac populos æque ac sua pignora fouit.
Scilicet hi veri reges, quos sidera mittunt
Ad commune bonum populorum, orbisq; salutem.
Hos natura facit dominos hos: publica vulgi
Vota vocant reges. vltro his se subijcit orbis:
Ius regnandi aliud nullum est præstantius, omne
Stemma minus: minor est maiorum purpura, & aurum:
Nec refert, qua gente sati, quo semine nati.
Nam veluti solis laudandum a frugibus aruum:
Sic hominum decus à sola virtute petendum est,

Qui bonus est orbi, credendus ab æthere missus.
Lex, quæ non habita meriti ratione, parenti
Imperat in regno primos succedere natos.
Lex iniusta, nihil pendens, quod pendere supra
Omnia debuerat, meritum. natura reliquit
Imperium dignis, & non in murice natis,
Præteriens natos, digni mea regna sequantur
Clamat Alexander moriens: ea principe digna
Testamenta. nihil sanguis valet, omnia virtus.
Quem voluit regno Christus succedere, dignum
Fecit, & hanc lator facto legem indice sanxit.
Ad Francisci auos igitur sobolemque reuertor,
Tum pietas, tum relligio, tum floruit omne
Iuris opus, legum officium. præsceerat ætas
Cruda hiemi similis, fueratque abscondita virtus
Sub vicio velut hiberno sub frigore messis,
Cum sopita rigent Scythicis Aquilonibus arua.
...s resecans, probitatem exsurgere fecit
...ius humanum, & sanctos reuirescere mores:
...cus, ac Maio tellus animata reuerso
Fronde noua viret, & primi decus induit anni
Quid longo sermone vagor? sub principe iusto
Sæcula viderunt nostræ Saturnia gentes.
Nil melius præstare queunt mortalibus astra
Rege pio. quæ libertas æquauerit vmquam
Tale iugum? curas omnes, onus omne, periclum
Regnator fert omne bonus, populique sub illo
Otia tuta trahunt: vt grex æstate sub vmbra

Ilicis.

Ilicis.ipse suum solus felicitat æuum:
Canitie tandem longa, senioque solutus,
Transijt ad Superos nato in ditione relicto.
Hic potuit patrem meritis æquare, iuuentam
Si frenare potens legem imposuisset amori.
Vicit amor iuuenem: tulit impetuosa libido
Præcipitem. strauit Boios: Florentia ab hoste
Istius auspicijs defensa, potentibus armis:
Terruit Italiam, Gallos, Germanica regna.
Victus amore perit: nam dum non parcit honorẽ
Femineo, sic fama fuit, crudelia passus
Tela, obijt: medio in templo dum sacra litantur,
Coniurata manus iuuenum confecit inermem,
Securum, formidantem, nihil insidiarum.
Heu iuuenis formose decorem vtriusque parentis
Ore ferens, animis ardens, quo funere raptus
Ex oculis hominum fugis atra in fata repente?
Frater ob ingenium sollers a Cæsare nostro
Legitimas regni sumsit Lodouicus habenas.
Iste per Insubrum campos, Ligurumq; per Alpes
Regnabat maris & terræ ditione superbus.
Et regnaret adhuc, nisi tam crudelibus armis
Contra hominem fortuna atrox conuersa fuisset.
A socijs etenim, quibus imperiumque, animamque
Crediderat, fuit infami tam turpiter auro
Venditus, & datus a turbis immanibus hosti.
Dixit, & abstergens rorantia lumina fletu
Imposuit longis finem sermonibus heros.

At

